MAXIMILIANI SANDÆI
THEOLOGIAE MEDICAE LIBER TERTIUS, DE MEDICINA SPIRITVALI.

In quo virtutum variarum, Sacramentorumq; vis medica exponitur. Deinde, Aphorismi ad spiritualem sanitatem pertinentes explicantur. Deniq;, aperitur Hygiasticon animæ, præceptis ad sanitatem curandam, & tuendam vtilissimis refertum.

COMMENTATIO I. DE *Fidei vi Medica, instar Sinapis.*

In quâ comparatur Fides cum Grano Sinapis, ob virtutem vtriusque medicam. Capiti medetur Fides, vt Sinapi. Cerebrum purgat Sinapi, multo magis Fides. Capiti depilato adhibetur Sinapisma: & prodest plurimum. Fides à diuitiarum excrementis liberat. Denique, vt omnibus corporis membris Sinapi, ita omnibus animæ potērijs Fides adhibeatur, si incolumitatem optes. Sed vide, vt calore natiuo caritatis hoc medicamentum concoquatur. Quod non fiet, nisi sumatur sine masticatione, vt medicinales pilulę.

Dominica VI. post Epiphaniam.

Simile est regnum cælorum grano Sinapis Matth. XIII. 31.

Si habueritis fidem sicut granum Sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Matth. XVII. 19.

Parabola mala aurea in lectis argenteis. NOTA.

QVOD de parabolizatore, hoc est, sapiente parabolarum magistro dictum vniuersè à Salomone: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Prouerbiorum XXV. id Christo planè dinino parabolarum authori, ac enarratori potissimùm conuenire, dubitare non possumus. Erant quidem singula illius dicta, sed parabolæ maximè, *mala aurea in lectis argenteis,* siue, vt est in originali: in cancellaturis, seu thecis argenteis. Quasi

dicas. Parabolæ sunt velut pomum aureum inclusum cancellaturis reticulatis, & foraminibus circumquaq; apertis, vt nimirum plus latere indicetur in recessu, quàm curiosissimis quamuis oculis inuestigari possit ab homine.

Regnum cælorum grano Sinapi simile. ID manifestum est in hodiernâ, in quâ Regnum cælorum *Grano Sinapis* simile dicitur. Cuius quidem comparationis ratio, vt splendor quidam scintillans statim incurrit in oculos, è verbis vt fenestratâ, clatratâque thecâ, ceu mali aurei radius. Videlicet, Regnum cælorum, vti *Granum Sinapis*, à debili flebilique initio, in admirandam magnitudinem excreuisse: sed plurima alia hærent in abdito, non nisi à scrutatore diligentissimo eruenda. Quod nos, quo ad ea, quæ Therapeuticam spectant, dum Fidei vim medicam ad instar Sinapis asserimus, conabimur. Itaque sic accipite.

Regnum cælorum fides. REGNI cælorum nomine haud incommodè Fidem intelligi. Quæ est grauissimorum Patrum, & Interpretum sententia. Quid mirum? cum alibi Christus clarissimis verbis, Fidem, vti granum Sinapis exigat. *Si habueritis fidem*, inquit, *sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*: Matthæi XVII. *Matt. 17. 19.* Iam verò in medicinali ratione, magna est inter fidem & Sinapis granum, quæque ex illo conficiuntur, similitudo.

Fides Animæ Medicina. IMPRIMIS autem illud statuatur, Medicinam animæ esse Fidem. *Fides catholica*, ait Augustinus, *peccatores homines saluat: cæcos illuminat: infirmos curat: catechumenos baptizat: fideles iustificat: pœnitentes reparat: iustos augmentat: martyres coronat.* *S. August. Serm. 1 de Ver. Dom.*

S. Ambro. L. de Virg. D Ambrosius: O *Thesauris omnibus opulentior fides!* O *virtutibus omnibus corporis fides fortior!* O *Medicinis omnibus salutarior!*

B. Hilarius. *Vt quædam medicamentorum genera sunt ita comparata, vt non in singulis tantum ægritudinibus vtilia sint, sed omnibus in commune medicentur, habeantq; in se virtutem communis auxilij: ita & fides catholica non aduersus singulas tantum pestes, sed contrà omnes morbos opem medelæ impertit, non infirmanda genere, non minuenda numero, non diuersitate fallenda: sed vna, atq; eadem aduersus singula, omniaq; consistit.* *S. Hilar. lib. 11. de Trin.*

NEQVE sine causa, quæ huc spectat, Christus in sanandis corporibus fidem ab ægris postulauit. Nimirum, significare voluit, hanc communem esse animæ medicinam. Hinc illa toties repetita: *Credis: si potes credere. Fides tua te saluum fecit. Vbi fides integra*, inquit Ambrosius, *ibi cunctorum est Medicina.*

Sinapi medetur capiti. SED per corporis animæque partes omnes ducatur hoc similitudinis institutæ filum. Occurrit primò caput, cui medetur Sinapi: idque bifariam: internè, & externè: intrinsecus sumptione: extrinsecus applicatione. Nihil sine auctore adferamus, ne cùm fidem in alijs stabilire conamur, in nostris dictis fides vacillet. Inter naturæ scrutatores eximios in paucis habetur Plinius, qui lib. xx cap. 22. multiplicem vim ad Medicinam pertinentem in Sinapis vel semine vel grano hærentem describit, & conglobatè viginti duas virtutes enumerat. Inter quas *Prima*, caput ac cerebrum spectat. Nam non aliud magis in nares & cerebrum penetrat. *Secundò*: ad serpentum ictus, & scorpionum tritum cum aceto illinitur. *Tertiò*: fungorum venena discutit. *Quartò*: contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat: aut gargarizatur, cum aquâ mulsâ. *Quintò*: ad dentium dolorem manditur. *Sextò*: ad vuam gargarizatur cum aceto, & melle. *Septimò*: stomacho vtilissimum, contra omnia vitia, pulmonibusque præbetur.

Octauò:

Octauò: excreationes faciles facit in cibo sumptum: datur & suspiriosis. *Nonò:* item comitialibus tepidum cum succo cucu merum. *Decimò:* sternutamentis caput purgat: aluum mollit: menstrua, & vrinam ciet. *Vndecimò:* hydropicis imponitur cum fico, & cumino tusum ternis partibus comitiali morbo. *Duodecimò:* vuluarum conuersione suffocatas excitat odore, aceto misto. *Tertiodecimò:* lethargicos etiam. Si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus, vel capiti illinitur cum fico ex aceto. *Quartodecimò:* veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacumque corporis parte ex alto vitia extrahenda sunt, illitum, caustica vi emendat, pustulas faciendo. At in magnâ duritia sine fico impositum: vel si vehementior vrigo timeatur, per duplices pannos. *Quintodecimò:* vtuntur ad alapecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, tetanicos, opisthotonicos. *Sextodecimò:* inungunt quoque scabras genas aut caligantes oculos cum melle. *Septimodecimò:* exit è cauliculo Sinapis succus lacteus, qui cùm induruit, dentium dolori medetur. *Octauodecimò:* semen & radix, cum immaduêre, musto conteruntur, manusque plena mensurâ sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusque omnes. *Nonodecimò:* mulierum lassitudines saluberrimo genere medicinæ mitigat, aut tollit. *Vigesimò:* calculos discutit potum ex aceto. *Vigesimoprimò:* Illinitur liuoribus, sugillatisque cum melle & adipe anserino, aut cera cypria. *Vigesimosecundò:* fit & oleum ex semine madefacto in oleo, expressoque, quo vtuntur ad neruorum rigores, lumborumque, & coxendicum perfrictiones.

Non minorem vim habet *Fides* ad similes ex animo morbos expellendos, perfectamque sanitatem inducendam. Ac primò quidem principatum habet Fides ex his, quorum in sublime vis fertur. Quod non semper humi repamus, corpore animoque terræ adfixi: quod aliquando, aquilæ instar, subleuemur: quod supra vulgus sapiamus, Fidei debemus, quâ cælestia cogitantur, & diuina apprehenduntur. Vera fides hominem cælo infert: à terra & terrenis auellit: amorem temporalium excutit: æternorum dilectionem inserit. *Capiti medetur fides.*

Avdite Bernardum dulciter defluentem: *Fides attingit inaccessa: deprehendit ignota: comprehendit immensa: apprehendit nouissima: ipsam deniq; æternitatem suo illo vastissimo sinu quodam modo circumcludit. Fidenter dixerim: æternam, beatamq; Trinitatem, quam non intelligo, credo: & fide teneo, quod sana capio mente.* Nec minus suauiter, ac verè Chrysostomus: *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.* *S Bernar: serm. 76 in Cant.* *Chrysost. serm. de Fide, Spe, Caru.*

In sublime itaque euadit, vt *Sinapi*. Vtinam in vobis esset *Fides*, vt *granum Sinapis*, eueheret vos innata sibi ad supera tendendi vi, supra omne id, quod hominibus, non nisi imo assuetis, sublime videtur: ibique, tanquam ex altissima Diuinitatis specula, res huius mundi vniuersas, quæque hominibus tanto in precio, ac primæ ad felicitatem habentur, vt viles, ac minimas despectaretis, Deo similes, quibus rerum vniuersitas cum suis collibus, montibus, eminentijs, non nisi tuber, & nihili est vmbra. Quantoperè tibi vilescerent illicò honores, opes, dignitates, ambitio, videri, videre, æstimari? Quàm minuta apparerent, quę iam tam ingentia, ac cœlo minantia videntur,

dentur, palatia, turres, tiaræ, diademata, infulæ, Principatus, Regna, Imperia: & multo minora, ad quæ vos fortè adspiratis, Doctorũ, Consiliariorum, Assessorum, Præsidum, Officialium, Curionum, Canonicorum tituli, & officia. Adolescentes mei, vultis supra omnes res terrenas, viles, seruilesq;, quod nobilitate vestrâ, quia Christiani estis, dignum est, euolare? supra omne id, vnde ningit, pluitque conscendere? omnia infra vos habere? amico vestro credite, & hoc vnum curate, vt fides vestra qua credere debetis, omnia, quæ Deus non sunt, Deo minora esse, nec infiniti appetentem animum implere posse, sit ardens, & actuosa, vt *Granum Sinapis*. Hæc mentem à rebus istis temporalibus, & infimis abducet, atque ad cælestia & sempiterna cogitanda, amanda, persequenda, eleuabit, hominemque supra hominem extollet, cœlis inseret, mutabit in Angelum. Fides namque alarum vice erit. Ipsa enim principatum habet ex his, quorum in sublime vis fertur.

Sinapi cerebrum purgat. EST altera vis in *Sinapi*, cerebri penetratiua, nimirum, vt illud purget. Quæ virtus in sinapi est nota: nec in fide latet. Porrò cerebro capitis respondet in Anima, Mens, Ratio, Intellectus. Hic quàm spissis, ac turbidis errorum humoribus obfuscatus, planeque inuolutus fuerit, antequam cælestis Medicus, Fidem tanquam granum sinapis, omnibus propinaret, notum est, ex Sapientum huius mundi delirijs: quæ nulli medicati pulueres, nulli herbarum salubrium succi, nulla ex vnguine malagmata dissipare potuerunt. Non prudentia carnis: non sagacitas seculi: non profanorum sapientia: non ingenium Aristotelis: diuinitas, vt loquuntur eius adulatores, Platonis: doctrina Socratis: deniq; non Galeni, Hippocratis, Machaonis inuentiunculæ. At, non dissipauit solum, sed penitus discussit, & vna professionis sacræ sternutatione abstulit *Fides*, vt *Granum sinapis*. Hinc fidelibus omnibus tam perpurgatum, sine vllâ erroris nube, aut nubilo cerebrum, & intellectus.

Fides Lumen. φῶς EST hæc vis eximia, ac planè diuina in Fide, quæ nihil in mente relinquit, quod vel falsitatis vmbram habeat. Est enim φῶς, fax, lumen, quod tenebras omnes dissipat: & *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quia nemo sine illo illuminatur. *Ioan. I.* Expressit hanc virtutem Isaias capite septimo ijs verbis, quæ à LXX. Interpretibus efferuntur: *Isai. 7. 9.* *Nisi credideritis, non intelligetis*: id est, nisi fidem habueritis, cùm oppletum vobis sit falsitatis, errorumque humoribus vt nebulis cerebrum, veritatis nullam partem percipietis. Explicat eandem Cyrillus Ierosolymitanus in Catechesi 5. vbi: *Oculus, inquit, omnem illuminans conscientiam est Fides: & intelligentiam efficiens: dicit enim Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis*: Et Tertullianus lib. IV. contra Marcionem, agens de Hæmorrhoissâ per fidem, cui contactus accessit, à fluxu sanguinis sanata. Hæc ait, *erat Fides, qua contulerat quoque intellectum*, iuxta illud: *Nisi credideritis, non intelligetis*. *Matth. 9. 22.* Hinc S. Ambrosius, sermone XII. de mirabilibus, cap. XVIII. docet. Vbi fides sana est, ibi esse veram doctrinam: contra autem Tertullianus & Augustinus, rectè tradunt, eos, qui vel negligentes sunt in fide catholicâ, vel legitimam fidem deseruerunt, facilè prolabi in periculosissimos errores, vt miserrimus imperij Romani in Germaniâ status satis declarat. *Tert. lib. de Trin. August. de Agone Christ.*

Sinapisma. ATQVE hoc quidam modo *Fides*, quemadmodum *Sinapi* interius capiti medicam

medicam vim adfert. Id exterius quoque fieri per Sinapisma: id est, cataplasma ex contuso sinapis semine, chirurgiæ peritis constat. Cuius modum, vt fidei accommodetur præscribit, accuratè Mediolanensis Antistes Ambrosius. E quo libenter istiusmodi mutuamus, vt non tam profanos, quam sacros sectari videamur.

S. Ambros. ser. 2. de gr. Sinapi.

Is igitur planè Medicè, sed, vt Doctorem Theologum agnoscas, sermone secundo de *Grano sinapis*, Sicut, ait, *cum* Sinapi *caput fortè curandum est, iubemur abrasos capillos demere: impedimenta cutis vniuersa deponere; vt nudo corpori perfectius Medicina proueniat: ita & cùm anima per fidem curanda est, præcipimur substantiam à nobis seculi auferre, impedimenta auri, argentiq; deponere, vt nudæ & soli animæ congruẽtius spiritualis medicina proueniat. Quisquis enim rebus mundi, & diuitijs seculi obuolutus est, huic fidei Medicina non proderit.* Ergo, quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima.

Sinapi caput depilatum sanat.

Fides diuitibus quomodo non prosit.

Gravis censura tanti Præsulis, & quæ metum incutiat diuitibus salutarẽ: Non prodesse fidei medicinam illi, qui rebus mundi, & diuitijs seculi obuolutus sit. Itane? ergo nemo diues & seculi rebus implicatus saluabitur? horreo. Arreor Ambrosium loquutũ iuxta Magistri sui sensum. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*, Matthæi XIX. Qua audita sententia discipuli mirabantur valdè dicentes: *Quis ergo poterit saluus esse?* Aspiciens autẽ Iesus dixit illis: *Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Is & fidei medicinam ijs, qui diuitiarum cæsariem non posuerunt, applicat: nullus tamen ex ijs sanitatem consequetur, nisi saltem animo superfluitatis omnis capillum radi curarit: *Pauperum* enim *spiritu est regnum cælorum.* Animo saltem, & affectu omnibus, si non effectu terrena relinquenda sunt, ijs, qui ad Christi disciplinam adspirant.

Mat. 19. 25.

Matt. 19. 25.

Fides aufert vel impedit erubescentiam.

Porro in capite frons est, & genæ, quas partes sibi curandas propriè disposuit Fides: nimirum, vt non erubescat aduersarijs obsistere, fidei fit emplastro: quod Chrismate Confirmationis confectum, ita extimam illam superficiem indurat, vt nulli tyrannorum mallei, nulli enses, nulli aculei penetrare possint. Ridet etiam puer Confirmationis Sacramento roboratus omnem aduersariæ manus paraturam: nimirum, frontem, genasque fidei vnctus est cataplasmate. Nescio, quid simile de *Sinapi* Plinius insinuet, dum scribit: *Inungunt scabras genas, aut caligantes oculos cum melle.* Melius Christiani, fidei vnguine frontẽ.

Fidei effectus constantia.

Est Fidei effectus constantia in aduersis. *Certus sum*, dicebat Apostolus, *quia neq; mors, neque vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos separare à caritate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro*, Vnde enim certus erat nisi ex fidei firmitate, inquit S. Hieronymus. Quam multa huius rei sunt exempla? Profectò nemo facilè enumeret. Vnum habet Tertullianus ad Scapulam, Vbi, *Marcus*, inquit, *Antoninus cum persequeretur instanter in Asia fideles, omnes illius ciuitatis Christiani, ante tribunalia se manu facta obtulerunt.* Alterum commemorat Nicephorus in historia Ecclesiastica: Diocletiani tempore, cum natalis dies Christi festus adesset, viginti millia Christianorũ in templo à tyranno conclusa igni cõflagrare maluerunt quã, tantillũ à Christianę fidei stabilitate deflectere. Quamobrẽ elegãter Lactãtius:

Rom. 8. 38.

S. Hier. in cap. 1. Ep. ad 6.

Nic. lib. 7. cap. 6.

Lib.5.cap.13.

Cum ab ortu solis, vsq; ad occasum, lex diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens, & regio, vnitis ac paribus animis Deo seruiant: eadem sit vbiq; patientia, idem contemptus mortis: intelligere debuerant, aliquid in eâ esse rationis, quod non sine causa vsq; ad mortem defendatur: aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantùm iniurijs ac vexatione non soluat, sed augeat semper, ac faciat firmiorem?

Acrimonia acetosa Sinapu.

IAM à capite, aut in illo à fronte ad linguam & palatum descendamus, quæ Sinapis succum expetunt. Vulgo enim constat magnam inesse *Sinapu grano* acrimoniam, & igneam quandam vim atque efficacitatem, qua torpentem linguam vellicat, & palato languescenti, planeque deiecto medetur, ac gratum saporem excitat. Quo fit, vt omnes nationes illius semine comminuto attritoque, manuaria vel trusatili mola, affuso aceto, vel omphacio, condimenti, vel embammatis vice, vtantur. Ob hanc autem virtutem existimant tum veteres, tum recentiores, fidem, *Sinapis grano* comparari, ac si dixisset Christus: si habueritis fidem, tam ardentem, tam efficacem, tam vehementem, quam *Granum Sinapis*, nihil impossibile erit vobis. Eadem de caussa S. Augustinus scribit, Regnum cælorum simile dici *Grano Sinapis*. Nimirum, Fides non minus affectum animæ, quam Sinapi palatum corporis afficit.

Linguam & palatum vellicat.

Orig. Tract. in Matth. 4. Hiero. Beda.

Stomacho vtile Sinapi.

CVM palato autem affinitatem habet stomachus: cui *Sinapi* vtilissimum esse scribit Plinius contra omnia vitia. Quod corpori est stomachus, id animæ est pia voluntas, in qua quæ ad pietatem lecta, & audita, concoquenda sunt, caritatis igne accenso tanquam vitali flamma. Plurimos χαχοσομαχίαι pessimè torquere nihil dubito: quibus natura caloris, & caritatis Christianæ vis tam exigua, vt nihil videantur posse concoquere, maximè, si reprehensionis amarities aliqua admisceatur. Hæret, non diebus tantùm aliquot, sed & mensibus vnicum ab aduersario, vel amico prolatum minus fortasse consideratè verbulum: & quasi ferrum esset, quod tamen chamæleon consumere dicitur, stomachum grauat. Alij concoctionis virtutem habent, sed corruptam: mel ipsum in fel vertunt: salutares admonitionis cibos in noxios auersionis, & amaritudinis succos: saccarum caritatis in absynthium odij. Tales sunt, qui omnia in malam partem interpretantur, homines araneis similes, qui ex ijsdem floribus, è quibus apicula melleum, illi felleum venenatumque succum trahunt. Quibusdam, tanquam phlegma, pituita, excrementum, quidquid dicitur, in stomacho natat. Tales ad risum, iocos, fortasse & ad contumelias quicquid ab amico adfertur, accipiunt. Quid remedij? Fides, quæ stomacho vtilissima contra omnia vitia. Fide teneat Christianus: *Meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*, non solùm verbalem reprehensionem, sed & verborum castigationem, alapas, flagra, calces meliori, quàm chamæleontis stomacho concoquet, & in succum sanguinemque purissimum bonitatis conuertet. *Prou.27.6.*

Sinapi oculis medetur.

NEQVE minus oculis prodest, quod penè euolasset, Sinapi quàm membris hactenus expressis. Caligantes oculos cum melle inungi auctor est Plinius. Quid, quod lacrymas eliciat ad oculorum baptismum & cerebri purgationem? Nonne plebeia patet experientia, *Sinapis* acrimoniam, saporemque illum feruidum, ac ignitum, quem *Sinapi* defert, non sine narium vellicatione, lacrymas

mas prouocare, sicque caput sternutamento à pituita liberum reddere?

Seque lacessenti fletum factura Sinapis, aiebat ille. Et festiuè Comicus, inducens cocum loquentem:

Teritur Sinapis scelerata cũ illis, qui terunt. Priusquam triuerint, oculi vt extillent, facit.

Enn. Nec triste quaritat Sinapi: neq; cape mastum. Colum. Lacrymosa cape.

An fortasse idcirco *triste* vocatur ab Ennio, quod lacrymas tristitiæ signa eliciat? sic lacrymosam cæpam nuncupat Columella. Quid Fides? Si fuerit, vt *granum Sinapis*, sceleratorum mentes concutit, animum vrit, voluntatem inflammat, languidos, oscitantesque ad pietatis studia incitat, & accendit: sicq; commouet, vt contritionis veræ lacrymas haud magno negocio excutiat.

Ambros. serm. 11. de gra. sin.

Animadversvm id ingeniosè ab Ambrosio, & expressum eleganter *Fides*, inquit ille, *Christiana vigorem obtinet, quem* Sinapis Granum *depromit. Nam sicut cum* Sinapis *succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quadam fletus auctoritate accipimus. Illic enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, siue calor ignei saporis accendit: & toto perturbato corpore, tunc magis sani efficimur, cum amplius deploramus. Ita & cum fidei Christiana mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lacrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu, ac mœrore consequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant: illic peccatorum conscientia macerat. Hinc patrimonij iactura conturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si amplius defleamus, secundum quod ait* Dominus *: Vos plorabitis, & plangetis: seculum autem ridebit.*

Matt. 16.

Sinapi cutem exulcerat.

Illvd quoque minimè omittendum, quod obseruatum à Macrobio: Piper & Sinapi apposita cuti, illam exulcerare, in stomacho ac ventre nullam læsionem adferre. Simile quid de musto scribunt naturæ scrutatores: Videlicet, obesse conspectum, ac solo odore perceptum, epotum non ita. Creditu id esset difficile nisi accederet Augustini auctoritas, qui ita scribit, lib. 11. de moribus Manichæorum cap. xvi. *Mustum recens, si aliquamdiu in lacu manserit, aliquantumq; ferbuerit, intuentes desuper percusso cerebro, vt ebrios solet, & nisi subueniatur, extinguere. Secus, si bibatur: sic enim nunquam ebrios reddit.* Qua virtute generosum Franconiæ mustum destituitur: quod non aspicientes, aut olfacientes, sed potitantes in furiosos penè, ac delirantes transmutat. Sed quotidiana, ideoque nemini admiranda metamorphosi.

Fides exterius exulcerat.

Sed nos de *Sinapi* modò disputamus, cum quo Fidei est affinitas in hoc etiam, quod exterius solũ proposita aures sæpè vulneret, & cutem exasperet, ideoq; sit ingrata: in ventriculum, id est, piam voluntatem immissa, non læsionem adferat, sed sanitatem. *Huius grani, hoc est, Domini Saluatoris,* ait Ambrosius, vel fidei, velut Sinapis, *acrimoniam ac amaritudinem Iudæi minimè sustinentes, cùm ijs à cæco Christi virtute illuminato affricaretur, contempserunt succum cælestis disciplinæ accipere, dicentes cæco: Tu sis discipulus eius: nos autem Mosis discipuli sumus.* Ser. 11. de grano. Ioan. 11.

Fidei asserta exasperant cutem.

Qvam illa sunt exterius solùm applicata cutem sensualitatis exasperantia? *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã & sequatur me.* Matth. xvi. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: Qui autem perdiderit animam suam, propter me, inueniet eam.* Quantoperè exulcerant ista? *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus,* Lucæ xiv. Quantoperè illa vulnerant? *Arcta* Matt. 16. 24. Luc. 14. 26.

via

via est, quæ ducit ad vitam Matth. VII. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Matth. XI. Quantoperè pungunt ista cuti admota? *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, ad Ephesios IV. Quantoperè illa fodicant? *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.*

Matth. 7. 14.
Matth. 11. 12.
Ephes. 4. 22.

Sinapi in ventriculo haud incommodum. VERVM, *Sinapi* ita cutem exulcerat, vt in ventre nullam læsionem causset. Imbibatur fides, foueatur in animo, ardeat, vt granum sinapis: hæc ipsa cutem exasperantia, dulciora erunt super mel & fauum. Non solùm non facient amaricari ventrem, sed quicquid in eo amarum, in dulcorem vertent. Testes tot religiosæ familiæ, in ijsque numerosa hominum sodalitas: quibus hæc, & his grauiora, ac mundanis acerbissima, sunt mera dulcedo: quam si degustarent seculi mancipia, eius allecti suauitate, vt sentiebat Laurentius Iustinianus, Patriarcha Venetus, ac Religiosæ vitæ lumen, relictis mundi commoditatibus, si quæ sunt, cateruatim ad religionis claustra peruolarent, & mundus exhauriretur.

Fides in animo non cruciat.

Auribus medetur Sinapi fidei. CETERVM, & auribus etiam tandem medetur fidei sinapi. Sunt quorundam aures incircumcisæ, sunt obturatæ, perfidiâ, aut obstinatione: sunt plenæ sordibus curiositatis: sunt tinnientes vanitate: sunt aggrauatæ peccatorum multitudine: sanantur momento temporis, si fides, quæ ex auditu, meatus purget, ijsq; vt *Sinapi*, adhæreat.

Dentibus prodest Sinapi. PENE de dentibus excidisset quod habet Plinius: *Ad dentium dolorem manditur.* Spirituale dentium significatum præclarè exequitur Bernardus sermone LXIII. inter paruos. *Dentes*, ait, *candidi sunt, & fortes, carnem non habent, carent corio: nihil inter se pati possunt: non est dolor, sicut dolor eorum: clausi sunt labijs, ne videantur: indecens est, cùm videntur, nisi ridendo: toti corpori masticant cibum: nullum inde saporem habent: non facilè consumuntur: per ordinem positi sunt; superiores alij, & alij inferiores, &, cum inferiores moueantur, superiores immobiles persistunt.* Huiusmodi dentes arbitratur Bernardus homines esse monasticæ professionis, quibus dentium proprietates omnes symbolicè conueniunt. *Religiosi dentes.*

QVID *enim illis candidius, qui totius immunditiæ spurcitiæ euitantes, cogitationum, sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantiâ ducitur?* Isti carnem non habent, *quia in carne carnem obliti, audiunt ab Apostolo*: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, *ad Romanos* VIII. Corio carent, *quia nitorem, & distentionem mundanarum solicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt.* Nihil morari inter se patiuntur: *quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientijs singulorum.* Non est dolor, sicut dolor eorum: *quia nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur, & dissensio in congregatione.* Clausi sunt labijs ne videantur. *Sic religiosi materialibus vallis circumcinguntur, ne secularium oculis, & accessui pateant.* Indecens est, si appareant: nisi interdum fortè ad risum: *quia nihil turpius, quam Monachus per vrbes & castella discurrens; nisi cum illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorum, Caritas: hæc risus quidam est, quia hilaris: læta, non dissoluta.*

Toti corpori masticant cibum dentes: *quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore, videlicet, tam viuis, quàm mortuis orare sunt constituti.* Nullum inde saporem habere debent: *nullam sibi gloriam adsignare, sed dicere cum Propheta*: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ps. 93.* *Non facilè consumuntur, quia, quanto annosiores,*

tanto

tantò feruentiores: & eò rapidius currunt, quò vicinius appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt: *vbi enim aliquid ordinatum, si hic non est, vbi cibus, & potus; vigilare, & dormire; laborare, & quiescere; ambulare, & sedere, & cetera omnia, in numero, & mensurâ, & pondere constituuntur:* Superiores & inferiores sunt: *quia inter eos prælati & subditi sunt: & sic superiores inferioribus iunguntur, vt inferiores à superioribus non discordent.* Cùm autem inferiores moueantur, superiores nunquam moueri debent: *quia etsi subditi quandoq; turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare.*

Iusti vniuersè dentes. Hi ergo dentes sunt corporis mystici, sensu Bernardi. Hos non excludimus: sed magis vniuersè, Iustos omnes, dentium nomine, significamus, candidiores niue; nitidiores lacte; constantiâ fortes; non in carne, sed in spiritu ambulantes; sine corio mundanæ solicitudinis; sine offensâ & scandalo, quod nullum inter ipsos & proximos: ritè, & ordine facientes omnia: solitudini, vel in medio foro assueti, quippe semper secum habitantes: alieni à sapore mundi: masticantes meditationis dentibus verbum Dei, pro tota fidelium congregatione: nihil inde laudis appetentes: subditi Deo: subiecti superioribus; nulli se indebitè præferentes: obsequiosi: moueri perturbationibus nescii. Horum doloribus, quibus nullus est similis, ne quidem parturientium, medetur fidei *Sinapi*. Est sanè dolor maximus, à Christo elongari: sed Iustus in fide, & ex fide viuit: fide se consolatur: fide aduersitates, calamitatesque mitigat.

Capiti mystico succurrit fidei Sinapi. Ad capitis Medicinam, sed mystici, hoc quoque pertinet, quod monet S. Ambrosius illa verborum complexione. *Per* Sinapi *medicina capiti procuratur: per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus Dominus, sæpè refouetur.* Docet namque fides verissimum esse illud Domini enunciatum. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere, & venistis ad me,* Matthæi xxv capite. *Matt. 25. 35.*

Sinapi calefacit viscera. Eivsdem Episcopi est ista comparatio. *Granum Sinapis* membrorum viscera calefacit: *Fidei autem vigor, cordium peccata comburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet: hæc autem diabolicum delictorum frigus expellit.* Est inter fidei effectus præcipuos, frigoris peccati expulsio: id est, vt clarius dicam, Iustificatio, vel iustitia, quę est calor animæ. Et siquidem sit fides viua, ac perfecta per caritatem, perfecta est iustitia, quæ est animæ calor: sin minus: saltem imperfecta est, ac inchoata. Clarissimè enim multis locis Apostolus ostendit, Fidem esse caussam iustificationis. *Arbitramur*, inquit in Epistola ad Romanos cap. iii. *hominem iustificari per fidem.* Vt ad Ephes. ii. *Salui facti estis per fidem.* Ad Hebræos xi. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Idem Sancti, ac antiqui Patres frequentissimè occinunt. S. Ignatius epistola ad Philippenses: *Principium vitæ est fides: finis verò, eius dilectio.* Ambæ autem simul iunctæ hominem perficiunt. Clemens Alexandrinus lib. ii. Stromatum, citans Pastorem: *Præcedit*, ait, *fides: timor ædificat: perficit dilectio.* Ambrosius in psal. cxviii. Serm. xx. *Fides principium Christiani est: plenitudo autem Christiani iustitia.* Augustinus sermone xvi. de verbis Apostoli. *A Fide incipit homo: sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem, & caritatem.* Iterum Sermone xxii. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* *Epist. ad Rom. 3. 28. Eph. 2. 8. Heb. 11. 6.*

Fides remissionem peccatorum impetrat.

ALIO modo Fides frigus peccatorum expellit, quatenus criminum condonationem impetrat. Id apud Theologos indubitatum est. Sanè Christus D. apud Lucam cap. VII. mulieri, cui dixerat: *Remittuntur tibi peccata tua:* illud adiunxit: *Fides tua te saluam fecit.* Et Apostolus, epistolâ ad Hebræ. XI. capite, multis exemplis docet: homines per fidem placuisse DEO, haud dubiè, remissione peccatorum impetratâ. S. Petrus quoque Actuum XV. *Fide*, inquit, *purificans corda hominum.* S. Augustinus verò constanter docet: Fidem non solum impetrare, sed etiam mereri (intellige, saltem de congruo, vt loquuntur Scholastici) remissionem peccatorum, ac iustificationem. Nam in epistola ad Sixtum, quæ est CV. *Nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat:* DEVS propitius esto mihi peccatori: *& descendit iustificatus merito fidei humiliatus: quoniam, qui se humiliat, exaltabitur.* Idem doctissimus Pater, lib. de Spiritu ac littera sic scribit: *Quod factorum lex minando imperat; hoc fidei lex credendo impetrat.*

Luc. 7. 47. *Heb. 11. 4.* *Act. 15. 9.* *Luc. 18. 14.* *L. de Sp. ac lit. cap. 13.*

Christus fidem ab infirmis exigit.

AN fortasse idcirco Dominus fidem illorum explorabat, aut potius ab ijs exigebat, quos corporaliter sanabat, indicans, animæ Medicinam esse fidẽ? Quod initio etiam diximus. Audi Athanasium sermone de Passione Domini *Si quis* Medicus *ingressus ad ægrotos prius sciscitetur an velint curari, ne dum ipse curam susceperit, & ipsi nolint, inutilis existat curatio: nimirum ijs, qui laborant, aduersus artem* Medici *pugnantibus: Ita Dominus eos qui sanitate egebant, percunctabatur de fide, nec nisi fidentibus conferebat beneficium, vt per fidem, ac beneficium conseruari possent. Per fidem certè dignoscitur animi propositum.*

Non posse autem criminum intemperiem expelli ex animâ, nisi per fidem, DEO confitebatur Augustinus iam fidelis, qui infidelis *Medico* suo refractariè restiterat. *Sicut*, inquit, *euenire assolet, vt malum* Medicum *expertus, timeat etiam bono se committere: ita erat valetudo animæ meæ. Quæ vtique, nisi credendo, sanari non poterat. Et ne falsa crederet, curari recusabat, resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti, & sparsisti per morbos orbis terrarum, & tantam ijs auctoritatem tribuisti.* In eandem sententiam S. Chrysostomus in primæ ad Timotheum cap. I. *Fide ad istud opus est: nimirum, ad capiendam* DEI *dispensationem, ad obtinendam remissionem peccatorum, ad curandam animam: ea enim animarum* Medicamentum *est maximum, ac saluberrimum.* Et D. Amb. lib. III. de virginibus: *O virtutibus omnibus corporis* Fides *fortior!* ô Medicis ac Medicinis *omnibus salutarior!*

Li. 6. Conf. cap. 4.

Sinapi omnibus sensibus conducit.

SED ad comparationem cum *Sinapi* redeamus. Sensibus omnibus prodesse *Sinapi* illud Plinij declarat: *Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacunque corporis ex alto vitia extrahenda sunt, illitum, caustica vi emendat.* Illud item: *Semen ac radix, cum immaduère, musto conteruntur, manusque plenæ mensura sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusque omnes.* Eadem fidei est facultas. Neque enim vllus est in homine sensus, aut potentia, quam non vna fides ab omni mala affectione, igneâ quadam vi liberet, & pristinæ sanitati restituat.

Sinapi contra serpentum ictus.

ADHAEC, singularis vis est in *Sinapi* contra serpentum ictus, & fungorum venena. Ad illos enim, referente Plinio, vti & scorpionum, tritum cum aceto illinitur. Maior ad hæc in Fide residet. Quam experti sunt Hebræi, quos à serpentibus ictos, sola in eum, qui ser-

pen-

pentis in morem exaltandus erat in ligno, fides sanauit. *Etenim, neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*, Sapientiæ xvi. Hanc in fide virtutem notauit S. Chrysostomus. *Si*, ait, *adamantina, & incorruptibilia nobis corpora essent, neque scorpios, neque serpentes, neque ignem manibus formidaremus complecti. Sic cùm animas nostras tali fide Christus armauerit, non est, quod timeamus etiam hostium tenentes venena. Nobis est enim concessum ambulare super serpentes, & scorpiones, & omnem Diaboli tyrannidem: multò autem magis super teredines, & scarabaos.*

Sap. 16.12.

Sinapi hydropicis medetur.

Hydropicis etiam imponi *Sinapi* auctor est naturalium scriptor. Ego verò existimo nullo medicamento melius, citiusque curari spiritualem hydropem, quam fidei malagmate. Quam istud est efficax? *Væ vobis diuitibus.*

Superbiam contundit granum Sinapis.

Ad Superbiæ autem tumorem auferendum validissimum est *Sinapi granum*. Ita Hieronymus & Beda commentario in Matthæum, Augustinus. lib. 1. quæstionum euangel. & alij, explicant illud: *Si habueritis fidem sicut* granum Sinapis, *dicetis monti, transi*: id est, superbiam humanã transferetis, atque superabitis.

Matth. 17. Aug. l. 1. q. euan. c. 29.

Fides medicamentum vniuersale.

Porro maior est fidei quàm Sinapis, vel vllius alterius medicamenti virtus. Quod non membrorum solùm omniũ, sed & morborum vniuersalis sit Medicina, vt initio ex D. Hilario probauimus. Et liquet Theologis, qui non ignorant, fidei veræ effectus, esse virtutes omnes bonaq; opera: hoc est, vniuersalem infirmitatis cuiusque sanitatem. Vt meritò Chrysost. *Fidem* generatim vocet, *bonorum matrem, salutis Medicinam*. Exemplis id constat ab Apostolo, epistolâ ad Hebræos commemoratis. Scribit enim, fide Abel Deo hostiam obtulisse: Noë arcã aptasse: Abraham obediuisse, & vnigenitũ immolare voluisse. Mosen fide animatum, magis elegisse affligi cum populo, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: Fide Rahabam meretricem excepisse exploratores: Gedeonẽ, Barach, Sampsõn, Iephte, Samuelem, Prophetas, vicisse regna, operatos iustitiam, obturasse ora leonum, extinxisse impetum ignis. Deniq; bonorum omnium factos participes.

Hom. 21. Ep. ad Hebr.

Qvamvis autem ad tot vsus, quos antea indicauimus, *Sinapi* sit accommodatum, præcipuam tamen inde commẽdationem trahit, quod nauseanti palato sit gratũ embamma. Sed multò gratius est intellectui ac volũtati Fides. Laborat sæpè vtraq; potentia rerum salubriũ ac necessariarũ nausea: nullus in iis excitari potest ad cibos salutares appetitus: fastidium parit quicquid apponitur, quod vitam spiritualem nutrire deberet, vellicat ardore suo fides intellectũ: in voluntate affectũ, tanquam orexim excitat, vt quod desipiebat anteà, suauissimè sapiat, hoc ad omnia accõmodato embãmate.

Mensa Eucharistica.

Exemplo res fiet clarior. Parauit Christus omnibus ea frui volẽtibus mẽsam quolibet ciborũ genere refertissimã. Eucharisticam eã vocamus, supra omnẽ cænã saliarem, auguralẽ, pontificalẽ, triumphalem, instructam ac dapsilẽ. In eâ capitalis portio est, niueus quidam orbiculus, azymi frustulũ, omnis in se continens saporis suauitatẽ. Accedat aliquis, & vescatur, sine Sinapis huius, i. e. fidei intinctu, tã erit illi insuauis, & insipidus bolus, vt nõ secus, ac illi, qui colocyntidas siluestres imprudẽter gustauerãt, exclamaturꝰ sit, *mors in olla, mors in olla. Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Detur alteri, adiũcto fidei, vt *Sinapis*, illinctu, ille, ille idẽ bolus, rabidã facturus orexim, ita palatũ afficiet, vt sẽper gustare optet, nũꝗ

Lib. 4. Reg. 4. 39.

satietur, lambat labra & exsugat, sicubi ex tortula illa particulam adhærere suspicetur: collum etiam gruis nimis breue indicet ob saporis diutius percipiendi desiderium.

Lactucæ agrestes. AN hoc fortassè symbolicè fuit significatum, dum DEVS præcepit Iudæis, vt cum Agno paschali comederent *Lactucas agrestes*, Exodi XII. vel, vt est Numerorum IX. *Cum amaris:* seu, vt habet S. Ambrosius, *cum amaritudine.* Nimirū, condimēti genus erat ex nigrioribus, ac amarioribus lactucis, fortasse & intybis, raphanis, alijsque similibus tristioris succi oleribus: quale hodieq; à Iudæis fit ad eam spissitudinem, modumque quo *Sinapi* apud nos in tryblijs mensæ apponi solet. Agnus itaque paschalis illi minimè sapiebat, cui amaritudinis hoc edulium palatum non infecerat. *Non autem, sicut illi putant*, scribit Ambrosius, *iussit herbarum vilium acerrimos succos cum assu Agni carnibus manducari; sed mandatorum Christi vtiliter amaros sermones præcepit cum ipso Sacramento passionis dominicæ deuorari. Nonne enim amari videntur sermones Domini, cum dicit:* Si vis perfectus esse, relinque omnia tua, & veni sequere me, Matthæi XIX. *Et cùm dicit:* non habendas duas tunicas, neque peram, neque calceamenta. *Amaritudo ista sermonum*, Medicina *est animarum.*

Exo. 12. 8.
Num. 9. 2.
Serm. 11. de Gran.
Sinapi in tryblijs.

Christus de corporis esu agens. NON venit vobis iam in mentem quid Iudæis olim contigerit? Multa ijs Christus Dominus de cibi huius præstantia, ac suauitate prædicebat: multa de eius efficacia, multa de admiranda illius virtute exponebat. Illius effata erant: *Panis* Dei est, *qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Caro mea verus est cibus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sed quoniam non habebant fidem, sicut *granum Sinapis*; neque hac conditura propositum sibi cibum aspergebant, murmurabant de Christo, quia dixerat: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, & dicebant: Nonne hic est Iesus Filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic quia de cælo descendi?* Aperit caussam Christus cur ijs tam insulsus esset hic panis. Quia Pater cælestis fidei embamma per efficacē gratiam non appposuerat: vel potius, quia in illud panem suum intingere recusabant. *Nolite murmurare in inuicem, dicebat Dominus. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Nempe nemini dulcis est panis Eucharisticus, qui fidei condituram non habet. Hanc autem cælestis Pater apparat, animæ, palatique languentis optimus Medicus. Adiungit Christus: *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Ad hunc videlicet cibum festinat, cuicumque gustum fidei, *Sinapi* irritauerit.

Ioan. 6.
Ioan. 6. 41.

QVAPROPTER ex Discipulis quoque fuerunt, imprimisque Iudas Iscariotes, quibus, quia hunc fidei, tanquam sinapis illinctum non adhibebant, Christo panem cælestem offerente, videbatur panis fellis & afflictionis: ἄρτος κακώσεως, & ἄρτος ταλαιπωρίας. *panis miseriæ,* vt loquitur sacer textus de azymo, cum esse debuisset mellitus, ac suauitatis; Multi audientes ex Discipulis eius, dixerunt: *Durus est hic sermo: & quis poterit eum audire?* Cur tam durus? & quibus? Demonstrat Christus, caussa eius rei reddita, eo inspirante, ab Euangelista: *Sciebat ab initio* IESVS, *qui essent non credentes: & quis traditurus esset eum: dicebatque: Sunt quidam è vobis, qui nō credunt, & hi abierunt retro: & iam amplius cum ijs non ambulabant.* Illis autem quibus fidei acrimonia gustum acuerat, cibus iste mera erat suauitas. Siquidem interrogati à Christo: *Nun-*

Discipuli scandalizati.
Deuter. 16. 3.
Ioan. 6. 61.

Nunquid & vos vultis abire? respondit Simon Petrus omnium sensu: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus quia tu es Christus Filius DEI.* Hoc iusculum si expetiuisset Iudas, dum illi Christus intinctum panem obtulit, profectò post buccellam non introijsset in illum Satanas; sed medicinali pastus placentulâ, perfectam sanitatem consequutus, in alterum fuisset mutatus hominem.

Ioan. 6. 70.

Quibus sit insulsum Dei verbum.

Cvr tibi tam insulsum videtur DEI verbum, quod non minus animæ est, quàm panis corporis cibus? *Non* enim *in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* Nimirum deest *granum Sinapis.* Si fidem haberes, illâque palatum vellicares, nihil eodem esset sapidius. Cur ad pœnitentiæ vel sonum nauseabundus penè expuis? Non adhibes fidei sinapi. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quid ita ieiunium horres, quo magis anima, quàm adipe & pinguedine corpus saginatur? Si haberes fidem sicut *granum Sinapis*, suauius tibi saperet ieiunium, quàm ingurgitatio: imbibesia, quàm ebrietas.

Nationes erga Eucharistiam maxime affecta.

Opportvne hic in mentem mihi venit, nationum quarundam discrimen, à me nonnunquam, & ab alijs quoque, vt suspicor, notatum. Est autem istud. Vbi fides illibata, quæ cum lacte materno imbibitur, Principum diligentiâ, & seueris legibus conseruatur, etiamsi grauia quædam, & planè enormia, ac quæ humanam ferè malitiam superare videntur, ab aliquibus committantur: tamen sceleratissimi quique promptè, magnaque alacritate ad pœnitentiæ & Eucharistiæ remedia conuolant: iniunctas sibi à Confessario satisfactiones, abstinentiam, ieiunium, humicubationem, peregrinationes, cilitia, funes, flagra, catenas non grauatè suscipiunt: imò spontè adsumunt: crimina à se commissa, effuso etiam sanguine expiant: orant, instant, vrgent, vt cælesti pane vesci liceat. Quę caussa? sapit ille cibus, habent fidem, vt *granū Sinapis.* At verò, vbi auita maiorum fides iacet cōculcata, languet religio, friget maiorum pietas, etiamsi fortasse tam grauiter non peccetur à multis, horrent tamen, quâ maximè indigent, paratam ægris medicinalem pœnitentiæ ac Eucharistiæ mensam: adduci non possunt ad confessionis, communionis, satisfactionum certissima subsidia. Quæ caussa? Desipiunt ijs omnia, quia non est fides, vt *granum Sinapis.* Est itaque illa fidei cum *Sinapi* communis virtus, vt languescentem stomachum excitet: illa mentis, hoc carnis, & saporem eliciat. O adolescentes! fidem vestram excitate, & accendite, si diuinæ suauitatis gustum aliquem desideretis.

Dvo quædam etiamnum supersunt hic oppidò notanda. Prius est: Fidei medicamentum non esse efficax, nisi calore natiuo concoquatur. Quis ille calor? Caritas. Obseruauit hoc Cardinalis Bellarminus cōcione quadragesima prima, vbi hunc in modum differit. *Qui sunt artis medicæ periti, nonne dicunt, Medicamenta nullam vim in corpus adfectum habere, nisi à naturali calore formentur, & tanquam animentur. Sanè, hoc dicunt: imò verò, nemo non dicit, qui magnum illum Hippocratem diligenter lectitarit: qui asserit, Medicamentum non esse id, quod curat: sed naturam, quæ pharmaco, tanquam instrumento vtatur ad curandum.* Ita igitur & fides non operatur, nisi ab illo viuo, ac diuino igne caritatis, quasi vitam recipiat. Hoc modo explicatur illud ad Galatas V. *Fides per dilectionem operatur.*

Posterivs est: Res fidei, sicut pilu-

Res fidei, vt pilulæ. las sumendas esse, quæ non manduntur, sed degluciuntur: si masticentur, os amaritudine implent. In homine interiore os est mens. *Aperi os tuum,* inquit DEVS, *& implebo illud.* Ad intellectum pertinet deglutire veritates fidei, quas, si quis rationis humanæ dentibus conficere tentet, ac examine diminuere, statim amarescent, ac sumentibus nauseam parient, illasq; non valens concoquere, euomere cogetur. Quod remedium? vt clausis oculis in intellectum, vt stomachum, transmittat, vbi calore caritatis exceptę ac fotæ, animæ salutem adferunt.

Ioan. Carthag. lib. 9. Homil. 3. Ezechieli dicebat DEVS: *Comede volumen istud.* Finge respondisse Prophetam, inquit eruditus huius seculi concionator: *Domine antequam comedā, singula reuoluam, nā omnia pellegere, ac intelligere, quæ in eo scripta sunt, prius volo: si id facere non conceditur, librū comedere recuso.* Talia si dixisset Propheta, contra obseruantiam DEO debitam deliquisset. Quare audita DEI voce, subitò has fidei pilulas transmisit. Hoc ipsum faciendum Catholicis, dum audiunt: *Accipite & mādu cate: Hoc est corpus meum.* Nec opponendum Pharisaico more: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandū?* Quomodo caro potest esse mentis cibus? Quomodo totum Christi corpus intra paruæ hostiæ orbiculū includitur? Quomodo ad fractionem hostiæ corpus non frangitur? His obiectiunculis fidelis, ac verè pius, locū dare non debet, sed captiuans intellectū in obsequium fidei, clausis oculis rationis humanæ, medicinalem pilulam deglutire, vt volumē sibi porrectum Ezechiel. Credere oportet Christo dicenti: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.*

CÆTERA reseco, vt finem tandem inueniat Commentatio hodierna, cuius ille sit fructus, vt omnes intelligant, ac secum diligenter perpendant: quàm benè prouisum sit Christianis à cælesti Medico, qui tot medicamentorum virtutē in vno fidei amuleto conclusit. Felices vos, si in omni ægritudine, fidem sicut granum sinapis adhibueritis.

NOTAE.

§. PARABOLA, vt pomum aureum. *Lege præter interpretes Prouerbior. Ioannem de Pineda Lib. III. de rebus Salomonis cap. 16. vbi ex hac comparatione docet, Parabolam exigere artificium quoddam subtilissimum ex compositu, & reticulatis verbis, sub quibus lateat sensus preciosissimus. Sed reticulum oportere esse ex argento: nimirum scientia aliqua naturali, aut proprietate, vel metaphorâ opportunâ aliquâ ad sensum occultiorem significandum. Vocantur illa theca lectus, quia in eo quasi quiescit pomum. Vel dici possunt Parabolæ similes thecis, & repositorijs, abacisue supellectilis aureorum vasorum Salomonis, quæ ianuis reticulatis argenteis clauduntur, & per cuius foramina, aurea illa supellex videri poterat.*

FIDEM sanam *vocat Augustinus, contra Petilianum, & habetur* XXIII. *Quæst.* V. *fortasse, effectiuè quia sanitatem parit, tanquam Medicamentum.*

Triuer. Aphoph. XX. Amuleta depellunt omne incantamentum, & effascinationem: integra verò Fides elidit omnem superstitionem ac temeritatem.

Alphonsus Salmeron obseruat: Quemadmodum Medicina non efficit sanum formaliter, licet per eam sanitas efficiatur: nec labor formaliter facit diuitem, quamuis labore ac industria opes acquirantur. ita Fidem, quæ præcedit remissionem peccati, non esse id, quo quis iustus est

*stus est formaliter: sed per quod, quis fit iustus. Tom.*11.*Tract.*XXV.

Fide *Catholica à rege integrè suscepta, mox eius filius cum toto populo liberatur à lepra & perfidia. Greg Turonens. lib.* 1. *mirac. cap.*11.*Baron.Tom.*VII *anno* DLX. *Antonius Dauroultius in catechismo historiali, cap.*1. *titul.*XV.

Alivd *fidei Symbolum, quo medica illius vis declaretur, est HYSSOPVS, vt docet Augustinus. Quæstione* XXXIII.*in lib. Numer. Est ea herba medica, quæ* Primò: *firmissimè adhærescit petræ: fidei fundamentum est Christus, mystica Petra, cui innititur.* Secundò: *visum acuit. Fides est lumen, sine quo nullus est in diuinis hoc mortalitatis tempore securus visus.* Tertiò: *caput purgat, pectus, pulmones, vicinasq; partes: ita fides ab erroribus mentem.* Quartò: *Hyssopus medetur serpentum ictibus. Fides serpentinis inimicorum capitalium insusurrationibus, & adflatibus.* Quintò: *Hyssopus purificationi, & emundationi à veteribus destinabatur. Certè Plinius non benè mundatos quosdam putasse scribit veteres, nisi hyssopo aspergerentur, prius quam templa intrarent. De Fide pronunciatum habemus à Petro:* Fide purificans corda eorum, *Actuu.*XV.9.*nimirum licet sola fides ad plenam purgationem, & sanctitatem animæ non sufficiat; tamen purificatio cordium illi meritò tribuitur: quia prima est ad iustificationem dispositio, quæ sordes errorum, falsarumque de* DEO *opinionum tenebras, ac de rebus diuinis dispellit. Legendus Ioan. Lorin. in psalmum quinquagesimum. Iulius Mazarinus, oratione* LVII.*in psalmum* Miserere. *Petrus Berchorius, Tom.* 1.*lib.* XII.*cap.* 80. *Leuinus Lemnius de herbis bibliacis.cap.*XXVI.

Alivd *Symbolum fit* RESINA. *Vide S. Ambrosium lib. de Ioseph Patriarcha cap.*3.

COMMENTATIO II.

DE

Caritatis vi Medica.

In quâ ostenditur, Leges Dei omnes, & signatè, præcepta Decalogi esse Medicamenta quædam simplicia, certis animi morbis expellendis præscripta. Horum autem omnium vim, efficaciam, ac energiam contineri in Caritate, tanquam medicamento composito. Nec tantum Medicamentum esse Caritatem: verùm etiam Emplastrum. Imò Vinculum, ex eorum genere, quibus membra luxata, aut diuulsa fasciantur.

Dominica XVII. post Pentecosten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: & ex tota anima tua: & ex tota mente tua.

Dili gens

Diliges proximum tuum sicut teipsum.
In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Propheta. Matth. XXII. 37.

Medicamenta simplicia & composita.

AVXILIORVM medicinalium, quæ prosunt bonæ valetudini conseruandæ, aut recuperandæ, alia sunt *simplicia*: id est, à reliquorum concretione libera, & impermista: quorum materiam subministrant plantæ, earumque, & arborum præsertim fructus varij, animantes, terra & aqua: seu, quæ in his duobus elementis generantur: alia *composita*, quæ ex simplicium diuersorum, certâ cum temperie, ac proportione instituta comparatione commistioneque resultant. Species, ac singularia horum generum recensere non attinet: cùm infinita penè sint, quæ cognitionem mortalium, vel certam saltem enumerationem effugiant. Hoc nostri est propositi asserere: nullum compositum Medicamentum in pharmacopæorum officinis, reperiri, cuius ad compositionem simplicia omnia concurrant: proindeque nullum extare, quod virtutem cunctorum contineat.

In cælesti officina plurima simplicia medicamenta.

CVIVS oppositum animaduerto in medicamentaria cælestis Magistri tabernâ. In quâ, licet non pauciora sint simplicia remedia, quibus anima ad sanitatem proficit, quàm quæ tot pyxidulis, cucullis, myrothecijs herbariorũ condi, solent, tamen, quod mirandum, vnicũ etiam est Medicamentum, quod ex omnibus compositum, omnium in se virtutes continet, perfectius multò, quàm elementorum vires in mistis esse, constans est apud Philosophos opinio. Dicam hoc explanatius, & ad hodierni Euangelij illustrationem, vt spero, accommodatè. Attendite.

Vnum compositum ex omnibus.

MEDICINAE spiritualis conditor, dedicatorque DEVS, vt hominem, quem quasi solum sibi curandum sumpserat, in optimâ valetudine, vel conseruaret, vel ab ea deiectum, reduceret, varia manibus ipse suis confecit medicamenta. Ita mandata ipsius voco, & leges: siue lapidi, digito DEI, vt optimo scalptro incisas: siue cordibus humanis, diuini spiritus calamo, vt rasis antea tabulis inscriptas: siue ad pennam quadantenus auditoribus suis, Patriarchis, Prophetis, Doctoribus dictatas, & ad æternam posterorum memoriam Codici sacro, & immortalitati concreditas. Leges enim omnes, tam DEI, quàm hominum, vices illius gerentium, cùm Ecclesiasticas, tum ciuiles, animorum Medicinas esse propria commentatione demonstrabitur, nunc ponatur dicentis fide.

Leges, DEI varia Medicina.

HARVM Medicinarum diuersa erat vis & efficacia ad varios morbos curandos: singulæ peculiaribus destinatæ erant malis, tanquam eorum antidota. Infidelitatis cæcitati Medicina data erat: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, vt adores illud.* Impietatis delirio, quo blasphemi, periuri, similesque, vt phrenetici, dementantur: *Non adsumes nomen DEI tui in vanum.* Torpori, acediæ, & pigritiæ in diuinis letargo: *Memento vt diem sabbathi sanctifices.* Serpenti malo inobedientiæ, & rebellionis carcinomati: *Honora patrem tuum & matrem tuam:* Odij, rancoris, irę, indignationis, similiumque pestium noxijs inflammationibus, ac febribus: *Non occides.* Libidinis fœdæ tabi, ac exulcerationi: *Non mœchaberis.* Hydropi auaritiæ *Non furtum facies.* Exitiali linguæ verminationi: *Non loqueris contra proximum falsum testimoniũ.*

Præcepta Decalogi Medicinæ.

Por-

Perniciosæ cordis gangrænæ, & malignis appetitûs, voluntatisque deprauatæ vlceribus: *Non concupisces vxorem aut rem proximi tui.* At difficile est tot diuersis medicinis mentem suo tempore accommodare: seruare singulas præcipientis Medici regulas: in nullo, siue excessu, siue defectu delinquere. Ea propter optandum erat, omniumque votis expetendum, vt in vnam virtus tot medicinarum colligeretur: quæ quolibet loco, tempore, occasione, morbis quibuslibet curandis adhiberi posset.

Caritas Medicinarum com

Id quoque visum expedire Medico cælesti: qui, vt in hominem, quicquid erat totâ vniuersitate sparsum, coniecit, vt in eo naturæ maiestas omnis in arctū collecta cerneretur: ita Legem Caritatis, velut Medicamentum, apparauit: in quo vno virtus omnis, per cetera diffusa, iungeretur: sicque legum humanarum, diuinarumque vniuersarum vis in vnum coacta, validissimum esset ad vitia omnia, per totam animam longè, lateque grassantia, medicamentorum auxilium. Huc tendit tota cælestis Medici de Mādato caritatis disputatio. Quod idcirco *Magnum* vocat, quoniam complexu suo arcet alia omnia. Nominate mihi morbum aliquem, in quacunque hominis interioris parte, cui à Caritate, breuissimo tempore, præsentaneum non adferatur remedium. Nominate medicamentum, cuius vis non sit perfectissimo modo in pharmaco Caritatis. Vultis, vt id breui per omnia penè legum medicamenta excursu demonstrem?

Laborabant olim plurimi lippitudine, vel ophthalmiâ inscitiæ, quæ caussa esse solet infidelitatis, dum non agnoscit homo, sicut deberet, bonorum omnium largitorem. Huic malo præscripserat Medicus remedium: *Vnum cole Deum. Non habebis Deum alienum.* Sed validius ad hanc oculorum nebulam dissipandam est medicamentum præcepti Caritatis, vel emplastrum dilectionis. Quod si applicetur mentis oculo, nube omni inscitiæ discussâ, irretortum, instar aquilæ in solis iubar, cæcus anteà, vibrabit. *Diligendo proximum*, inquit Augustinus, *purgas oculum ad videndum Deum* Præit quidem lux aliqua intellectus voluntatem operantem, sed hæc illum deinde mouet, applicatque, vt diligentius consideret, ac melius illustretur. *In Ioan. c. 5. tract 15.*

Praeclare B. Maximus monachus, cuius extant spiritualia quædam opuscula *libro secundo de Caritate. Quemadmodum solu lumen sanum oculum ad se trahit: sic Dei cognitio sanum mentem per caritatem naturaliter ad se pertrahit.* Date aliquem qui verè, & ardenter amet, totus erit in amati contemplatione occupatus: illius omnia inuestigare contendet: nunquam à perscrutatione, donec penetret vniuersa, desistet. *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*, de medicamento caritatis potissimum est dictum. *Non modò lex*, inquit Cardinalis Caietanus, *appetitui recta, & iucunda est voluntati, verùm etiam intellectui clara, sine ambage aut perplexitate disputationis.* Addit Hesychius. *Absque necessitate interpretationis.* Quod de lege Caritatis Dei, ac proximi intellige. *Dei cognitio sanat.* *Praeceptum Dei lucidū. Ps 18.9.*

Domine, *declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, psalmo cxviii. Aufert velamen ab oculis qui transformantur; quod amor facit: cuius virtute transformamur *de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, vt Paulus loquitur, scribens Corinthijs. Postquam incipit amari Deus, accendit in mente caritas lumen, quo percipiatur voluntas Dei; dispiciantur bona, ac mala, tandem, mysteria intelligantur. Mandatum *Sermo Dei illuminat. Ps. 18.130.* *2. Cor 3 14.*

datum de caritate *lucerna est: & lex, & lux*, vt est Prouerbiorum VI. *Praecepta Domini lux sunt super terram*, Isaiæ XXVI. secundum lectionem septuaginta Interpretum: vbi nos legimus: *Anima mea desiderauit te in nocte. Lucerna pedibus meis verbũ tuum, & lumen semitis meis*, inclamat Dauid. Quod de verbo Caritatis signatè accipe. Vnde idem: *A mandatis tuis intellexi.* Sermo quidem omnis Dei mundos facit, ipso teste Christo, apud Ioannem; sed ille maximè, qui est Caritatis: nam purgat tum alia, tum oculos illuminando, vbi mel gustatum à Ionatha lib. I. Reg. XIV. At hæc non intellige de nuda mandati illius notitiâ speculativâ, sed practica, quæ custodiam complectitur. Ad quam hortatur Oseas cap. X. suæ Prophetiæ: *Seminate vobis in iustitia, & metite in rore misericordiæ, innouate vobis nouale.* Quod LXX. vertunt: *Illuminate vobis lumen scientiæ.* Quod cognitionem, & obseruantiam legis significat, vt Hieronymus aduertit. Qui idcirco Verbum Dei symbolicè significari per *Carbonem*, Isaiæ VI. & *Calculum candidum*, Apocalypsis XI. quorum vtrumque lucet ac illuminat, arbitratur.

Prou. 6. 23. Isa. 26. 8. Ps. 118. 105. v. 104. Ioan. 15. 3. 1. Reg. 14. 24. Isa. 6. 6. Apoc. 11. 17.

Fraterna caritas illuminat.

Vt autem oculus erga Diuina, ita erga humana potest esse malè affectus. Quot sũt qui pessimè iudicãt de dictis, factisq; aliorum. Nimirum, tenebris obcæcatum habent intellectum: admoueatur malagma ex fraterna Caritate, nebula omnis, vt mero meridie dissipabitur: vt sincerè valeat aliorum actiones intueri, & nihil mali, vbi non est malum, suspicetur. *Caritas*, Paulo auctore, *non cogitat malum*, in priore ad Corinthios XIII. *Non modò non operatur*, ait Chrysostomus, *sed ne cogitat quidem, vel suspicatur.* Caritas æqui bonique omnia consulit: nunquam malè de aliorum rebus iudicat.

1. Cor. 13. 5.

Collyrium Caritas.

OB hanc caussam dictum est Angelo, siue Episcopo Laodiceæ Apocalypsis III. ut Collyrio inungeret oculos suos: nempè, caritate fraternâ: siquidem, sine illâ homo proprij amoris sordibus excæcatus, aut malignè cernens, neque res suas prudenter examinat, neque aliorum, vti deberet æstimat. *Collyrium* reuera est amoris fraterni præceptum, illuminans oculos. Nihil hoc amore limpidius, nihil lucidius, nihil clarius. Qui non vt profanus amor, cæco Cupidine expressus oculos mentis configit, atq; eruit, sed perspicacissimos reddit, vt quod in proximo est bonũ subtilissimè animaduertat: quod malũ, commiserationis, nõ malignitatis adfectu intueatur, ac deploret.

Caritas lux. Epist. Ioan. 1. c. 2. 10. 11.

AVDITE Ioannem Apostolum: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsq; adhuc. Qui diligit fratrem suum, in luce manet, & scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Quo loco S. Ioannes, Caritatem fraternam comparat cum lumine, seu luminoso; odium proximi, cum tenebris, aut tenebricoso. Certè ita ac odium tenebras rationi offundunt: atque ita ambulat in tenebris, qui fratrem odit: E contrario, amor dissipat tenebras: quamobrem, qui diligit, manet in lumine. Qui caret Caritate, nec finem videt, intellige, ut debet, aut oculis ad usum praxim ue directis: nam is Deus est: nec media, quibus ad eum perueniatur: Imò nec sua, nec seipsum, nec fratrem: vt Chrysostomus differit. Idcirco præceps ruit in gehennam, separatus à lumine Christi, docentis ac dicẽtis: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Itaque Caritas, tum Dei, tum proximi, oculorum est optimum medicamentũ.

Chrysost. Hom. de oriud. discip. Ioan. 8. 12.

Sed

Blasphemi delirant.

Sed non omnes oculis malè adfecti sunt. Multi ex ijs qui benè vident, delirio torquentur: non quidem ex bile, aut calidâ expiratione, quæ hominibus alienationem mentis solet gignere; sed impietate in Deum, & diabolico quodam æstu ad cerebrum subrepente. Quod malum est illorum proprium, qui non contenti, ad tertium quodlibet verbum, vanè, ac inaniter nomen Dei, Sanctorumq; assumere; ad omnem adfirmationem rerum leuissimarum, sine vlla necessitate, sæpè sine veritate, & iudicio iurant, per Deum, Deiparam, Fidem, Sacramenta, animam: execrantur se & alios: quicquid vbique est, diris deuotionibus contaminant: caput suum inferorum potestatibus subijciunt: familiam, prolem, rem spemque vniuersam orco addicunt, peierant, conuitiantur, blasphemant: sicque ad odium Dei, ac Numinis detestationem, tandémque ad atheismum prolabuntur. Quis hos non dicat ægritudine animi maiore, quàm habeant deliri, aut phrenetici, penè esse incurabiles? Ita est sanè, nullo curabuntur in humanis hortis prouenire solito, elleboro, etiamsi Anticyras nauigatum fuerit. *Qui blasphemauerit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum*, Marci III. Sed quod est impossibile hominibus Deo est facillimum.

Medicamentum pro blasphemis.

Qui, vt optimus *Medicus*, his phreneticis filijs, non composuit medicamentũ ex florib. herbis, fruticib eorũq; semine, fructu, radice, succo: sed simplicissimũ efficacissimũque remedium præscripsit, idque verbale. Nam *Verbum Domini sanat omnia*. Legem nempè suam: *Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Exod. XX. *Exod. 20. 7.* Addidit aliam medicinam purgatiuam, Leuitic. XXIV. *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus*. Huius Medicinæ vis est, vt purget cerebrum à noxijs illis, siue opinionum, siue affectuum, & propensionũ, siue inueteratarum cõsuetudinum humoribus, quibus ad nominandũ irreuerẽter Deũ, eumque iuramento minimè necessario, periurio, blasphemia offendendũ, solent homines praui commoueri, & incitari. Scitis enim eo Decalogi præcepto vetari abusũ diuini nominis, & irreuerentiam, quæ committitur à periuris, & blasphemis, per Deũ, Sanctos, aut creaturam aliquam absq; graui caussâ, veritate, ac reuerentia iurantibus.

Amor Dei cõtinet blasphemos & emendat.

AT quicquid est virtutis in hoc diuino medicamento, ad exitialem illam delirationem, vel impediendam, vel dispellendam, totum exaggerata quadam ratione, perfectius in cõposita illa Medicina reperitur: *Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde, tota anima, totis viribus tuis*: nimirũ in Caritate Dei. Hanc qui sibi in succũ, sanguinẽq; conuerterit, ille nunquã nomen Domini in vanum, multò minus ad blasphemiam adsumet. Efficacius multò remediũ est ad phrenesin impietatis curãdã, Caritas, quàm tot à Medicis præscripta ad phreneticorũ deliramenta emẽdanda, ac tollenda, clysteres, refrigerãtes, abstergentes, aluũ irritantes, ex malua, lactuca, molaria, parietina: potiones, ex floribus, fructibusq; cordialibus: venæ sectio; emplastrum ex pilis leporum, oui albumine, polline farinæ: cucurbitulæ, rhabarbari infusio: similia sexcenta à Medicis præscribi solita.

Acedia Lethargici guit

Iam verò, non desunt qui in rebus ad diuinum cultum spectantibus inexpugnabili quodammodo pigritiæ torpore opprimuntur: homines ociosi, desides, ignaui, ecclesiastico vocabulo, Acediosi: licet in iis, quæ ad curam corporis pertinent,

nēt, & rerum mundanarū solicitudinem, sunt excitatissimi. Nō lubet venire ad cōcionem, quia sopore detinētur, dū clarū manè fenestras ingreditur. Si veniatur, oscitatione, pandiculationeq́ue, oculis penè occlusis, veternum, quo detinentur, produnt. Sacrificio si adsistant, & Missam, vt vocamus, audiant, circumgyratione capitis, oculorum in diuersa iactu, totius corporis agitatione internum languorem significant. Piget de rebus spiritualibus, & ad animæ sanitatem spectantibus agere, vel audire. Tædet libellum aliquem pium in manus sumere Pensum horarium officij diuini cum nauseâ persoluitur: omittūtur multa absorbentur plurima: transuolantur omnia. Rosario Deiparæ preces admetiri fastidio plenum habetur. Litanias recitare tot Sanctorum nominibus ordine pronunciatis, longum est. Pænitentiales Psalmos percurrere. cum adfectu, quo decet, & attentione oranti præscriptâ, importunum, ac tædiosum.

At, eodem die ludere, iocari, pergræcari, dicacitate, scurrilitate, saltationibus certare, ac palmam reportare perquam opportunum, ac iucundum. Est autem difficile istiusmodi somnolentiam excutere. Idoneo tamen medicamento istis Lethargicis prouidit cælestis *Medicus* lege præscriptâ: *Memento vt diem Sabbati sanctificces* Huius medicaminis efficacia in eo consistit, vt somniculosæ desidum affectiones dispellantur: ad sensum, motumq́ue spiritualium officiorum piger diebus festis reducatur: mollities illa, & torpor per membra repens, expellatur: excitetur animus: aperiantur oculi: procuretur deuotio: festorum dierum cultus omnibus persuadeatur. Nam ignorare nō potestis, à puero catecheticis institutionibus eruditi, eo mandato imperari, vt Sabbatum, seu, dies festus in Ecclesia celebretur: quod fit adeundo templum, & audiendo Missam, pijsque exercitationibus vacando, & à seruilibus omnimodè abstinendo.

Sed maiorem ad hæc omnia perficienda energiam habet Caritatis medicina: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis.* Amantem non detinet in lecto somnus, quo minus, si est sacris destinatus, Religiosus, Canonicus, Vicarius, audito ære cāpano, exiliat, & ad preces matutinas, ad quas vocatur, audiendas, recitandas, & cantandas, quod paucissimi faciunt, quamuis teneri omnes eius conditionis homines, sunt, qui existiment, se accingat. Non impedit frigus, non terret glacies, nix, fulmen, fulgur non ligant, vt Ecclesiam non frequentet. Deum amanti non satis est vni interesse sacrificio: duobus, tribus, quatuor sacrificantibus deseruire summoperè desiderat. Nunquam rem diuinam, ne profanis quidem diebus, intermittit, quamuis multiplicibus familiæ negocijs implicatus. Orationi necessariæ meditationem liberam adiungit. Concionem nunquam negligit. Videtur in supplicationibus frequēter: peregrinantibus se coniungit Ecclesias visitat. Amantem Dei non detinent à congregationū conuentibus epulæ; nō à vesperarū psalmodiâ, compotatio; non à confessionibus, ocium: non à contēplatione diuinorū, studia: non à conscientiæ discussione, sopor: non à ferijs, ludicra.

Caritatis Medicina Acediam tollit.

Singulare remedium est ad acediæ catalepsin, & marcorem expellendum, Dei Caritas. Cùm enim oriatur hic morbus, ex vehemētiori refrigeratione cerebri, iuncta siccitati, ac humorum putredini, occurri illi debet calidis. Quamobrem fricantur, qui istiusmodi affecti sunt

Origo acedia.

ſunt malo, linteis calefactis: adhibentur bezoardica: ferro etiam ignito ſenſus excitatur. Acedia eſt merum gelu in voluntate, & adfectu: vnde frigus in omnibus potentijs ad diuina, qui non aufertur, niſi calore contrario, ignito carbone, & ardenti calculo Caritatis. [Iuſt. de ligno vitæ cap. 3.] *Meritò igni comparatur* Caritas, inquit Laurentius Iuſtinianus; *quia ſicut ignis imperioſè ferrum, quaſi ignem efficit: ita* Caritas *ignitam reddit animam, quam poſsidet.* Ama Deum, & nunquam eris acedioſus. Nimirum, Iacob Rachaelem amans tenerè, quatuordecim annos totos Labano miniſtret, ſudans, & algens: videnturque illi dies pauci, præ amoris magnitudine; & Deũ intensè amans de vnius horulę conqueratur productione? Sichem circumcidi ſe patiatur Dinam diligens, & Deum diligens genuflexionem horariam exhorreſcet? [Prouer. 23. 35.] *Verberauerunt me*, aiebat ille *ſed non dolui: traxerunt me & ego non ſenſi*: id eſt, ita me habui, ac ſi non ſentirem: vel reuera nõ percepi, amoris vi factus inſenſibilis: & Dei amore flagrans vnius diſciplinæ verberatiunculam fugiat? timeat? abominetur? *Omnia vincit amor.*

[Amori nihil arduum.] AMATE Dilecti. Ardeat hic ignis in fornace pectoris veſtri: clamabitis: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæreat hæc flamma in viſceribus, nihil erit arduum. *Non difficiles labores amanti*, Auguſtino iudice. *In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur.* Quod verius eſt in amore Dei, quàm mundi: in amore cæleſtium, quàm terrenorum: in amore ſpirituali, quàm corporeo: in amore pudico, quàm carnali improbo. Nimirum, amore nefaſto inſtigante, ac propellente impurus nebulo noctu ſub dio, tonante cælo ſulphurante aëre, flammis ſupernè crepitantibus, aut niue circumquaque viam omnem opplente, deteſtantibus ſuperis, execrantibus vicinis, ante amicæ oſtium, fortaſsè in ſterquilinio, aut fimeto, iacebit, ſibilabit, cantillabit, vt in roſis, & nihil impetraturus, amore, quo flagrat, ſe ſolabitur: Et te, ſi amore diuino ardeas, atque ab amico voceris ad congreſſum pietatis, ſi tui copiam in oratione poſtulet; ſi ad baſilicam vocet, ſi clamet: *Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus*, pigebit ſoporem excutere, & oculos tantiſper erigere? Amabat Franciſcus, quæ & qualia amore Dilecti non faciebat? Amabat Ignatius Deifer, quos ille ignes circumferebat, quas flammas eructabat? [Ign Epiſt. 12. ad Rom.] *Vtinam fruar beſtijs illis, quæ mihi præparatæ ſunt. Ignis, crux, beſtiarum coitiones, diſſectiones, diſtractiones, oſſium diſperſiones, conciſiones membrorum, totius corporis conſtrictio. & tormentum Diaboli in me veniant, tantum vt* IESVM CHRISTVM *adipiſcar.*

[Morbus inobedientia.] CETERVM, alius, præter dictum morbus admodum pernicialis in ſubditis eſt Inobedientia dum Superioribus mos in rebus imperatis non geritur. Quem ego morbum comparare ſoleo illi, qui à Medicis *Herpes* vocatur: [Herpes.] eſtque ignis ſacri ſpecies, in quo ardor cum ſerpentibus puſtulis primum exaſperat, vritque, per artus repens: deinde celeriter penetrando, vſque ad oſſa, corpus totum vorat. Haud ſecus Inobedientia, ac rebellio è noxio impatientiæ, & commotionis igne exorta, in vno aliquo membro, primum pellem: id eſt, externam compoſitionem, congregationemque puſtulis murmurationum exortis, vitiat: vrit deinde magis magiſque, & ſerpendo per plures, penetrandoque ad animi oſſa, id eſt, intellectum, ac voluntatem, totam familiæ, & ſæpè Reipub. corpus inficit: occultoque prius ſed deinde ſpargentibus ſe flãmis, aperto incendio conſumit.

Inobedientia difficile curatur.

EST autem morbus iste curatu admodum difficilis. Opportunum tamen illi remedium præscripserat animarum summus *Medicus*, condito mādato, quasi medicatâ potione propinatâ: quam si sumeret homo, non erat ab hac infirmitate periculum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Vt autem non abhorreret à sumptione, ac facilius deglutiret, suauissimo conditurę genere, syrupum vocare posses ætherium, aut succum melleum, poculi oram infecerat: *Vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Virtute huius medicamenti ita omnes hominis potentiæ aptantur, & à quolibet vitiato humore liberantur, vt nunquam contra rationem æstuent, superioribusque resistant. Sed parentibus, primò carnalibus: deinde spiritualibus. Quo nomine comprehenduntur, Ecclesiæ præsides, pastores, sacerdotes. Qui idcirco Patres nominantur. Tum ij, quibus aut imperium, aut dominatus, aut potestas data, vel commissa est. Præterea, quorum procurationi, fidei, sapientiæ, curæ quis committitur: vt sunt tutores, curatores, pædagogi, magistri: denique, senes, ac alij ætate prouecti, debitus honor, cultus, reuerentia, obsequium deferatur.

NAM vos non latet, illo Decalogi præcepto iniungi, vt his, qui secundum Deū, vitæ nostræ sunt auctores, reuerentiam, obedientiam, opemque præstemus: ac omni denique officij genere illis satisfaciamus. Denique iuberi, vt magistratus cum ciuiles, tum ecclesiasticos, parentū & maiorum loco habeamus: illorum dictis lubenter pareamus, eorumq; potestatem, ac auctoritatem reuereamur.

Caritas in-

AT enim, hæc omnia multò excellentius exequitur Caritas. *Dilige proximum tuum sicut teipsum*: caros habe parentes: ama magistratus: reuerentiali amore prosequere superiores omnes, facilè parebis dominis; dignitate, vel auctoritate excellēt[illegible]s reuereberis; maiores obseruabis; nemini, quem Deus tibi proposuit, eris refractarius. *Miles, qui Imperatorem diligit*, inquit Ambrosius, *bella pro Imperatore suscepta non metuit.* Seruus amās Dominum, quamuis per dubia ac prærupta mittatur, tamen omnia pericula, domini amore contemnit: ac, si quis dominum petat, se ipsum offerre non trepidat. Contrarium contingit, si desit Caritas. Superiorem si non diligis, non obedies illi; voluntate saltem, ac iudicio, sed commoditatis intuitu, aut vi coactus. Si spiritus tui magistrum & conscientiæ directorem non amas, non credes, neque illius consilia suscipies, neque documenta, ac si diuinitus essent data, reputabis. Caritas momento obediendi difficultatem tollit.

obedientiam tollit.

Serm. 9. in Psal. 118.

ET est tam suauis per se hæc *Medicina*, vt nulla alia ad transmittendum egeat conditurâ, vel promissionis, vel bonorum temporalium illinctu. Si quis reuerà amet aliquem, ad eius non imperia tantùm, sed nutum, nictum, voluntatem, alas pedibus nectit, difficillima quæque aggreditur, nihil sibi non faciendum, præstandumq; existimat. Dicat dilectus, vt amans nudus ambulet, vestes illicò abijciet: vt luto immergatur, in cloacam se mittat: vt volet per aëra, Icarum mox imitabitur: vt patibulum conscendat, suspendium desiderabit anima eius. Iubeat cœlum digito contingere, putabit amans se posse; tentabit saltem, ac in pedes, eo fine, adsurget. Mandet Aethiopem dealbare; lauare laterem; lignum aridum irrigare; ad opus sese accinget. Imperet leonem capere, & abducere: cum

Caritas medicina suauis.

cum lupis ludere: vrsos frenare: cum felibus sibi rem fore existimabit, tam promptus prosiliet: imò in aquam, ignem, fornacem calcariam se immittet. Nihil moderabile vnquam suasit amor, nec hominibus, nec Deo.

VISVM est id cum ignis iste in Christi pectore, tanquam fornace propriâ arderet. Ad quid non adegit Deum hominē? certè ad obedientiam crucis. quis crederet? Itaq; & huius medicinæ vis latet in Caritatis medicamēto. Curatur Herpes à Medicis, tumoris, atq; exulcerationis caussam auferendo: quæ morbum illum efficiunt, repellendo, ac digerendo. Curatur inobedientia caritate, quæ tumorē superbiæ, exulcerationem amaritudinis, rancoris exasperationem melius, quàm vlli succi pharmacopœorum arte expressi, repellunt ac auferunt.

Schæg. Lib. 12. med. pract. c. 35.

Ira, odij, vindictæq; remedium.

PRAETEREA calidis ac pestilentibus febribus, iræ, odij, vindictę, reliquerat animarum Curator maximus legale medicamentum. *Non occides:* Quo præseruari volebat vnumquemq; ab omni eo, quo proximum in personâ posset lędere. Qualia sunt, occidere, vulnerare, mutilare, verberare, percutere, alapa, fuste, baculo: denique omnia ea, quæ ad odium in proximum, ad inuidiam, ad vindictā, ad bellum iniustum, ad rixam, ad pugnā iniquam, ad simultates, seditiones, dissidia illicita, proditiones, coniurationes, similiaque pertinent. Sed vniuersa hæc multo facilius præcauētur antidoto Caritatis: & si quis æstuet, extinguitur flamma, vel obruitur caritate. Optimū profectò cōtra iracundiæ febrem remediū.

Caritas patiens, benigna.

Siquidem Caritas, auctore Paulo, *patiens est, benigna est*, vt scribit in priore ad Corinthios XIII. quod Græcè habetur χρηστεύεται: Ambrosius vertit, *iucunda est*: indicat autem eā ingenerare, aut habere coniunctam suauitatē morum, quæ opponitur asperitati, seu morositati. Vera namque Caritas abest longissimè à rustica austeritate, ac supercilio. Idcirco autem benignam illam ait Chrysostomus, quod non referatur ad aliorum iram vehementius inflammandam: sed potius, ad eam sedandam, & extinguendam. Non enim solùm forti, constantique animo aliorum iram perfert: sed mitigando consolandoque medetur vlceri, ac iræ vulnus curat. Atque ita, vt Theodoretus ait, mansuetudine ac probitate vtitur. Eadem caritas, vt iram aliorum infringit, ira ad iracundiam ipsa non incitatur. Græcè est μακροθυμεῖ, Quod rectè verteris: leni est animo: clarius: non præceps ad irā seu vindictā.

QVANTO quis mercaretur precio vnguentum, quod hominem redderet inuulnerabilē. Scimus eum ob finē Tartari potestates euocari à nefarijs hominibus, ac cum ijs pactū iniri. De quo scelere suspecti sunt meritò impij milites, qui se fore inuulnerabiles putant, si certo ritu arma incantentur: vel ausu sacrilego crucifixi imaginē compungant. Vel si ferant interulā lineam horrēdis inscriptam imaginibus, quā vocant, inferni camisiam. Vel si periapta quædā habeant varijs characteribus magicis insignita: vel orationes nonnullas fundant, quas sacrilegè S. Leoni, aut Carolo M. tribuunt: aiuntque Magi, illas Dei magnis nominibus esse refertas.

C. Spenger in malleo mal. p. 2. Q. 1. cap. 16.

NARRAT Disquisitionum magicarū scriptor, nouisse se studiosū iuris, nomine Quirinū, qui membranula istiusmodi fretus, audacter se iurgiis ac pugnis immiscebat, sæpè ictus, nunquā saucius: posteà tamen Romæ in symposio, vulnere minimo fuisse interemptum. Censebant quoque gentiles, magico carmine aciem gladij

Del. Lib. 1. c. mag. 21.

Anno 1572.

gladij

gladij sic retundi, vt nec leui vulnere cutem possit perstringere. Et memorant, mulierem septies ictam gladio minimè læsam fuisse. Multos autem ex initiatis, admoto igne non vri, refert Iamblicus, aut si vrantur, vstionem non sentire. Hæc vana sunt, aut friuola.

Iamb. Lib. de myst. Ægypt.

Caritas reddit inuulnerabilem.

At ego verè profiteor hominem reddi inuulnerabilem vnico remedio Caritatis: si illa, vel vt oleo quis se inungat: vel tanquam veste, vti est reuera, camisiâ, non inferni, sed cæli se induat: vel, vt calculum candidum & tesseram immortalitatis, pactique cum Deo initi, circumferat. Non est isthæc futilis, aut vana imaginatio: est veritas Theologica. Qua certum habemus, Caritate præditis, nihil mali aduersiúe euenire posse. *Scimus*, inquit Apostolus, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid est omnia?* quærit Augustinus, *nisi & ipsas terribiles, sæuasq; passiones?* Putasne rupem esse vulnerabilem? tenta, quæso, aciem retusam referes. Adamantem lædi posse arbitraris? frustra in illum ictus malleorum experieris. Clypeo impenetrabili ferrum immittes? non hærebit. Talis est animus Caritate armatus: Rupes, in quam, frustra gladius desæuit: Adamas cuius duritia ferrum omne retundit: Clypeus nullo ense penetrabilis: Galea, quam nullus saxorum imber comprimit.

Rom. 8. 28.
Lib. de gra. & lib. ar. cap. 17.

Nonne huius medicamenti virtus expressa est ab Apostolo, vbi caritatis vim omnem suis momentis expendit? 1. ad Corinth. XIII. & pronunciat: *Caritas omnia suffert*, Græcè est, στέγει: quasi dicat: nulla re grauatur. Est enim metaphora ducta à tignis, onus sustinentibus impositum. Quantumuis contumeliæ, probra, verbera, omnisque incumbat crudelitas, *omnia suffert*, non grauatur. tanquam niuis floccos æstimat. *Omnia sufferre dicitur*, inquit Chrysostomus, *siue sit contumelia, siue plaga, siue verbera, seu mors, seu quiduis aliud*

Diuitijs animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.
Ab ipso sumit vires animumq; ferro.

Hanc ego vobis camisiam opto. *Caritas non irritatur*: hoc est, ne lacessita quidem. *Vide*, ait aureum os Græciæ, *eam non solum dominatum obtinere in vitia, sed non sinere etiam vt vllibi subsistant. Non enim dicit Paulus*: irritatur *quidem*; *at* superat: *sed absolutè: Non irritatur*. Quod Theophylactus vertit: *non exacerbatur*: id est, non prosilit in iram. Quo pacto Theodoretus Græcè scribit παροξύνεται: non acuitur: vel, non incitatur: seu, non prosilit in iram. Accommodatè ad ea, quę diximus, scribit B. Laurentius Iustinianus lib. de ligno vitæ cap. IV. quod est de Caritate: *Caritas impenetrabilis est lorica: respuit gladium: iacula excutit: periculo insultat: mortem irridet: postremò, vincit omnia*. Quo etiam spectat Chrysostomi conglobata similitudo: *Quomodo quæ in abyssum ceciderit scintilla, illam quidem non lædit. ipsa autem facilè extinguitur: ita, quod in lenem animam inopinatum inciderit, & inexspectatum, ipsum quidem facilè deletur, & euanescit, illam verò non conturbat. Nam qui animi lenitate est præditus, tanquam in portu sedens, profunda fruitur tranquillitate, & si damnum inieceris, non mouebis rupem; & si plagam inflixeris, non feries adamantem*. Est profectò lenis Caritas, & à vindictæ cupiditate alienissima: ideoque vnico illo remedio facilè animus ab omni iracundiæ febri liberatur. Et cum amare non sit aliud, quàm bonum velle, maximum autem bonorum temporalium sit vita, verus amans nunquam pręceptum, *Non occides*, violabit.

S. Chrysost.

Est etiam fœda lues, ac pestilens planè

Luxuria pestis.

planè morbus, *Luxuria*, quæ amplissimas sæpè regiones depopulatur, nihilque intactum relinquit: sacra, profanaque contaminat. Commune malum, ac eo magis metuendum, curationis difficilis, quod in imis fibris flamma hæreat: quæ vbi Leuiathano materiam subministrante ac inflante vicinas partes incenderit, humana vi nulla compesci potest. Licet magistratus Leges scribant contra mœchos, semper erunt violatores. Licet adhibeantur custodiæ, minæ, pœnæ, adsistat thalamo carnifex, nihil proficitur. Multos nihilominus illa peste perire certum est. Qui licet non castè, cautè tamen viuere conantur; & iudicum seueritatem, vel astu, vel arte, alijsque technis eludunt: ipsi securi futurorum, nisi vigilaret iudex, qui non dormit, neque dormitat, etiā tunc, cū nefarius nebulo cū imbre aureo in turrim Danaës sese insinuat.

Lex contra mœchos.

HIC cum medicas leges præscriberet salutis auctor, vnam contra hanc pestem condidit: *Non mœchaberis.* Quo remedio auertere volebat fornicationem, adulterium, obscænos, illegitimosque concubitus: tum quicquid honestati, verecundiæ, & ingenuo pudori aduersatur. Nam & *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.*

Matth. v. 28.

Caritas castitatem parit.

SED quicquid est in illa efficaciæ ad palabundam eam contagionem auertendam, in Caritatis medicamento totum residet. Diligat quis ex toto corde, animâ, viribus Deum: diligat proximum, sicut seipsum, is-ne alienæ pudicitiæ pedicas nectet? sodalis sui thorum violabit? extraneas voluptates rimabitur? sordes diliget? cloacam amabit? deperibit fœditatem? Tam hoc facilè, quam ardere glaciem, algere ignem, retrocedere flumina, solem sistere, orbem inuertere. Non est radix angelica, ruta, iuniperus, nuces iuglandes, tot alia contra pestem quæsita remedia tantæ energiæ, quantæ contra luxuriæ pestilentissimum malum Caritatis vel granum vnum in cordis penetrali meditationis pilo contusum, & assiduæ cogitationis rore cœlitus demisso irrigatum.

QVORVNDAM morbus est auri sacra fames, & insatiabilis edendi semper de rubricata hac terra auiditas, quæ *Bulimus* vocatur: Heu quàm multos miserum in modum vexauit semper, & etiamnū vexat morbus iste? quot homines omnis sortis hydrope auaritiæ conficiuntur? vsuris, rapinis, furtis, iniustis contractibus plurimi, tāquam multiplicibus infirmitatibus intereunt. Nec facile est inuenire remedium. Vnum iam olim Medicinæ spiritualis Magister apparabat, mandato edito: *Non furtum facies.* Eo hoc effici volebat, vt abstinerent homines ab omni rei alienæ illicita contrectatione, & vsurpatione, vt fit in furto, rapinâ, vsura, lucris iniustis, dolis malis, & iniquis cōtractib⁹.

Auaritia bulimus.

AT medicamentum Caritatis sua vi his omnibus occurrere constat. Quia si caritas non lædatur, nihil est amplius requirendum. Caritatis vnicus bolus bolimum auaritiæ sedat, sitim hydropis extinguit. *Caritas benigna est.* Aliena rapiat cum largiatur sua? Benignitas hæc, quam Apostolus adiectiuo exprimit, ad beneficentiam spectat, ita, vt quemadmodum à malo malignus: sic à bono benignus dicatur. Vnde Festus Grammaticus: *Benignus propriè dicitur is, qui bonis, ac dignis aliquid largitur.* Benignum cum benefico iungit Tullius. Qui benignitatē, bonam igneitatem dixit, elementorū allusionē ac desinentiā, vt dicunt, spectauit. Verū caritas nō dignis solū, sed & indignis solet largiri. Caritas superfluam bonorū temporaliū aquā educit, & spiritualiter hydropicum

Caritas auaritiæ medetur.

extenuat. Quod Paulus Apostolus dicit, 1. ad Cor. XIII. *Caritas omnia suffert*: Tertullian. lib. aureo de Patientia, c. XII. vbi paraphrasi totũ illũ Pauli locũ exponit, habet: *suffert sua, dũ alteri prodest*. Sed viri docti mendũ putãt: ac legendũ; *offert sua*: nisi dicas: *suffert sua*: i. e. damna, ac detrimenta æquo, libentiq; animo perfert. Certè vtrũq; ostendit, Caritatẽ, ad curandã, tum auaritiæ voracitatẽ inexhaustã: tum iracundiæ calorẽ mitigandũ valere plurimũ.

1. Cor. 13. 7.

PORRO ab his morbis liberi, quidã exagitantur linguæ pruritu intolerabili, quã viuentib. adhuc vermes rodere, ac comedere videntur. Spuũt ferè sẽper detractionũ saniem: fœdam mendaciorũ proluuiẽ egerunt: maledictorũ putorem exhalant. Quibusdã lingua fissa est, vt duplex videatur: non in corde, & corde tantũ, sed in lingua, & lingua loquũtur, simulatores, hypocritæ, adulatores: qui haud dubiè grauib. morbis sũt obnoxij, nec facilè curãtur. Ijs tamẽ nõ defuit vniuersalis *Medicus* parato medicamẽto: *Nõ loqueris contra proximũ falsum testimoniũ*. Cuius remedij vis in lingua emẽdanda, purgãda, ac recto in statu cõseruandâ, cõsistit: ne falsum testimoniũ, ne mendacium, ne susurrationes, ne detractiones, cõtumelias, adulationes profundat. Sed expeditius id efficit vnus illinctus Caritatis, si is lãbendo, sẽper super linguã maneat. Diligatur proximus ad eum modum, quo se quisq; diligit, vitabit facilè quilibet omnem linguæ contra proximum, abusum: & ab omni morbo erit liber, ac securus.

Lingua morbi.

ADHÆC consumuntur nonnulli sensim desideriorum tabe: multa appetunt, ac spe deuorant, quæ consequi, quamuis tentatis omnibus, non valent. Hinc mœror, animi defectio, pusillanimitas, tandemque desperatio: vel, si desperato veniat in præcordia, non virtus, sed temeritas, & audacia, adsurgere conatur, & se extendere, ad quæ, tametsi cupierit se non pertinget. Hinc iterata virium internarum defectio: sicque paullatim, quamuis exterius morbi caussa non appateat, contabescit, & consumitur. Huic malo præstantissimum remedium opposuerat *Medicus* animarum duobus vltimis Decalogi præceptis: *Non concupisces vxorem proximi tui: Non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa, quæ illius sunt*. Quibus illud agitur, vt concupiscentia omnis rei alienæ extinguatur. Quoniam, quod alienum est, non solum iniustè, & pro libidine nostra occupare non licet: sed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus: ita, vt nostris rebus contenti, absq; omni inuidiâ, æmulatione & cupiditate viuamus. Quod Catechis. admonet.

Tabes desideriorum.

SED confunditur rudis imbecillium memoria tot rerum diuersarum enumeratione. Itaque & huius medicamenti virtus omnis, in altero illo composito inclusa fuit; quod vnico vocabulo dicitur CARITAS: & explicatur hoc enunciato: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Qui sic affectus fuerit, proximorum felicitate, ac bonis non contabescet: neque ea desiderabit. Imò alijs ea adesse gaudebit, quæ sibi deesse minimè dolet: sicque lætitia de aliorum optimis successibus perfusus, curatâ tabe inuidiæ, non corpus minus, quàm animũ seruabit incolumem.

Caritas appetitum alienorum tollit.

CARITAS inquit Paulus, *non æmulatur*: οὐ ζηλοῖ: hoc est: non est inuida. Siquidem, fieri non potest iudicio Chrysostomi, vt sit quispiam lenis, patiens, ac amãs, & inuidiæ stimulis agitetur. Certè, inuidia caritati maximè repugnat. Hæc enim proximum, quasi se ipsum diligit; & proximi bona, sua ducit. Quapropter Gregorius Magnus lib. XII. Moralium, cap. 7. vbi

Caritas non æmulatur. 1. Cor. 13.

vbi dotes Caritatis ab Apostolo enumeratas explicat: *Non æmulatur*, exponit: *quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit, inuidere terrenu successibus nescit.* Non agit perperam: Quia, *quo se in solum Dei, ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine discrepat, ignorat.* Non est ambitiosa: *Quia, quò ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit.* Non quærit quæ sua sunt: *Quia cuncta, quæ hic transitoriè possidet, velut aliena negligit: cùm nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit.*

Lib. 21. mor. cap. 7. vel 4.

QVÆ diximus hactenus medicam vim Caritatis spectant. Quod sequitur, chirurgiam attingit. Finge aliquem, quamuis, quid fingere est necesse, cùm plures, quàm esse deberent, reperiantur, in quibus à planta pedis vsque ad verticem capitis non sit sanitas. In quibus nihil, nisi vulnus est, liuor, & plaga tumens. Ergo animo aliquem, sine fictione, concipe, tam malè exceptum, & saucium, vt in vnum coeuntibus singulis, vulnus ipse totus quantus videatur. Habeat in capite luculenta aliquot superbiæ, fastús, ambitionis: in fronte obstinationis: in collo interius circa fauces, & guttur, tonsillas, & apostema gulæ: exterius malignum vlcus & verminosum ebrietatis: in manibus auaritiæ: in pedibus acediæ, quo motus omnis impediatur: in pectore amplissima sint duo, iracundiæ, & inuidiæ, quæ hient, vt peruidere possis: sub ventre fœtentia aliquod luxuriæ: in intellectu amplissimum vulnus ignorantiæ: in voluntate longum, latumque auaritiæ: in appetitu irascibili, infirmitatis: in concupiscibili, cupiditatis. Hunc vbique saucium vis illico sanum? non opus malagmate herbarum, cataplasmate ficuum, vnguine ex liquoribus oleo permistis, adhibeatur solum emplastrum ex Caritatis oleo, fomentum dilectionis, vnguentum amoris, momento temporis obducentur vulnera. *Integer vitæ scelerisque purus* prodibit, qui antea tot vulneribus concisus, & turpissimorum scelerum maculis inquinatus.

Homo vulneribus maximè affectus.

CELEBRAT herbam Plinius, quam militarem vocat, quoniam vulnus ferro factum nullum nón intra dies quinque sanat, ex oleo imposita. Sed magis illud mirandum, si verum; arte quam vocant S. Anselmi, solo afflatu, osculo, aut nudi lintei appositione atrocissima vulnera coire, & tolli. Non credo. Si tamen fieret, symbolum quoddam darēt, quamuis imperfectum caritatis: quæ nullum non vulnus animæ temporis punctulo sanat. Fit enim hominis sanatio, quæ iustificatione perficitur, in instanti, vt probant Theologi. Illam autem Caritas efficit, & formaliter quidem, si à Gratia non distinguitur: dispositiuè verò, si ipsa, vt D. Thomas arbitratur, diuersa est forma.

Militaris herba. Plin. lib. 4.11. *Delr. disq. mag. l. 1. q. 3.*

AT vbi lectum, auditumve, dicet aliquis, Caritatem, vel emplastri speciem habere, vel ex illâ tanquam ex oleo, adipe, aut medulla emplastrum confici, quod vulneribus appositum, sanet? Quod non auditum aliàs, nec alibi, hoc tempore, & hîc audiri potest. Rationem ducem affectanti, non quomodo, sed quid dicatur curæ esse debet. Neque anxiè de verborum minutijs torqueri Ecclesiasten oportet, vbi constiterit rē aptè explicari. Ne quis tamen cauilletur: medicæ istius loquutionis, quâ Caritatem diximus esse emplastrū, auctor nominetur, non Petrus Apostolus solùm, quãuis omni exceptione maior, qui in Epistola sua prima, cap. 4. *Caritas*, inquit, *operit multitudinē peccatorū*: Verum etiam sapientissimus Salomon, qui Prou. x. ita scribit: *Odiū suscitat rixas: & vniuersa delicta operit Caritas.* Quo loquēdi modo utitur Iac. in Epist. c. v. dū agens de præcipuo caritatis officio, sic

Caritas emplastri. *Ep. 1. 4.* *Prou. 10.* *Iac. 5. 20*

ſic enunciat. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Eadem phraſi dicit Dauid Pſ. XXXI. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Quod repetit Paulus Apoſtolus ſcribens ad Rom. cap. IV. Tegit autem Deus peccata, vt alios modos omittam, ſicut *Medicus* tegit emplaſtro vulnera, quæ ſanat, vt docet S. Auguſtinus, concione ſecunda in Pſalmum XXXI. Gregorius Papa in Pſalmum ſecundum pœnitentialem, Nazianzenus oratione de Baptiſmo.

Pſ. 31.

Ad Rom. 4. 7.

EST itaque Caritas emplaſtrum, quod ſi peccatorum vulneribus imponatur, non quidem cute, tenuique imputatæ iuſtitiæ callo foraminoſam partem, cicatricem ducendo operit, ſed interius exteriusque planè ſanat. Nam vt rectè Auguſtinus in Pſalmum XXXI. *Non ſic tecta ſunt & cooperta peccata, quaſi ibi ſint, & viuant.* Quomodo igitur? vt planè aboleantur, ac eſſe deſinant. Quod mirificè aduerſatur circumforaneis animarum Medicis, aut potius impoſtoribus, hæreticis, abutentibus illo Pſalmi loco: *Quorum tecta ſunt peccata*; vt doceant, in remiſſione, ac iuſtificatione non tolli peccata, ſed manere tecta tamen, vt non imputentur, aut puniantur. Quod dicunt, vt tueantur animam interius non renouari. Quod idem eſt, ac ſi dicas: manente partium diſcontinuatione, & in vulneris ſinu purulenta materiâ, pellicula ſolâ vomicam illam tegi; aut hederæ folio cauterij inuſti foramen operiri, ne oculis conſpiciatur. Non ita tegit emplaſtrum caritatis, ſed educendo primum noxiam omnem puris materiam, tanquam ſuppuratorium medicamentum: tum partes diſiunctas adglutinando: tandemque priſtinam integritatis, coloris, ſanitatisque formam, figuramque inducendo, totam animam vulneribus liberat; adeò, vt ne quidē à perſpicaciſſimo Dei oculo videri poſſint: cui cùm nuda ſint, atq; aperta omnia, quæ ſunt, vt ſcribit Paulus ad Hebræos IV. neceſſe eſt, quod ipſi tegitur, prorſus euaneſcere, ac non eſſe.

Caritas quomodo peccata operiat.

PORRO hoc emplaſtrum dici poſſe confectum ex oleo, adipe, aut medulla, vel omnibus iſtis, natura ipſa huius medicamenti demonſtrat. Quid magis vulgatum, quàm caritatem oleo comparari? Vt oleum principem locum habet inter liquores, & omnibus ſupernatat; ita Caritas inter virtutes. Lenit & mitigat, vt oleum. Tribuit fortitudinem, & conſtantiam, vt oleum, quo vngebantur pugiles & athletæ. Illuminat: lætificat: ſanat. Oleum, Spiritus Sancti eſt ſymbolum, quo vnxit Chriſtum Deus, vt eſt Actuum X. 38. Idem autem eſt eſſentialiter Caritas. Oleum nunquam penitus excidit: ſemper illius aliquid manet, proba, ſi dubitas, & veſti infunde. Poſſunt quidem virtutes aliæ penitus tolli; humilitas, caſtitas, temperantia. Sed Caritas, quauis alia virtute magis eſt conſtans; certè, nunquam tota expirat. Notum eſt illud Pauli, *Caritas nunquam excidit: ſiue Prophetiæ euacuabuntur: ſiue linguæ ceſſabunt: ſiue ſcientia deſtruetur.* Denique, vt calcem aqua accendes, extingues oleo: ſic hominis iracundi animum nulla vi franges, ſed caritate facilè placabis.

Caritas oleum. Adeps. Medulla.

1. Corinth. 13. 8.

EADEM eſt virtutes inter medulla, & adeps. Quod enim in vnaquaque re lautiſſimum, ac optimum in ſacris Chriſtianorum arcanis, pinguedo, medulla, ſumen, adeps, dicitur. Sic *Medullam terræ* comedere, lego Geneſis XLV. *Medulla tritici* eſt Deuteronomij XXXII. *Adeps frumenti*, Pſalmo LXXX. De Dauide eſt celeberrimum illud elogium: *Quaſi adeps ſeparatus*,

Caritas quomodo adeps & medulla.

Gen. 45. 18.

Deut. 32. 14.

tus à carne, sic Dauid à filijs Israel, Ecclesiastici XLVII. Imo videtur amor seu Caritas in medullâ hærere. Hinc vsitatum est illud: *Amare medullitus.* Quod quidam ex antiquis, oculitus dixit: pro, *animitùs: penitùs flamma: intimu amare præcordijs.* Veteris prouerbio de re maiorem in modum sapida dulcedine imbuta μυελὸς μέλιτος, *Mellis medulla* inquiebant. Itaque Caritas est emplastrum olei, adipis, & medullæ. Quod quibuscumque tandem peccatorum vulneribus applicatum subitò sanare potest.

Eccli. 47. 2

Plaut. apud Marcel. in Carnif.

Caritate remittuntur peccata.

CARITATE enim, vt simplicissimè dicam, peccata remittuntur. Si actualis sit, vt loquimur in Scholis, tanquam vltima dispositione, quæ etiam in contritionis actu includitur. Si habitualis, vel formaliter; & tunc illam minimè differre à gratia habituali necesse est: vel concomitanter principaliter: quoniam secundum gratiam est excellentissimum donum: Semperque Gratia & Caritas sunt connexa. Et sanè, quod in scholis Theologicis docuimus, rationi, ac Concilio Tridentino est magis consentaneũ, vt iustificationis caussa vnica formalis sit Iustitia, quâ renouatur homo: id est, gratia habitualis, non autem actus amoris, vel caritatis diuinæ supernaturalis, sed hic habeat solum rationem dispositionis præcipuæ. Quo sensu intelligimus, Mariæ Magdalenæ remissa peccata, *quia dilexit multum,* vt est Lucæ VII. & similia non pauca de actu dilectionis ex diuinis litteris citari solita.

Luc. 7. 48.

Caritas vniue-sita tu medicamentum.

CETERVM vt Caritas in vno homine integritatem restituit, curatis vulneribus, quæ vnionem interruperant: ita id quoque facit in amplissima Reipublicæ, imò regnorum omnium, & imperiorum corpore, tandemque in vniuersitatis totius quasi immenso. In quo nihil esset sanum, & integrum nisi partes, tanquam membra, indissolubili amoris cuiusdam nexu copularentur. Concipite cælorum orbes diuulsos, dissociata elementa, terram in partes dissectam, nullaque zona copulatam, omnia in antiquum chaos reuoluentur. Idẽ accidit in quauis Republica, Societate, contubernio, si caput à membris, membraque inter se dissideant. Sed hæc iterum, tanquam glutinans medicamentum coniungit Caritas. Quare hoc vnicum remedium satis esse putauit Aristoteles libro VIII. Ethicorum, & Cicero de amicitia disputans, vt absque vllis legibus Respublicæ saluæ consistant.

Hic mihi in mentem venit, quod Paulus Apostolus *Caritatem* appellet *Vinculum,* in epistolâ ad Colossenses cap. III. *Super omnia hæc,* inquit, *caritatem habete, quod est Vinculum perfectionis.* Vocat *Vinculum perfectionis,* ideo fortasse, vt indicat Chrysostomus, quia illo veluti alligantur, & adstringuntur omnia, quæ ad perfectionem valent, alioqui delapsura, nisi hoc vinculo contineantur. *Hoc est,* ait Chrysostomus, *quod vult dicere: illa nihil prosunt: dissoluuntur enim omnia, nisi fiant cũ caritate: ipsa autem illa constringit. Quodcumque bonum dixeris, si illa absit, nihil est, sed diffluit. Et quomodo in naui, etiam si magna sint instrumenta, si tamen non sint, quæ eam succingant tabulata, nihil omnia prosunt. Et in domo, si non sint contignationes. Et in corpore, quamuis magna sint ossa, non sint tamen ligamenta, nihil iuuant. Haud secus, cuiusmodicumque quis habuerit opera bona, ac rectè facta, euanescent, nisi adsit Caritas. Non dixit autem Apostolus, Caritatem esse fastigium: sed* Vinculum: *hoc enim est magis necessarium, quàm illud. Nam fastigium quidẽ est intensio perfectionis:* Vinculum *autẽ est complexus, & comprehensio eorum, quæ perfectionẽ efficiunt.*

Caritas vinculum medicinale.

Coloss. 3. 14.

Vinculum perfectissimum Caritas.
S. Bern. ser. de tripl. cohær. vincul. clau. glu.
Osee. 14.
Caritas Gluten.

FORTASSE *Vinculum perfectionis* dixit Paulus phrasi Hebræâ: id est, perfectissimum. Etenim, vt monet S. Bernardus, triplici ferè ratione Deo coniungimur: *Primum* beneficiorum memoriâ, aut recordatione eius bonitatis & misericordiæ. Siquidem, hi sunt *funiculi Adæ, & vincula Caritatis*, quibus, vt ait Propheta, trahimur quodammodo ad Deum, illique astringimur. *Deinde*, timore diuini iudicij, ac supplicii sempiterni, tanquam clauo cum eo configimur. At vincula interdum putrescunt, & facilè rumpuntur: clauus non sine doloris sensu & magna acerbitate vulnerat. Reliquum est ergo *Tertium*, quod appellare possumus Gluten: atque ex interpretatione S. Bernardi nihil est aliud, quam Caritas, quâ suauiter, ac securè constructus animus adhæret Deo, & vnus cum eo spiritus efficitur.

Vinculorum vsus apud Chirurgos.

Hæc non possum non probare summoperè. Sed quid vetat dicere, Caritatem esse vinculum perfectionis, hoc est, perfectissimum in arte medica spirituali? Vinculorum magnus est vsus apud Medicos. Nam si fractum sit iugulum, comminuta ossa, vulneratum caput, femur malè affectum, luxata membra, vt pristinæ integritati restituantur, vincienda sunt, non sine arte, exquisitaque ratione à peritis præscripta. Qui idcirco multa tradunt de vinculis & fascijs. Extant etiamnum tres auctores antiquissimi de fasciis, Galenus, Soranus, Heliodorus, à quibus tam accuratè de toto hoc genere est actum, vt non sit vlla pars corporis humani, cuius peculiare vinculum non describatur, & indicetur vsus.

Vnum vinculum omnium instar caritas.

AT non est necesse in spirituali Medicina multiplicare vincula. Vnum Caritatis omnibus est aptum vsibus, si confracta sunt ossa animi. Per ossa intelligo facultates, aut cogitationes & virtutes, quibus, vt materialibus corpus ossibus, ita animus sustentatur. Si quis tam malè est tractatus, vt clamare cogatur: *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*, Psalmo CXL. *Dispersa sunt omnia ossa mea*, Psal. XXI. *Sicut leo, sic contriuit omnia ossa mea*. Colligantur vinculo Caritatis, & iterum coalescent. Si vulneratum sit caput luculétâ plagâ auersionis erga subditum, ceu adiunctum sibi membrum: stringatur fascia Caritatis, coibit vulnus. Si læsus sit venter animi, id est, affectus, vt defluat adeps deuotionis: vinciatur nexu Caritatis, sanabitur. Si sica peccati mortalis adacta sit in iugulum, vt de vita sit conclamatum: cingatur fascia Caritatis, iterum conglutinabitur. Quicquid efficiunt ad vinciendas partes corporis fasciæ glomeratæ, scissæ, assutæ, coactæ, implicatæ, oculus, rhombus, cancer, capistrũ, & tot aliæ apud Medicos nominatæ, multo faciliùs, commodiùs, perfectiùs facit in animâ Caritas, *Vinculũ perfectionis*.

Ps. 140. 8.
Ps. 21. 15.
Is. 38. 16.
Fasciarum genera.

Medicamentum extersorium.
Deglabratorium.
Suar. 3. p. Tom. 4. Disp. 11. sect. 2.
Salm. Epist. ad Rom. disp. 32.

EST nominatum in Medicorum libris Medicamentum quoddam, appellatum extersorium, quia maculas eluit, ac tollit. Et aliud deglabratorium, quia scabritiem, pustulas, impetiginem ac scabiẽ aufert. His persimile est Caritas, quæ habitu quidem peccatorum omnium maculas: actu verò, etiam venialium næuos, ac scabiem solet tollere. Quod insinuat S. Augustinus tractatu primo in epist. Ioannis. Ex quo probant nonnulli, actu amoris diuini posse deleri peccata venialia extra Sacramentum. Et sanè illud Petri Apostoli epist. I. c. IV. *Caritas operit multitudinem peccatorum*, de Venialibus eo fine quidam intelligunt: &, id fieri docent per opera caritatis, ne amplius videantur ad pœnam. Vel alio modo prorsus medicinali: *Caritas*, inquiunt, *velut humor radicalis*,

calis,

calis adhuc integer perdurans, sanat incidentes infirmitates. Profectò, si lex *immaculatum* facit, vt est psalmo XVIII. rectè Caritas
Psal. 18. 8. quæ est *plenitudo legis*, ad Romanos XIII.
Rom. 13. 10. tanquam exterſorium medicamentum, ſcelerum omnium maculas eluere cenſebitur.

Caritas vitam restituit. IN hoc autem infinitis partibus Caritatis medicamẽtum corporea omnia ſuperat, quod vitam etiam amiſſam poſſit reſtituere, & reuera reddat: quod hactenus medicina aliqua humanitus applicata eſſe factum eſt inauditum. *Nos ſcimus,*
1. Ioan. 3. inquit Ioann. Apoſtolus, *quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Vbi particula cauſſalis denotat cauſſam diſpoſitiuam, tum rei ipſius: Idcirco enim translati ſumus, quia dilectione ad gratiam fuimus diſpoſiti: tum cognitionis, quia agnoſcimus nos vitæ participes, quoniam dilectionem ſupernaturalem in nobis ea certitudine, qua poſſumus, attendimus. *Nemo interroget hominem*, inquit Auguſtinus, *redeat vnuſquiſ-*
Tract. 5 in Ioann. *que ad cor ſuum: ſi ibi inuenerit caritatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſiuit de morte ad vitam.* Mors animæ eſt ſeparatio à Deo. Sed vnit nos Deo caritas. Vitam itaque tribuit.

AN non veriſſimum eſt, quod demonſtrandum ſumpſimus, Medicamentorũ omnium ſimplicium vim & poteſtatem in vnum coactam Caritatis antidoto cæleſtem Medicum incluſiſſe: ideoque hoc vnum eſſe validiſſimum ad vitia omnia per animam ſerpentia remediorũ medicinalium auxilium? Quamobrem, qui ſanus cupit eſſe, & integer, *Diligat Deum ex toto corde, anima, ac viribus, proximum verò, ſicut ſeipſum.* In his enim medicamentorum omnium medulla reſidet, & medicinarum virtus vniuerſa continetur.

NOTAE.

IACOBVS *Aluarez Tom. I. de perfectione lib. III. par. III. cap. 31.* Titulo. *Perfectionem fraternæ caritatis præceptum Chriſti vocari, quod omnibus animæ morbis medeatur.*

Si perfectio non ſolùm maximas, ſed minimas etiã mentium ægrotationes curat, præceptum eam continens vocetur præ omnibus, Chriſti præceptum. Quod ſolum ſufficiens eſt, quatenus ad omnia opera virtutis inſtigat vniuerſis noſtris morbis mederi, ac vulnera curare. Quodnam peritus *Medicus* ſuũ mandatum precipuè diceret? Certe illud, quod inter omnia à ſe propoſita ad ægrotũ morbo liberandũ efficaciſſimum iudicaret. Nã ſi ægrotum cruditate laborantem inuiſat, cognita ægritudinis tũ qualitate, tũ cauſſa & varijs remedijs, multisq; medicamẽtis in vſum infirmi recenſitis, tandẽ ſermonem ſuũ ita concludit. Hoc mando tibi, vt à cibis temperes, & abſtinentiã, & ſobrietatem arctè cuſtodias, ſine qua alijs etiam medicamẽtis adhibitis, haudquaquam ſalutem concupitã conſequeris. Sic omninò, Chriſtus cœleſtis *Medicus* fecit, qui hominem è cœlis medicaturus aduenerat. Vidit hominem cruditate laborantem. Nam in conuiuio paradiſi, quod veternoſus ſerpens illi parauerat, propriæ excellentiæ deſiderio fuerat ſatiatus, & proprij amoris concupiſcentia repletus. Multa autem adhibuit medicamenta, quæ huic morbo mederentur. Ad eius enim curationem tot lata ſunt, & tam ſalubria mandata: *Non furtum facies. Non occides. Non mœchaberis.* Sed iſtis mandatis, tanquã ſaluberrimis adhibitis, tandem ſapientiſſimus *Medicus* omnium efficaciſſimum, ac finem intulit aliorum. Hoc maximè inter alia mandata, ſit preceptũ meũ, ô homines amoris inordinati

morbo

morbo impediti, *Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Dilectio enim, tanquam perfecta animæ salus, & quæ virtute omnium aliorum medicamentorum efficaciam continèt, velut à principio curationem orditur, & radices peccatorum euellit.

IDEM. Caritas morbis, ac noxio humore animam liberat, quoniam sine illa innumeris vitijs subditur: vitali calore, sensu, ac motu caremus: & inquietudinem, ac turbationem, quæ morbum sequi solet, incurrimus.

DEVM *amandum esse sine modo, exemplo* Medici *probat Bellarminus, Concione* XLIII. Philosophus docet, & constat experientia: appetitionem finis esse sine modo, cùm eorum omnium quæ propter finem expetuntur, sit modus aliquis. Cum morbo aliquo grauiter conflictaris, & ad te *Medicum* vocas, admones quidem, vt modum adhibeat medicamentis: vt inediam cum modo iubeat: vt sanguinem, si minuere velit, cum modo minuat: vt potionem, nec nimis amaram, nec nimis potentem, nec nimis multum sumi præcipiat. At nunquam mones, vt sanitatem cũ modo in corpus adfectum inducat, caueatque, ne nimis sanum te faciat. Non planè, non id mones: quamobrem? quia sanitas finis est, & amor finis modum nõ habet. Cum igitur Deus verus & summus omnium finis sit, sine modo & mensura diligendus est.

§ VINCVLVM medicum) *Galenus præfatione libri de fascijs.* Vinculi ratio duplex: altera illius, quod iniicitur: altera illius, quod iniectum est. Quod iniicitur, vt celeriter, iucundè, promptè, eleganter: *celeriter*, vt opus expediatur: *iucundè*, vt facile præstetur: *promptè*, vt vbique sit in prõptu: *eleganter*, vt oculos delectet. Mala enim in nonnullas corporis partes incumbentia idoneam vinciendi rationem postulant, eamque per se homo sæpissimè decoram expetit. Quare, tam ægrotantis gratia, quàm omnium, quibus sui videndi copiam facit, scire oportet, quæ vincula & *simplicia*, & *varia* singulis partibus accommodentur. Nec ignorandum nonnullis vtraque conuenire: nonnullis alterutra, videlicet varia.

Hippocrates in lib. de officina Medici, sect. II. *titul.* I. *agit de modo fasciandi. Cuius ignoratione, refert Galenus, ex Mantiâ, antiquo Medico, cuidam oculos procidisse, cui pharmacopola caput ac faciem vario vinculo deligauerat.*

FASCIA *apud Medicos distinguitur,* Primò, *materia: alia enim est linea, alia ex lanâ: alia ex membranulis.* Secundò, *ex habitu: siquidem alia est glomerata: alia scissa: alia assuta.* Tertiò, *longitudine: nam alia est breuior, longior alia.* Quartò, *latitudine, pro ratione partium.* Quintò, *Structurâ: texitur aliqua: aliqua conflat ex materia per se coacta: vel certo ordine implicata. Porrò fasciæ omnes debent esse leues, tenues, molles, mundæ, latæ, sine suturis, sine eminentijs.*

VSVS *est varius. Quædam adhibentur, vt continendo curantibus præsidijs subseruiant: alia vt ipsæ per se agant, quibus curatio committitur.*

VINCVLVM *efficit, vt, quæ abscesserunt, propellantur: hiantia coniungantur: peruersa dirigantur: atque omnium contraria præstentur.* SPECIES, *simplex: orbicularis: ascia: sima: oculus: rhombus: cancer: capistrum: scapha: lepus: galea.*

COM-

COMMENTATIO III.

DE

Orationis vi Medica.

In qua, explicatâ Orationis definitione, diuisione, excellentia, agitur de eius fructu, analogia ad Medicinam. Et demonstratur, eam, si sit vocalis, prodesse corpori, tanquam Medicamentum. Multò magis animæ, cùm sit Pharmacum præseruatiuum, confortatiuum, ac conseruatiuum. Exterius adhiberi posse vt Amuletum. Admirandam eius esse vim in morborum omnium curatione. Operari per modum Medicamenti catartici. Non esse ei simile prophylacticum. Denique, nullum esse morbum tam pestilentem, cui non medeatur.

Dominica V. post Pascha.

Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Ioann. XVI. 24.

Orationis definitio.

ORATIONIS petitoriæ, siue illius, quæ non se mouentibus labris in cordis intimi penetrabilibus, Deo mentium scrutatori peruijs; siue alterius, quæ voce, quà submissa, quod vulgarium, & plebeiorum; quà altiore, & modulata, ac harmonica, quod Ecclesiasticorum, perficitur, tot sunt laudatores, quot de rebus asceticis veteres, ac iuniores scripserunt: quorum numerus iniri vix potest: tot eiusdem laudes, quot penè scriptorum eorundem sententiæ: certè, quot libri, aut tractatus.

Basilij Hom. 5. in Martyr. Iulittam.

Eius finitionem habet Basilius talem: *Est boni cuiusdam petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur.* Gregorius Nazianzenus: *Est conuersatio, sermocinatioque cum Deo.* Chrysostomus: *Colloquium cum Deo.* Augustinus: *Ascensio animæ de terrestribus, ad cælestia: inquisitio supernorum: inuisibilium desiderium:* Ioannes Damascenus: *Ascensio mentis in Deum.* Quod si ex omnibus his medullam exsugas, describes orationem ad Euangelium hodiernum accommodatè: *Est sermocinatio cum Deo, qua petimus, quæ nobis, aut proximis sunt salutaria.*

Naz. Orat. 1. de Ora. dom. Chrysost. Hom 30. in Gene. Aug 230. de temp. Dam. lib. 3. fid. c. 24. Aug. in ps. 86.

Diuisio Orationis.

PARTITIONEM habet S. Paulus, tum epistola ad Philippenses cap. IV. tum in priore ad Timotheum secundo. vbi rogat, vt fiant, *Obsecrationes, Orationes, Postulationes, Gratiarum actiones.* Per *obsecrationes*, intelligit deprecationes malorum: per *Orationes*, petitiones bonorum, sensu Theodoreti, & Augustini. Nimirum, orandus est Deus pro malis auertendis, & pro bonis accipiendis: & quidem vtraque postulanda in futurum: ac pro impetratis

Philip. 4. 6. 1. ad Time. 2. 1.

tratis gratiæ agendæ. Communior diuisio est ac Vniuersalior in *Mentalem* & *Vocalem*. Item: in *Publicam* qua nomine totius Ecclesiæ, à Sacerdotibus peragitur, & *Priuatam* quâ singuli priuatim quocunq; loco Deo supplicant.

Excellentia ac dignitas orationis. ORATIONIS excellentiam dignitatemque colligunt scriptores Sacri ex diuinorum voluminũ enũciatis. Exo XXXII. Moses illustratus radijs, solis instar, ab oratione redijt. Exodi XXXIV. Deum quodammodo cogit ad cõdonandam noxam. Quod etiam habetur Psalmo CV. Et eadem, Psalmo CXL. comparatur sacrificio. Et beati Spiritus orationes, tanquam sacrificia Deo offerunt, Tobiæ XII. Aliunde Orationis prærogatiuas ducunt. Tertull. lib. de Oratione: Cyprianus eod. titulo: Nyssenus lib. eiusdem lemmatis. Ambros. in Psalmum CXVIII. Chrys. homil XXX. in Genesim, ac lib. quem scripsit de orando Deum; Bernardus sermone VIII. in Cantic.

Exod. 32. 9. Exo. 34. 30. 2. Cor. 3. 13. Ps. 105. 23 Tob. 12. 12.

NECESSITATEM autem summam esse Deum orandi diuinæ Paginæ clamant. Psalmo XXXI. XXXVI. XLVIII. Ecclesiastici VI. Matthæi VII. & XVI. Marci XIII. Lucæ XVIII. & XXI. Ad Philippenses IV. Ad Colossenses IV. Ad Thessalonicenses. V. Iacobi I. & Epistola sua prima Petrus capite quarto. Idem docent Patres nominati. Præter quos Augustinus epistola CXXI. ad Probam: & ad Hilarium Epistola LXXXVII. ac libro de naturâ & gratiâ cap. XXVI.

Fructus orationis. DE fructu eiusdem multiplici plena sunt veterum monumenta. *Primò*, quod penetret cœlos adfirmat Ecclesiasticus. c. XXXV. & August. in Psalmum XXIX. *Secundò*, quod impetret condonationem criminũ, constat ex illo Matth. VI. *Dimitte nobis debita nostra*: demõstrat exemplũ Publicã: probat egregiè Chrys. lib. de orando Deum. *Tertiò*, quod Cacadæmonoem, eiusq; tentamenta repellit, orationis dominicæ petitio sexta satis indicat, ac docet præclarè Chrysostomus libro indicato: cui adiungatur Augustinus, sermone XXII. ad fratres in eremo: vbi pluribus de hac re agit. *Quartò*, quod iustis mereatur incrementa virtutum, vitamque æternam apertè enũciauit Dominus, Matth. VI. *Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi*: ac confirmat Chrysostomus in Psalmum VII. ac libro de orando Deum, seu modo orandi. *Quintò*, quod contra hostes inuisibiles plurimum valeat Augustinus sermone XXII ad fratres in eremo doctè, pièque deducit: *Sextò*, quod ad satisfaciendum pro pœnis peccato debitis plurimum valeat liquet exemplo Dauidis secundo Paralipomenon cap. XXXIII. & disserit Augustinus in Enchiridio capite LXXI. ac S. Leo de ieiunio XI mensis sermone. I. & satis expressit Dominus, dum iussit orare, vt debita dimittantur. *Septimo*, quod impetret omnia vitæ subsidia, nemo nisi in Sacris hospes dubitat: & probat Hieronymus Isaiæ XXXVIII. exemplo Ezechiæ. Nazianzenus autem exemplo Alexandri Episcopi, de quo Theodoretus lib. I. cap. XIV. & Socrates lib. I. cap. 25. *Octauò*, quod eadem magnam concilíet voluptatem multis ostendit suauissimus Bernardus sermone V. de quadragesima.

Conditiones orationis bona. SED hæc præstet oratio, si conditionibus sit ornata quas numerant Patres Ecclesiastici, & explanant. *Prima* est, fides vera in Christum, de quâ ad Romanos X 14. Marci XI. 24. Iacobi IV. & Augustinus sermone de verbis Domini XXXVI. *Secunda*, fiducia, quam exigit à paralitico Christus, Matth. IX. ac fiduciam habenti, remissionem, ac impetrationem promittit DEVS, Psalmo XC. *Tertia*, Caritas, & Iustitia, quam postulat S. Ioannes in prima

Psal. 90. 1. Ioh. 3.

Ioan.15.7. prima sua epistola cap. III.& Christus apud Ioannem cap.xv. ac deduxit luculenter Chrysostomus in Psalmum IV. *Quarta*, Humilitas, quæ habetur Luc. XVIII. Isaiæ LXVI.Iacobi IV.eamque commendant omnes Patres: breuiter ac neruosè Bernardus sermone v.in quadrag. *Quinta*, Deuotio: vt oratio sit seria, feruens, ex intimo corde, qualis erat Psalmistæ, Psalmo CXXIX. cum suspirio supplicantis: *De profundis clamaui ad te Domine*: in quæ verba mysterio affectibusque plenissima elegans est commentatio Chrysostomi. *Sexta*, Necessariorum, aut verò vtiliũ postulatio, iuxta voluntatem diuinam, Christi exemplo, Luc.XXII.& præscripto Matt.VI. De quo agunt Patres, Hieronymus. epist. IX. ad Saluian. Augustinus Tract. LXXIII. in Ioann. Chrysost. Homil. xxx. in Gen. *Septima*, Perseuerantia, quam Dominus tradidit Lucæ XI. Paulus Apostolus I. Thessalo. vltimo, 17. Hieronymus Threnor. III Chrysostomus homilia xxxv. in Ioannem. Gregorius in Psalmum sextum pœnitentialem.

Luc.18.11. Isa.66.2. Iac 4.6. Luc 22.42. Matt. 6.10.

SED his omnibus omissis, quæ vos, & nõ ignorare, & de quibus meditatos nõ rarò quosdam iuuat credere: atque alio tempore à nobis disputatum est fusè, istud præsentis est negocij & proprium nostri instituti, vt ostendatur, Orationi vim quãdam inesse medicam: adeoque ab ijs frequenter vsurpandam, qui se varijs infirmitatibus detineri ignorare non possunt. *Orationem esse Medicinam* nunquam tam audacter adfirmassem, nisi dicti illius patronum habuissé Chrysostomum: qui lib. de orando Deum, post alia orationis encomia, tandem colligit: *Quid maius, aut diuinius contingere posit, quàm* ORATIO, *cùm hanc animis ægrotantibus* PHARMACUM *quoddam esse liqueat.* Vbi

Oratio pharmacum animæ.

NOTO, dicere imprimis magnum illum Antistitem, esse animis ægrotãtibus *Pharmacum*. Non, quod non etiam corpori ad sanitatem conducat: sed, quod id animarum ille *Medicus* flocci faciendum duxerit. Et ego id nauci facerem, nisi homines corporis magis, quàm animarum cõmodis moueri vsu ipso didicissem. Itaque, & hoc auctuarij loco adijciatur: corpori quoque Orationem haud parum ad incolumitatem prodesse: idque naturaliter. Nam mihi certum est: Oratione caput, & stomachum, quæ duo arces sunt sanitatis corporeæ non parum iuuari. De oratione maximè vocali, vulgo magis nota loquor, quæ tamen attentione debita non sit destituta. Illa, siue è libro legendo, quod fit, dum preces horariæ persoluuntur: siue memoria fideliter suggerente, quæ illi commissa sunt, fiat, plurimum ad curandum capitis dolorem valet Medicorum iudicio. Vnum nomino Cœlium Aurelianum, qui in minuendo, tollendoque capitis malè affecti cruciatu, lectionem adhiberi consuluit. Lectionem intelligo, quando voce verba exprimuntur. Quæ loquutio nominari potest, vel sermocinatio. Quod genus est Orationis, vt Theologi docent. Scio multis hoc paradoxum videri: sed nonnisi effectûs ignaris: qui contubernalium aliquem hoc remedio vtentem risu solent excipere.

Corpori prodest Oratio vocalis, vocalis.

ME quoque recreat Senecæ auctoritas, qui ad refrenandas, quas patiebatur capitis destillationes, lectionem in vsu se habuisse alicubi scribit. Quare frustra sũt, & imperitiam produnt, qui se à legendis precibus quotidianis ob capitis dolorem, vel catharri fluxum excusant: cum eo modo sanari posse constet. Adhæc, iuuat recitatio precum, vt lectio, tum pectoris intimas partes, tum stomachum. Quod obseruat Hieronymus Mercurialis doctissimus æui nostri Medicus, in

Lectio capitis destillationes ...

libello de arte gymnastica, quæ pars est Medicinæ. Adiungit his Celsus, Lectionem corrigere vitia stomachi: quandoquidem per ipsam pituitosa excrementa suauiter attenuantur, absumunturque, & calor natiuus, citra vllam violentiam excitatur, & augetur. Non ignorauit hoc Plinius, quem scribit eius nepos, lectionem adhibuisse, cùm voce ac stomacho laboraret. Quod diximus, præcipuè intellige de clara, ac vehementius explicata precum recitatione. Proportione autem aliqua, ad eadem conducit, quæ est remissior, leuius tamen, ac tardius. Si cantus accedat, expeditius efficiuntur eadem. Liquet enim pituitam linguæ motitatione, dum oratio profunditur, vel cantatur, consumi. Quod sputa indicant ex ore canentium, imò, simpliciter sermocinantium vbertim manantia. Quæ partim à capite, partim à stomacho, partim à thorace excussa cuncta ista membra orationis beneficio recreari satis ostendunt.

Plin. lib. 9. Epist.

ITA profano, ac Gentili orationis, & cantus Ecclesiastici vsum persuadere conaretur Chrysostomus: quantum colligo ex similibus argumentis, quibus vtitur in libris de Sacerdotio, & homilijs aliquot: in quibus hoc modo homines non nisi, quod animale est sapientes, conuincere solet. Sed nobis cum Christianis est sermo.

Argumentum gentilibus accommodatum.

ITAQVE his non immoremur, sed dicamus: Orationem animis ægrotantibus esse *Pharmacum*, ac planè diuinum: cuius in omni spiritualis medicinæ parte vsus sit maximus, siue Curatiuam, siue Conseruatiuam spectes: & huius partes omnes; quarum *Prima*, morbos imminentes auertit: *Altera*, præsentem sanitatem tuetur: *Tertia*, valetudinarios reficit. Ab omnibus hisce tanquam præsentaneum medicamentum, ac remedium efficax præscribitur Oratio. Quæ si ab homine, morbis, quamuis lethalibus oppresso ritè vsurpetur, sanitati restituit. Si benè valenti adhibeatur, imminentem morbi calamitatem arcet: ac benè constitutam sanitatem firmat. Si à valetudinarijs frequentetur, illos reficit: & quod ad perfectam sanitatem deest, momento temporis adiungit.

Medicina animæ oratio.

ET quidem, imminentes morbos Orationem auertere, ideoq; esse φαρμακὸν προφυλακτικόν, si morbos spirituales animi, peccata nimirum, & affectus inordinatos, ac turbulentos: imò, si corporeos intelligas, nemo, qui vim orationis non omninò ignorat, negauerit.

Oratio Pharmacum præseruatiuum.

EST eximia quædam virtus in Oratione ad mala omnia tam interna, quàm externa, antequam accidant, procul habenda. Dicimus quotidie hac persuasione inducti, *Et ne nos inducas in tentationem*: hoc est: Tentationem imminentẽ, morborum vniuersalem caussam arce: vti explicant Tertullianus, Cyprianus, Nyssenus, Chrysostomus, Euthymius. Aut, etiamsi permittas nos tentationibus vexari; non sinas tamen nos ijs succumbere. Aërem pestilentem non deprecamur: sed, ne inde contagium ad nos dimanet, poscimus. Sic exponunt Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus, Augustinus, Cassianus. Addimus: *Sed libera nos à malo*: nempe à præsentis vitæ calamitatibus: ijs maximè, in quas ob Adæ peccatum incidimus. Quemadmodum Cyprianus, Augustinus, Rupertus, Beda, alijque Latini intelligunt. In his autem morbi sunt corporis, & animi. Itaque sensus est. Sit hæc nobis Oratio prophylacticum remedium contra ingruentes ærumnas, quibus alioqui certò premeremur.

Vis præseruatiua in Oratione.

Tert. l. de orat. Cypr. orat. dom. Nyss. or. 5. de or. dom. Chry. Euth. in c. 6. Mat. Hilar. Hier. in cap. 6. Matth. Amb. Lib. 5 de Sacr. ca. 4. Cyril. catech. 5. mystag. Aug. ep. 121. c. 11. Cass. coll. 9. c. 23.

QVOD

QVOD confirmat illa Ecclesiæ interpretatio; cuius auctoritate, sacerdos in Sacrificio altaris, postquam dictum est: *Libera nos à malo*, subiungit: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccatis simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Vbi, quod dicitur, *de præteritis*, innuit *Medicinam confortatiuam*; quâ valetudinarij confirmantur, ne iterum incidant, in morbos iam depulsos. Illud, *de præsentibus*, pharmacum præsentaneum, quod confestim iuuat. Istud, *de futuris*, præseruatiuũ, quod munit, ac præuenit. Tandem, *ab omni perturbatione securi*, denotat medicamentum conseruatiuum: quod præsentem sanitatem tuetur, omnibus morborum caussis amotis.

ἀναληπτικήν. *ὑπόλεσπον* *προφυλακτικόν.* *Συντηρητικόν.*

HIS vos manuducam ad latentis cuiusdam caussæ in salutis negocio inuestigationem, quæ multis admirabilitatem parit: nec immeritò. Interest autem publicè illam habere cognitam, cùm res sit summi momenti, ideoque attentè illam, arrectisque auribus percipite. Mirantur non rarò homines in politicis magis, quam Theologicis, diuinisque exercitati: Cur è duobus adolescentibus, aut viris, in quocumque statu, eiusdem contubernij, scholæ, patriæ: simili planè naturâ, temperamento, adfectuum dispositione: pari vitæ melioris desiderio: summa morum, humorumque & aliarum qualitatum æqualitate: maximâ etiam lineamentorum corporis similitudine: adde: eisdem parentibus genitis: adiunge, sub eodem natis horoscopo: accumula constellationes, & aspectus eosdem: ac, ne hinc tricas moueas, pariter, vt gemellos, educatis: denique, quasi corpore atque animo vix diuerso à se Sosiæ: dum prouocantur, siue in mensâ à spiritu gastrimargiæ, ad ingluuiem, & ebrietatem; siue in cubilibus, lectis, angulis, ab Asmodæo, luxuriæ principe, ad turpia dicta, facta, cogitata: ad mollitiē, stuprum, adulterium: siuè in symposijs, & circulis potatorum, à Beelzebubo ad detractiones, periuria, blasphemias: siue in foro, à philargyriæ duce ad fraudes, mendacia, contractus vetitos: siue incuriâ à cenodoxiæ tentatore, ad vanam gloriolam: siue in templis, ab acediæ instigatore, ad euagationem, nugas, fabulas: siue in campis ab iræ irritatore ad contentiones, rixas, pugnam: siue priuatim à tristitiæ procuratore ad morositatem, murmurationem, laqueum: mirantur, dico, nonnulli; quare ex his duobus in tanta rerum omnium parilitate, & tētationibus iisdem, vnus consentiat, victasque det manus, & consequenter lethali morbo succumbat: repugnet alter, & gloriosam de hoste reportet victoriã; sanitate pristina non conseruata tantùm, sed & aucta, cõfirmato in futurũ robore.

OMISSIS subtilitatibus, de gratia prę̄ueniente, excitante, cooperante, vocatione congrua, gratia sufficiente efficace, ac similibus, quæ alterius sunt subsellij: aio, id contingere posse, & accidere frequenter, quoniam vnus prophylacticum orationis diligenter adhibuit contra eiuscemodi morbos, ac vulnera: neglexit alter. Hinc dum periculi fuit occasio, & punctũ in quo contagio grassatura erat, Deus illi gratiam talem, tam accommodatã, tam temperatam, tam illius tēporis circumstantijs consentaneam, tam propitiam, tam potentem, tam inuictam, tã efficacem, & victricem liberaliter attribuit: *liberaliter*, dico, quoniã ipsam quoque orationem grãtia præuenientis Dei effuderat. ideo, quod oranti dat Dominus, gratis dare censetur: nimirũ, vt nullo

Cur vnus tentationi [succ]edat, alter non.

 penè

penè negocio, cooperatione tantùm liberâ tentationi non succubuerit: id est, vulnera omnia, morbosq; interminatos auerterit. Alteri verò, qui orationẽ omisit, dat quidem sufficiens ad repellendum tentatorem auxilium; sed quoniam præseruatiuam non applicauit, ad primũ auræ malignæ afflatum, lue corripitur: auscultat tentatori: delectatur morosis cogitationibus: deijcitur, peccat, ægrotat: moritur: perit.

Orationi diligenter instandum.

QVAE prima supremi mali caussa? Orationem neglexit. Quare Adolescentes mei, assuescite à teneris præseruatiuã Orationis medicinã vobis familiarẽ facere. Manè, dum è strato surgitis: imò antequam surgatis, dum euigilatis, ad Deum optimum Parentem preces fundite: Virgini Matri vos per orationẽ commẽdate: Angelo custodi, per precatiũculas vos committite: dũ ad gymnasium proficiscimini, orationem non negligite: dum mensę accumbendum; dum sublatis mẽsis, ad recreationem concedendum; dum studiis opera danda; dum vesperi incumbendum; orationem sacram, vt morborum omnium auerruncatoriam medicinam, præmittite, si sanitatem, tam corporis, quam animæ adamatis.

Oratio sanitatis corporea caussa.

QVOD enim de spirituali morbo, peccato dictum, idem de corpore dici potuisset. Cur putatis, contagionis vniuersalis tẽpore, ex multis, qui omnia adhibuerũt, quæ Medici præscribunt, vnguẽta, odores, pilulas, radices, similia sexcenta, duos, tres, quatuorue infici, ceteros manere incolumes. Nonne eadem sunt vsi habitatione, mensa, cibo, lecto; per easdem iuerunt plateas: cum iisdem egerũt sodalibus? Ego sic cogito. Qui correpti sunt, præseruatiuæ Orationis nullam curam habuêre: incolumes alii ad omnem itum, reditum, cibatum, alloquium, cubatum, prophylacticum precum innouarunt. hinc istis sanitas: illis interitus.

Matutinum præseruatiuum.

HOC matutino potissimùm tempore pectus munite, Adolescentes cari, nihil ad totius diei felicitatem magis opportunum: magis est hoc salutare ad omnes propulsandos morbos, quàm vllius medicati panis, aut aromatici poculi ientaculum. Ridere soleo Martinum Lutherum, cuius nomen frequenter audistis, hominem culinæ, saginæq; natum, qui in colloquiis Latinis, titulo, *De morbis*, multa habet, quæ scurram sapiunt: illud de pręseruatiuo maximè cõtra vertiginem, quà vertiginosus ille non rarò gyrabatur: offam matutinam omnibus prophylacticis præferendam esse. *Nihil* inquit, *melius curat contra vertiginem, quam parua offula manè*: ita ille loquitur: notate elegantiã doctissimi Theologi Addit: *Butyrum enim est res maximè sana. Et verè existimo, Saxones* (verba sunt Lutheri, quibus gentem quoque conterminam, Saxonum antiquorum titulo gloriari solitam comprehendit) *ideo tam robustos esse homines, quia frequenter butyro vescuntur.* Miror cur omittat Hollandos. *Nos vero* (loquitur de se, & amantissima coniuge Bertâ) *tã vulgaria remedia spernimus: & quærimus tantum oleum de nucibus mysticis.* Ita Saxonicus ille nomenclator nucem vnguentariam, & odoratam appellat. Non prohibeo adolescentibus, mane, antequam gymnasium ingrediantur, sumere aliquid, quo stomachũ firment, & pestifero auræ minus propitiæ afflatui resistant. Approbo equidem: sed improbo, si sumatur quidpiam, antequam præseruatiuą Orationis sit sumpta. Hæc omnibus Lutheri offulis, & antiquorum, ac recentium Saxonũ butyro est præstantior. Ideoq; eam commendant pro concione Catholici. Cerberis offulas butyraceas relinquunt.

Saxones, & Vuestphali cur robusti.

AVDI-

Cerua mane rorem excipit. AVDISTIS fortasse aliquando, aut lectione accepistis, Ceruam, studiosi Adolescentis imaginem expressam, quippè ad fontem limpidissimum sapientię properantis, animalis illius instar, sole exoriente, æstiuis mensibus purissimum rorē ore hiante solere excipere: & hoc se præseruatiuo remedio contra æstus violentiam præmunire. Roris virtutem habet Oratio. *Fluat, vt Ros, eloquium meum*, aiebat ille. *Deut. 32. 2.* Si mane illum haurias, vt prophylacticum pharmacum, non est, quod deinde à venenatis auræ, serpentiumque suffusionibus metuas.

Ore capit patulo rorem vaga Ceruа cadentem.
Rore riges nobis torrida corda Deus.

Elephas mane aqua se aspergit. ELEPHAS Sapientum typus, ante matutinum crepusculum amnes petit, aquâ se aspergit, solisq; exortum venerationis gestu salutat. Aqua vitæ, est comprecatio, quæ melius, quàm viuum flumen abluit. Huius aspergine, simulque solis iustitiæ consalutatione, contra diariam impuritatem præsidium pete. Securus diem absque infectione transiges.

VT autem magis huius Medicamenti vis elucescat, illud quoque addamus: *Medicina, Amuletum.* tātæ virtutis medicinam esse Orationē, vt non solum linguâ prolata, aut ore sumpta: sed nonnunquam etiam calamo exarata, & pectori applicata exterius suum sortiatur effectum. Cuius rei gratiâ, obseruo, Inter varia remediorum medicinalium genera illud esse vsitatum multis, quod *Amuletum* Plinio dicitur, & collo appensum, vel alia quauis ratione admotū, amolitur fascinum, & sortilegia: gestaturq; contra morbos, ac vulnera. Amuletorū omnium præstantissimum est *Oratio* in sinu pectoris inclusa, vel mēbranæ inscripta, & collo appensa. Verum ne superstitiosa docere videamur, dū pietatem suademus: Animaduertēdum est: Gentiles olim ritu superstitioso solitos puerulis de collo res turpiculas suspēdere, præfiscini, vt dicebant, ne fascinarentur: vnde & fascini nomen inter obscæna relatum. Alia quoq; amuleta succini aut alterius materiæ contra morbos gestitabant. Quemadmodū & Græcis sua fuerunt περίαπτα, περιάμματα, ἀποτρόπαια, malorum, vt sibi persuadebant auerruncatoria. Sic etiam prodesse sibi persuadebant Iudæi sua *Phylacteria*: seque per ea custodiri, ac præseruari à malis, perperam accipientes diuinum præceptum Exodi XIII. quod etiā habetur Deuteronomii VI. Matt. XXIII. Eundē errorē Pontificijs, vt loquuntur, adfingunt hæretici. *Exod. 13. 16. Deut. 6. 8. Matt. 23. 5.*

FALSO, vt satis liquet. Sed illud tamen negari non potest, multas superstitiones pietatis specie irrepsisse, apud non pessimos alioqui: sed rudes, ac rusticè simplices, qui quaslibet oratiunculas in chartâ, vel virgineâ, vt vocant, vel membranâ, à deterrimis hominibus, vetulis, sagis, lenonibus, qui hinc quæstum aucupantur, bellè scriptas, aut filiolis suis, aut sibi ad pectus de collo suspensas applicant, contra aëris intemperiem, vim gladij, morborum imminentium vehementiam, aliaque externa incommoda. Tales sunt nefariæ illæ precum formulæ, quas contra vulnera, ac pericula ignis, aquæ, & alia, quidam mendaciter adscribunt S. Leoni, & Sanctis quibusdam, quos exprimunt. Quas gestari ab aliquibus non est dubium. Qui excusati fuerunt hactenus, quia bona fide putarunt nihil superstitiosum iis contineri. Alioqui si scienter eas vsurparunt, aut hæsitarunt, fas ne sit iis vti, à graui peccato excusari nō possunt. Siquidē eo ipso abstinere debuissent, ne periculū incurrerent superstitionis, aut impietatis, vt Theologi definiūt

VERVM

tem ille, qui vtitur, agnoſcit eum modũ eſſe inutilem, atq; inefficacem ad effectũ impetrandũ: ſed tamẽ vſurpat illum aliã ob cauſſam: aut quia aliquo tandẽ modo debet orationem ſcribere, vel proferre. Tunc autem ſæpè non eſt ſuperſtitio, niſi aliud quid interueniat. Denique dignoſcitur ſuperſtitio in ſimilibus ex vanitate effectus, qui precibus procurari dicitur. Cuiuſmodi eſt: quod annulus ferreus filo extento impoſitus moueatur, oratione aliquâ ſacrâ pronunciatâ. Tunc enim verba tacitè ad Cacodæmonem referri exiſtimantur, qui vult eo modo honorari Quocirca Caietanus in ſummula caſuum, *Verbo, Incantatio* refert, immotum ſtetiſſe annulum, cum eaſdem voces, quas alij, pronunciaſſet quidam, proteſtatus, ſe nullo modo ad Dæmonem referre. Atque ideò S. Thomas, in ijs, quæ collo appenſa geſtantur, caueri monet: *Primò*, ne quid ſcribatur, quod manifeſtè Dæmonis inuocationem, cultum, venerationemue contineat. *Deinde*, ne verba, aut characteres penitus ignoti ſcribantur. Nam eo ipſo, quod ſit ſcriptura incognita, meritò eſt ſuſpecta: vt quæ erroris ac impietatis periculũ præbet. *Præterea*, ne ſcriptura falſi aliquid contineat. Deus enim falſitatis auctor, aut teſtis eſſe non poteſt: ac proinde falſæ ſcripturæ miniſterio nihil boni contingit. *Poſtremò*, ne verbis Orationis ſacrę vani aliquid miſceatur. Quod ſi fiat, haud probæ notæ ſunt amuleta.

Quæ preces vſurpari poſſunt ſine ſuperſtitione.

QVÆnam ergo preces, orationesq;, tanquam periammata, ſine ſuperſtitione à nobis vſurpari poſſunt? Dicam clarè: quæ Eccleſiæ Catholicæ ſalutari conſuetudine introductæ ſunt, & paſſim à piis ad pericula propulſanda adhibentur. Nã præter cereas Agni Dei effigies, Sanctorumq; reliquias, quas reuerentiæ cauſſa geſtare pium eſt, *Oratio dominica* in membrana ſcripta, cum S. Ioannis Euangelio, Pſalmus Dauidis deprecatorius Litaniæ, ſimilesq; preces, vt amuleta portari poſſunt: ac Dei virtute, morborum, vulnerum, malorumq; ingruentium incommoda auertunt, facilius multo, ac efficacius, quàm vlla Medicorum periapta, aut ſuperſtitioſorum amuleta. Orationes quæ hiſce Rogationum diebus in oppidis ac agris magna populi frequentia decantantur, ſunt ſalutaria quædã remedia, ex officina cæleſtis *Medici* deprompta ad intemperiem à ſegete, vineis, arboribus, & omnem morbum ab aëre, cœlo, aruisq; propulſandum. Nec miretur aliquis me aruis morbum adſcribere. Morbi enim, licet propriè ſint animalium, inanimatis tamen etiam à probatis auctoribus tribuuntur.

Hic quondã morbo cæli miſeranda coorta eſt *Virg. Georg. 3.*
Tempeſtas, totoq; auctumni incanduit æſtu.

canebat ille.

IAM verò ita argumentatur S. Thomas: Diuina verba non ſunt minoris efficaciæ quando ſcribuntur, quàm quando proferuntur. Cum itaq; cantentur orationes, aut dicantur verba ſacra ad aliquos effectus ad ſanitatem ſpectantes, obtinendos, ad morboſq; depellendos; cur non etiam ſuſpendantur è collo mẽbranulæ inſcriptæ? In vita S. Antonij lego, infeſtationem quandam Dęmonum, cum preces membranæ inſcripſiſſet, & in cubiculo ante Deiparæ Virginis imaginẽ affigi iuſſiſſet, eum diſpuliſſe. Narrat quoque Leontius Epiſcopus virum Sanctum Simeonem Salem mulieri magæ amuletum in tabella conſcripſiſſe. Quod dum geſtaret, non potuit amplius diuinare, nec magica amuleta facere.

Surius Tom. 3.

Sur. in Iul.

Oratio Medicina Curatiua.

ITAQVE probatum ſatis reor, Orationem, tanquam medicinale pharmacũ, & amu-

procidit ad pedes Domini, mundatus est. Adde Oratione impetrari remissionem peccatorum. Quod docemur in precatione, à Christo Domino omnibus proposita, in qua petimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Remissionem autẽ peccatorũ sine purgatione scelerum nõ fieri, seu potius, idẽ planè esse illa duo, solo verborũ discrimine differentia, satis cõstat diuinũ volueti Codicẽ. Illustris est locus Petri Apostoli in altera sua epistola, vbi hortans suos ad fidem, virtutem, scientiã, abstinẽtiam, patientiam, pietatem, amorẽ fraternitatis, caritatem, subiungit: *Cui non praesto sunt haec caecus est, & manu tentans obliuionem accipiens PVRGATIONIS veterum suorum delictorum.* Hanc PVRGATIONEM praescripsit in hunc mũdum veniens, si Paulo credimus, coelestis *Medicus.* Sic enim ille scribit epistola ad Hebraeos cap. I. *Nouissimè diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem vniuersorum, per quem fecit, & secula. Qui cum sit splendor gloria, & figura substantiae eius, portansq; omnia verbo virtutis suae, PVRGATIONEM peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis.*

2. Petri 1. 9

Hebr. 1.

In verbis Orationis vis Medica.

PRAECLARE probas, inquis, Oratione morbos dispelli. Sed apud argutulos non cõficies in Oratione ipsa; nempè, verbis siue mentalibus, siue vocalibus virtutem illam esse, quae in medicinis solet, vt à morbis ipsa liberet, ac sanitatem conferat. Id etiam nullo negocio, homini minimè rudi in Christianae religionis mysteriis persuadebimus: modò per vim illam significetur supernaturalis virtus, ijs diuinitus adnexa. Nulli non est notum è vobis, in septem Sacramentis nouae legis, vnum esse, quod *Extrema vnctio* dicitur. Huius sacramenti forma, quae praecipuam eius partem constituit, est Oratio: seu, deprecatio, adeò necessaria, vt Sacramentum illud sine formali deprecatione celebrari nequeat. Cum verò effectus huius Sacramenti sit *sanitas* corporis & animae: ideoq;, non nisi ad mortem aegrotanti conferatur: illa autem vi ipsius Sacramenti tribuatur, animae certò, cuius sanitas in gratiâ consistit, necesse est dicere in ipsa Oratione esse virtutem quandam, quae sanitatem producat.

Forma extrema vnctionis.

Suarez. Tom. 4. Disp. 40 sect. 3.

ET ita omninò sentio, ac assero: dum verba illa deprecatoria ab orante proferuntur, imprimi illis diuinitus vim quandam, eamque physicam supernaturalem, sanatiuam perfectè: cuius interuentu, tanquam efficacissimo remedio, morbi curẽtur. Quod sanè est formaliter quoque, vt loquimur in scholis, medicinam esse. Et quid clarius illo Iacobi Apostoli enunciato: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum.* Sic enim scribit in epistola sua, cap. v. vbi est verbum medicinale, ἰάσομαι, dum subiungit: *Orate pro inuicem, vt saluemini.* ἰαθῆτε. Quamuis autem duo illa, tam ad corpus, quam ad animam referri possint: tamen apud Theologos intelliguntur de salute corporis, quae opponitur infirmitati corporeae, de quâ ibi est sermo. Et addit S. Iacobus: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quod sanitatem animi respicit. Sed de his pluribus agetur, cum Sacramenta omnia medicinas esse demonstrabimus.

Imprimi verbis vim physica

Iac. 5.

Bellar. l. 1 de Extr. vnct. cap. & c. 3. aa

HIS addatur: pestilentiae tempore, quando omnia tetrâ lue correpta vicinis contagionem adflant, monere Medicos, praeclarũ esse remediũ, aromatibus igne crematis aërem emẽdare. Quo pacto cõstat multorũ aedes à pestis cõtagio siue liberatas, siue praeseruatas. Ad id deseruit lignũ, & baccae iuniperi, ros marinus, saluia, lauendula, maiorana, serpillũ, aliaeq; herbae odoratae: cortices citri, & pomorũ suaueolentiũ; si viuis vrãtur carbonibus:

In peste suffitus Orat.

acetum laminæ candenti infusum: vinum cum aqua rosacea, & gariophyllis, in vasculo permixta, & carbonibus vt bulliant, imposita: tum alia aromata, stacte, thus, onyx, similia. Ceterum nunquam non in hac magna mundi ciuitate, pestis regnat, qua omnes impij sunt infecti. Quotquot sunt improbi, tot sunt pestes, ac pestilentes. Est enim quilibet criminosus peccato lethali, quod meritò morbus exitialis, & pestis vocatur, correptus: quo ipsis, alijsq; quibuscum agunt, interitus paratur. Estque idem ferè semper pestilens & corruptor aliorum, saltem factis, exemplisq; prauis.

Orationis suffumigatio. QVOD nam autem remedium ne cõmuni lue extinguaris? id est, ne, aliorum exemplo, aut inuitatu pecces? Aromata igne aduras in suauissimum odorem, tibi, & Domino. Medicata aromata, sunt Orationes: ignis, Caritas. Apocalypsis v. Viginti quatuor seniores habent phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt Orationes Sanctorum, ipsiusmet interpretatione Videntis. Optimum sanè thymiama, quod veluti sacrum illud de quo Exodi xxx. ex varijs aromatibus in tenuissimum puluerem contusis, & redactis est compositum. *Exod. 30. 34.* *Dirigatur Oratio mea*, clamabat ille Deo dilectus, *sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* *Ps. 140, 2.* Hoc incensum, facilius, quàm vlla herbarum, aromatumque fragrantia aërem ab omni vitio liberat. Vtinam orationes nostras ita fundamus: nimirum tam puro, & caritate Dei, ac proximi inflammato pectore, vt ascendant per contagiosum mundi aërem, *tanquam virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* *Cant. 3. 6.* *Fumus ex aromatibus*, inquit Gregorius, *compunctio est orationis, concepta ex virtutibus amoris. Quæ oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola cælestia postulat, secretè progreditur, vt ad terrena petenda minimè reflectatur.* *Hom. 22. in Ezech.*

Oratio medicamentũ præseruatiuum. HÆC ad vim præseruatiuam Orationis spectant. Quo etiam istud referas. Abassini Aethiopes, (vt scripserunt, qui in ijs agunt locis) in sacerdotibus Christianis præ ceteris suspiciunt castitatem, *Epist. Patrum, Soc. I.* cum eorum religiosi, quos habent plurimos, sint impurissimi. Ipse rex fratri suo, proregi Tygræ colloquens, eosdem, Angelos asserebat. Antistes quidã religiosus reginæ, seu imperatricis magister cũ esset, apud Reginam cum Patribus Societatis, percunctatus est: quo vterentur remedio Patres, quaue *Medicinâ*, vt sic essent casti? Cùm responsum esset, adhiberi ORATIONES, pœnitentias, & sedulam sensuum custodiam. Illa, inquit, ratione tuto puritas, & tale monile seruatur. Placuit responsum Reginæ. Sanè nemo continens esse potest, nisi Deus det, à quo orationibus est efflagitandum.

Oratio Medicina Roboratiua. PORRO Orationem, nõ tantùm Curatiuam, ac Præseruatiuam, verum etiam Roboratiuam esse medicinã, quæ valetudinarios reficiat, & sanitatem præsentẽ tueatur, istud ostendit, quod nihil adeò ad constantiam in benè cęptis obtinendam valeat, quàm feruens, & magna cũ fiducia effusa Oratio: nihil ita spiritum impinguet, & dulcedinem internã ingeneret, quam hæc eadem. Parit oratio delectationẽ incredibilem. Per eam enim fit vt incipiat homo gustare, quàm suauis sit Dominus. Quanta autem hæc sit suauitas, vel ex eo potest intelligi, quod nõnullos non solũ pernoctare, sed dies integros cũ integris noctibus in oratione cõiungere, sine labore, potuisse nouimus.

Delectatio ex Oratione. AVREA sunt illa D. Bernardi: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quid, ô Propheta*, inquit, *quod* *Psal. 36.*

S. Bern. serm. 4. de Quadrag. *tam absolutè mones, delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit istiusmodi delectatio? Delectationem cibi, somni, & quietis, & ceterorum, quæ in terra sunt, nouimus: delectationem autem, quam Deus habet, vt in eo delectemur, quis nouit? Fratres mei, seculares hoc dicere possunt: vos non potestis: Quis enim vestrum est, qui non sæpè expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? qui non gustauerit saporem castitatis, humilitatis, caritatis?* addamus: O rationis. *Non est hæc delectatio potus, neque cibi, aut similis cuiuslibet rei: delectatio tamen est, & maior omnibus illis. Diuina enim est, & non carnalis delectatio: & cum in his delectamur, planè delectamur in Domino.*

ITAQVE si morbos imminentes auertere, præsentem sanitatem tueri, valetudinem vestram reficere, ærumnas vitæ huius omnes à capitibus vestris arcere velitis, medicamentorum omnium nucleum, Orationem, in prosperis æquè & aduersis vsurpate: *Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

NOTAE.

§. CACODÆMONEM *maximè insidiari orantibus, nimis quam notum est. S. Basilius Orat. de rerum abdicatione:* Habent, *inquit,* morem hunc Dæmones, vt peragendæ orationis temporibus per speciosam laudabilis caussæ simulationem, nobis sedulò auctores sint, vt ab eo nos subducamus: vt quam salutem afferre nobis orationē intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant. *Similia habet B. Dorotheus sermone secundo. Climachus autem gradu* XVIII. *scribit, eodem tubæ spiritualis signo, conuocari fratres ad orandum, & Dæmones conuenire ad illos perturbandos. Nilus verò, non dubitat asserere, vniuersum bellum inter nos, ac Dæmones esse non nisi de Oratione. Quod scribit cap.* XLVII. *de oratione. Testis S. Antonius, quem Dæmones ab orando repellere conabantur, vt Athanasius in vita illius refert. Narrat S. Gregorius lib.* II. *Dialog. cap.* 4. *visum dæmonem sub nigri pueruli specie per simbriam vestimenti Monachum trahere extra chorum.*

§. Multi caussas huius infestationis quęrūt anxiè. *Approbo illam, quā D. Catharinæ Senensi patefactā fuisse diuinitus, scribit Abbas Blosius in Monili spirituali cap.* III. *Cùm illi dixit Dominus infestari orantes à Dæmonibus plus orationis tempore, quam extra, quia cognoscit Orationis exercitium esse fortissimam armaturam aduersus omnes inimicos. Itaque conatur orantes armis, ac telis spoliare.*

Theodoretus in hist. relig. cap. XXI. *aliam caussam suggerit, instituto nostro propriam. Cùm enim narrasset, Iacobum Eremitam terroribus, & modis alijs exquisitis à Dæmone in Oratione fuisse tentatum, turbatumq́; caussam vexationis addit:* Quia id tempus MEDICINÆ datur: consulitur *Medicus:* quæruntur remedia.

Robertus Bellarminus Concione XXXII. Quemadmodum ijsdem ferè medicamentis in humanis corporibus & efficitur sanitas, & conseruatur: pari ratione, mentibus humanis vnum, idemq́; *Pharmacum Orationis*, non solùm virtutum sanitatem efficit; sed etiam conseruat effectam. Non solùm morbos vitiorum contractos expellit; sed etiam prohibet, ne deinceps tales ægritudines contrahantur.

IDEM *ibid.* Ieiunia, eleemosynæ, confessio peccatorum, lectio scripturarum, & alia eiusdem generis opera, sine *Oratione* internâ, sunt veluti *Medicamenta* quædam externa. Qualia sunt balnea, vel vnguenta, vel fomenta, quæ extrinsecus adhibentur corporibus ægrotorum. At plaga nostra interna est: ægritudo nostra in intimis visceribus delitescit. in recessu cordis est morbus noster. ibi est

apostema. *De corde exeunt cogitationes malæ.* Ibi sunt radices vitiorum. Ibi est adhibenda *Medicina.* Hoc autem *fit Oratione* interna.

§. LABEM *omnem, quæ in cibis, ex ingrati animi vitio residet, sacræ preces prorsus eluunt, & abstergunt. Imò, si Dæmon interdum cibo ac potu nos inficere conetur, huic malo diuinæ preces occurrunt. Et docet S. Chrysostomus in priorem ad Timotheum cap. 4. idolothyta precatione sacra fieri munda, ac sancta.*

THEOPHYLACTVS. Demus, quod quidpiam sit immundum: sed habes *Medicinam.* Signa, gratias age, glorifica Deũ, ac deficiet immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat. Qui verò ingratus est, ipse est immundus ac pollutus.

§. OB *hanc caussam licet alia innumera non desint, Oratio tum quolibet tempore, tum ante cibum frequentanda esset: nec minus mensis remotis, ne quid noxium ab inimicis propinatum noceat. Hoc ab antiquis seruatum fuit accuratè. Extat hymnus de benedictione mensæ Prudentij:*

> Te sine dulce nihil Domine,
> Nec iuuat iure quid appetere:
> Pocula ni prius, atque cibos,
> Christe tuus fauor imbuerit,
> Omnia sanctificante fide.

Paucis interiectis:

> Fercula nostra Deum sapiant:
> Christus & influat in pateras.
> Seria, ludicra, verba, iocos,
> Trina superna regat pietas.

Supersunt Sanctorum egregia testimonia, quibus hæc Christianorum consuetudo mirificè commendatur. Collegit plurima Ioannes Busæus in Viridario. Tit. Oratio.

S. BERNARDVS *Homil. de duobus discipulis euntibus in Emaus.* Lucas, qui *Medicus* fuisse ab Apostolo dicitur, epistola ad Colossenses IV. interpretatur autem, si nomen spectes, *Eleuans,* aut *consurgens,* sui interpretatione nominis imaginem repræsentat Meditationis. Quæ MEDICAMENTVM est conturbati spiritus, & conscientiæ ægrotantis. Quæ sicut stellio manibus nititur, vt moretur in ædibus regis, & consurgens ab infimis, eligendo suspendium, deserit transitoria, & se eleuat ad æterna. Adiungatur Oratio Meditationi, vt ex amborum respõsione dulcioris balsamus melodiæ, diffusiores spiret delitias, in auribus peregrini. *B. Isidor. lib. VI. etymolo. Orationem comparat* Medicamento. Sicut, *inquiens,* nullum in vulnere profuit medicamentum, si adhuc in eo ferrum sit; ita nihil profuit Oratio illius, cuius adhuc dolus in mente, vel odium manet in pectore.

ROBERTVS *Bellarminus Concione* XXII. Concionator, tametsi *Medicus animarum,* tamen dicit tibi morbum tuũ esse grauẽ ac periculosum: ac ideò se solum non sufficere: sed necesse est tibi adhuc alium *Medicum* sapientem adire. Itaque mittit te ad *Orationem,* vt *Medico* illi cœlesti, ac diuino, qui omnes morbos curare nouit, plagas omnes animæ tuæ demonstres.

(∵)

COMMEN-

COMMENTATIO IV.

DE

Orationis vi Medica.

In qua proponitur apparatus ad Orationem, ex comparatione ægri cibum fastidientis: doceturque ijsdem indigere oraturum, ad ritè orandum, quibus ægrotus ad salubriter comedendum.

Dominica X. post Pentecosten.

Duo homines ascenderunt in templum vt orarent. Luc. XVIII.

Lubet Commentationi præmittere tabellam, tanquam breuiarium, in quo repræsententur, quæ ad piè salubriterq́ orandum, meditandumue sunt necessaria: quid Orationi sit præmittendum: quid in illa seruandum: quomodo orandi desiderium sit excitandum: idq́ per analogiam ad ægrotum, qui ad cibum sumendum à curatore industrio aptatur. Nam reuera, quisquis ab oratione abhorret, quisquis ad illam tepidè accedit, quisquis in illâ præ tædio nauseat, grauiter ægrotat. Huic itaque medicinam facere est animus.

APPA-

APPARATVS AD ORATIONEM.

Æger ad cænam tribus eget

- I. Materiâ, quam apparant
  - 1 Obsonator.
  - 2. Coquus.
  - 3. Medicus.
- II. Forma, in qua spectatur
  - I. Tempus
    - 1. Ante paroxysmum.
    - 2. Post paroxysmum.
    - 3. In ipso paroxysmo.
    - 4. Repetitio.
  - II. Locus
    - 1. In Lecto.
    - 2. In conclaui.
    - 3. Sub dio.
  - III. Situs
    - 1. Iacens.
    - 2. Sedens.
    - 3. Erectus.
  - IV. Modus
    - 1. Ne concitatè.
    - 2. Ne gulosè.
    - 3. Modestè.
  - V. Quantitas
    - Varia pro ægri natura & morbo.
- III. Gustu, qui curandus
  - I. Expulsione noxiorum, per
    - 1. Vomitum.
    - 2. Pharmacum.
  - II. Expurgatione reliquiarum morbi
    - 1. Labore.
    - 2. Diæta.
    - 3. Sudore.

1. Ora-

VT AD COENAM AEGROTI.

- Oraturus tribus indiget,
  - I. Orationis materià, quam copiosam subministrat
    - 1. Christus, Orationem Dominicam.
    - 2. Dauid, Psalmos.
    - 3. Prophetæ, Cantica.
    - 4. Publicanus,
    - 5. Sancti Patres.
    - 6. Scriptores ascetici.
  - II. Forma, in qua spectatur
    - I. Tempus
      - 1. Nocturnum.
      - 2. Matutinum.
      - 3. Horæ 3. 6 9.
      - 4. Ante, & post cibum.
      - 5. Ante studia, vel quamlibet operationem.
      - 6. In tentationum ardore.
    - II. Locus.
      - 1. In priuatis orationibus, quilibet.
      - 2. Solitudo, ob
        - 1. Eleuationem.
        - 2. Excessus, motusque.
        - 3. Fugam vanæ gloriæ.
      - 3. Publicus. Templum aptissimum, ob
        - 1. Obedientiam.
        - 2. Vitandum scandalum.
        - 3. Professionem fidei.
        - 4. Exemplum.
        - 5. Impetrationem.
    - III. Situs.
      - 1. Genuflexio.
      - 2. Statio.
      - 3. Manuum eleuatio.
    - IV. Modus.
      - Attentio.
        - 1. Ad verba.
        - 2. Ad sensum.
        - 3. Ad Deum, aut diuina.
    - V. Quantitas.
      - Discreta repetitio, septies.
      - Continua: diutissimè.
  - III. Gustu, qui curandus
    - I. Expulsione
      - 1. Confessione.
      - 2. Contritione.
    - II. Expurgatione reliquiarum.
      - 1. Mortificatione.
      - 2. Diæta abstinentiæ.
      - 3. Sudore lacrymarum.
    - III. Electuarijs.
      - 1. Orationibus iaculatorijs.
      - 2. Præsentia continua Dei.

Christus parabolis Orationem commendat.

CHristvs Dominus, optimus, vt agendi, ita dicendi, & orandi Magister, varijs parabolis, suos erat instruere solitus, de Orationis, tum necessitate, tum excellentiâ, tum vtilitate, tum modo, tum frequentia, alijsq; illius adiunctis. Inter quos non vltimum locũ obtinet illa de Publicano, ac Pharisæo orantibus, quæ nobis de Oratione agẽdi occasionem dedit iteratò. Res vulgaris est, inquit aliquis, sæpius tractata, & vbi non? in scholis, templo, pagis, in catechesi, exhortatione, concionibus, lectionibus, commentationibus: in omnibus libris habentur eadem: nihil noui, vt animaduerto, adferes. Itanè? Dolendum profectò, rem toties tractatam, traditã, expositam, tam malè peragi: nec maiorem fructũ ex rei vtilissimæ repetita pertractatione perceptam: atque ideò de ea minimè est silendum. De quibus dictum olim, iterum est dicendum: inculcanda sunt eadem, si necessaria iudicantur, vel vtilia: de nouitate minimè laborandum homini serio.

Vulgaris materia.

Sed non idcirco omittenda.

Error vulgaris.

Est ille quorundam ignorantium, vel nimis delicatorum error; qui commẽtationum, lectionumve sacrarũ decus (de fructu haud soliciti) in argumẽti nouitate ponunt. ineptè omninò. Peritorum est istud iudicium, in rei vulgaris, ac obuiæ tractatione vtili Concionatorum laudẽ consistere; modo sit argumento, tempori, loco, atq; auditoribus accommodata. Fructus quęrantur, non flores. Illũ pluris, quàm è re noua, qualem, qualem applausum viro prudenti esse faciendum sapientum est consensus. Zeuxis nobilissimus pictor, cùm in hippocentauro fęminâ depictâ, populũ animaduertisset argumenti nouitatẽ solùm admirari: nihil ad operam, artificiumq;, quo accuratissimè tabulam depinxerat, animum applicare, iussit à populi conspectu picturã amoueri: firmiterq; statuit, vt in operibꝰ suis ea eminerent in posterum, & spectarentur, quæ cõmendari secũdũ artẽ possent. Nũc rẽ ipsã aggrediamur: memores tũ nos Medicinã spiritualem corporeæ haud absimilem illustrandam suscepisse. Ea hæc ad præsentẽ materiã suggerebat.

Lucia. in Zeuxide.

Cvm cibus, tam sit homini necessarius, vt sine eo diu in viuis permanere nõ possit: postquam aliquis in aduersam valetudinem incidit, deiectoque est stomacho, curæ solet esse sanitatis præfectis, vt aliquid offeratur, vel instilletur infirmo, quod corpus, cibi in modum, reficiat. Quod si æger nihil planè admittat, conclamatur: nã de vita est actũ. Ad sumẽdũ aũt cibum ægrotus tribus indiget. *Primò,* materia: sic voco esculenta & poculenta nutritioni accõmodata. *Secundò,* forma; seu modo quodam, certoq; ordine, ac vescẽdi arte, & methodo: ad quã spectat tempus cõmodum. *Tertiò,* gustu, qui febricitanti est vitiatus. Quod autẽ cibus salutaris est corpori, id animo est oratio, siue mentalis sola, siue cum vocali iũcta, sine qua nemo vitalem spiritum diu ducit: iudice Chrysost. qui, *Arbitror,* inquit, *cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absq; precationis præsidio cum virtute degere, cumq; hac huius vitæ cursum peragere.* Vnde est illud Ecclesiæ:

Ad cibum sumendum, quibus ægro sit opus.

Nota.

Materia.

Forma.

Gustus.

Lib. 1. de orando Deũ.

Carnem domans ieiunijs
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens
Cœli potitur gaudijs.

Hym. off. nec Virg. nec Marty.

Iam verò ad piè, ac salubriter orandum, siue sanus: nimirũ gratia diuina, ac virtutibus omnib. benè instructus: siue æger ab his imparatus, tanquam ad cœnandũ tribus indigemus. *Primò,* Materia orationis, siue meditationis. *Secundò,* Forma, seu regulis quibusdam, & obseruationibus

Ad orandũ tribus indigemus.

Nota.

Materia Orationis.

Forma.

ad

ad deuotè orationis tempus transigendũ. *Tertiò*, Gustu: id est, Deuotione ipsa. Materiam ad cœnam febricitantis subministrat obsonator: & ad eam parandã satis est in re culinaria versatus Apicius. At non sine præscripto Medici. Hic nouit, quinã cibi ęgro maximè conueniant: ex quibus plantis flores, folia, semina, fructus, radices, succi, liquores, gummi, cortices ad morbum depellendum maximè valeant: quæ animantes potissimũ nutriant: quarũ pinguedines, vel adipes non obsint: quarum ossa probētur: quarum vnguibus vti liceat: quarum partes sint saluberrimæ: quarum sanguis cōducat in morbo: quinam cibi celeriter descendant: id est, sint facilis digestionis: qui ventrem molliant: qui rabidam orexim faciant: qui febrim non incitent, & tamē longum eius spatium sustineant: qui sint valentis, aut mediæ, aut imbecillæ materię: qui valentissimi, qui infirmissimi: hoc est, facillimæ, aut difficillimę concoctionis: quis plus, quis minus alens: ex quibus feris robustior cibus: quid ratione alimenti sit ad cibũ aptũ, leue, graue: quid ex piscibus, quid ex volucribus, quid ex quadrupedibus, sit leuius aut grauius.

Gustu.

Materiam ciborum curat obsonator.

Apparat coquus ex præscripto Medici.

NOTÆ.

IN RE nostra idem est *Obsonator* & *Medicus*, qui materiam Orationis, ne quis in errorē inducatur, præscripsit, ac tradidit: omnibusque, vt parata semper esset, exposuit. Est autē illa *Oratio*, quæ vocatur, *Dominica*: quoniã à Dño Christo est cōposita. Quæ omnibus orationum generibus præstat, *Auctoritate, Breuitate, Perfectione, Ordine, Efficacitate, Necessitate*, de quibus eius encomijs alibi disserimus. Est autem hęc ipsa cibus animæ saluberrim⁹ omnium in se continēs esculentorũ substantiam. Nam vt rectè ait August. *Quãlibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm in ista Dominica oratione positum est, si rectè & congruēter oramus.* Quocirca, in ea continetur, & congruentissimum pabulum intellectus; qui dum orationi vacat, homo pasci solet meditationibus rerum diuinarum, colloquijs, ac quieto, & simplici maiestatis diuinæ intuitu: & suauissimum alimentum voluntatis, quæ desiderijs sanctis, propositisq;, vt appellantur, in futurum efficacibus, ac internis virtutum omnium actibus saginatur, eodem tempore. Verè *cibus fortium*, vt Scriptura loquitur. Ad quod pabulum quisquis nauseantem adfert ventriculũ, æger est minimum. Nam Chrysost. illum Deo mortuũ pronunciat: & vniuersè sic scribit: *Quisquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduo frui, is mortuus est, ac vita carens, expersq; sanæ mentis: itaq; phrenesi laborat, ac est delirus.*

Materia Orationis à Christo.

Oratio Dominica.

Eius encomia.

NOTÆ.

Epist. 121. c. 1.

Lib. 1 de orando Deo.

AD hunc cibũ proximè accedunt ac nutrimento spirituali sunt accōmodatæ Orationes illæ, quæ in Sacris scripturarũ tabulis à Dei familiaribus, diuino spiritu suggerente sunt posteritati consignatæ. Psalmi pręcipuè Dauidis Regis: Prophetarum quorundã, & Sanctorũ cantica, preces pęnitentium, ægrotorũ, aliorumque ærumnosorum supplicationes. Neque sanè contemnenda illa Publicani Euangelici breuis, efficax, ac Deo grata: *Domine propitius esto mihi peccatori.* His adnumerari possunt aliæ penè sine numero, quæ passim in Sanctorum Patrum, & aliorum huius seculi auctorum, qui de asceticis scripserunt, titulo precũ, orationũ, meditationum, contemplationum, litaniarum, exercitiorũ, aut similiũ opusculis reperiũtur. vt sine labore ægro quilibet ad cœnam materia suppetat.

Orationes probatæ.

NISI, quod delectu seligendæ sint illæ experti Medici sententiã, quæ cuiusque valetudini ac temperamento magis sunt consentaneæ. Addo: quæ nihil

Seligendæ Orationes.

hil veneni sub dulci verborum apparatu continent. Nec enim omnes precationum libelli, auro & emblematis fulgentes, qui à vafris quibusdam hominibus obtruduntur, & ab imperitis auidè arripiuntur, ac leguntur, censendi sunt esse sine superstitionum, errorum, hæresumve toxico.

Superiorum officium.

Quare illorum, penes quos residet rerum Ecclesiasticarum potestas, est attendere, ne ignaris, ipsorum incuria ac conniuentia, venenum, sub medicamenti specie propinetur. Nostrum, monuisse, satis.

Forma orãdi, ac meditandi.

ITAQVE subministratâ materiâ, quod primum esse dicebam, quo infirmus ad nutrimentum opus habet: alterum erat Forma, seu ratio cibi sumendi. Quæ complectitur *Primo* tempus. Plurimum enim refert, an æger ante, aut post paroxysmum vescatur. Nam in ipsa exacerbatione, aut excandescentiâ febrili quis oleum igni immitti suadeat? Obseruari etiam debet interuallum à proxima cibi sumptione, vt digestionis habeatur ratio, ne ventriculus oneretur. Ad temporis rationem pertinet repetitio: ne sæpius sumatur cibus, quàm sit necessarium, aut vtile. *Frequenter in eo magis necessaria est cibi festinatio, qui minus inediam tolerat*, inquit Celsus: hoc est, sæpè debet refici, qui non potest, ita, vt ceteri, ieiunare: nimirum, pro complexionis, ac morbi ratione.

Tempus comedendi.

Locus.

Secundò: Forma locum continet. Satius enim est interdum in lecto ipso, quã in sede, aliove loco minus opportuno cibum admittere. Aliquando conducit infirmo, vt ad focum comedat; nonnunquam, vt in clauso cubili. Est, quando ad sanitatem momentum aliquod adferret hortus domesticus, aut suburbanus: vel in propatulo, aut sub dio refici. Huc spectat *Tertiò*, situs: sedensne, an iacens: hac vel illa ratione subsistens: capite omninò elato, an aliquantulum presso cibum dimittere debeat. *Quartò*, modus ipse sumendi: ad quem iuuat natura, atque ad modestiam institutio: ne nimis concitatè: ne gulosè: ne intemperanter. Huic adiungitur *Quintò*, quantitas. Si enim vllibi mensura, hic certè est accuratè, ac seuerè præscribenda: cum minimum quid maximi detrimenti possit esse caussa: imò sæpè repentini interitus.

Situs.

HAVD secus, comparatâ Orationum, meditationumue, tanquam optimorum esculentorum copiâ, si æger ijs refici debet, magna est formæ habenda ratio: quæ tempus imprimis spectat. Quando orandum, siue meditandum de diuinis? Audiatur Medicus: *Oportet semper orare, & nunquam deficere*. Luc. XVIII. Quæ verba præmisit Christus Dominus parabolæ de Publicano, & Pharisæo. Nam, vt doceret, oportere semper orare, & quomodo orandum esset, tum hanc, tum aliam de vidua à iudice sententiam postulante adduxit. Sed quoniam humanæ occupationes, ipsaque hæc corporis imbecillitas, quæ aggrauat spiritum, non patitur horis omnibus, diurnis, ac nocturnis, orationi, siue mentali, siue vocali vacare. Et, quia eodem sensu dictum videtur, *semper; ac, sine intermissione orate*, quo dicere quis posset infirmis: semper alimentis vos reficite: non, quod nullo vnquam temporis puncto à comestione ijs sit abstinendum, quod esset absurdissimum: sed certa vescendi tempora obseruate: quamdiu enim superstites esse vultis hoc vobis est necessarium. Ideò sapienter ab expertissimis animarum Medicis, certa orandi tempora designata

Tempus orandi.

Semper orandũ.

NOTÆ.

Luc. 18. 1.

ta sunt; quibus orationi, ac meditationi instare maximè est opportunum: & infirmi rationibus conuenientissimum fore iudicabant.

Matutinũ tempus Orantient idoneum. ET *Primum* quidem tempus est matutinum, quod huic escę spirituali magis, quàm ientaculo est idoneum: ideoque infirmus olim Dauid, eo refici nunquam negligebat. Audite contestationem: *In matutinis meditabar in te Mane exaudies vocem meam. Mane adstabo tibi, & videbo. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Hoc optimum Medicũ Paulum suasisse volunt aliqui in priore ad Timotheum secundo cap. vbi sic scribit: *Obsecro primum omnium fieri, Obsecrationes, Orationes, Postulationes, gratiarum Actiones, pro omnibus hominibus. Primum,* inquit, id est bona interpretatione, ante omnia: summo mane: priusquam aliud quid occeptes. Quod Syriacus Interpres innuit, dum vertit: *Obsecro, vt ante omnia deprecationem offeras Deo:* quasi dicat: antequam quicquam aliud agas: primo diluculo. Quam accuratè hoc tempus obseruarint olim Christiani, constat ex innumeris penè scriptoribus, qui nostræ religionis homines, summo mane ad communes preces conuenisse testantur. Nominatim Tertullianus, libello, de coronâ militis: & lib. II. ad vxorem: Eusebius ex Philone lib. II. historiæ cap. 17. Nicephorus lib. II. cap. 16. Athanasius apologia I. & lib. de virginitate: Basilius in regulis fusius disputatis, cap. 37. Cyprianus opusculo de Oratione dominica. Hilarius in psalm. CXVIII. Ambrosius in eundem Psalmum, Serm. VII. & lib. V. in Lucam, cap. 6. & lib. VII. ca. II. & epistol. LXXXII. ad Vercellens. Hieronymus epistola VII. ad Lætam: & epistola VIII. ad Demetriadem: & XXII. ac XXVII. ad Eustochium: & epistola XIII. ad Paulinum. Chrysostomus homilia XL. & XLI. ad populum: homilia XIV. in I. ad Timoth. hom. LXIX. in Matthæ. homilia XXX. in Genes. Epiphanius hæresi LXXV. & in fine sui Panarij: Petrus Chrysologus sermone LXXIV. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi IX. Climacus gradu XIX. Cassianus lib. II. ac III. Instit. cap. 4. Augustinus, Sermone II. de tempore: sermone CCLI. in Psalm. XXXII. Sermone CXL. de temp.

Ps. 62.
Ps. 5. 5.
Ps. 118.
1. Timoth. 2. 1.

Secundum tempus est nocturnũ. Quod Christus adamasse videtur: qui non solùm nocte aliquamdiu orabat, sed *pernoctabat in oratione,* vt est Lucæ VI. Quid Dauid rex negotijs regni distentus? Loquatur ipse. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Psalmo CXVIII. Paulus quoque, & Silas, in carcere, *media nocte orantes, laudabant Deum,* Actuu. XVI. Quem morem tenuisse primos Christianos in Ægypto, refert Philo libro de vita contemplatiua. Nec tacuit Plinius *antelucanos* cantus Christianorum, lib. X. Epist. XCVII. Erantque olim in vsu *lucernariæ,* ac *nocturnæ preces,* à quibus in officiorum diuinorum libros translatum est *Nocturnorum* nomen, ac diuisio. Iam quoniam variæ occupationes diei tempus fallunt, notatæ sunt horæ, *Prima, Tertia, Sexta, Nona,* quæ Canonicæ vocantur, quibus hic cibus ægrotis apponatur. Et hoc est *Tertium* tempus, quod vbique in Ecclesijs Catholicorum seruari constat. *Quartum* est vespertinum, quo Dauid cœnam hanc sumebat. *Eleuatio manuum mearum,* inquit, *sacrificium vespertinum.* Psalmo CXL. De quo agit Chrysostomus homilia IV. ad populum Antiochenum. Ambrosius in Psalmum CXVIII. Cyprianus opusculo de orat. dominica. Et quoniam febrilis aliqua alteratio facillimè hominem minus cautum meridiè solet deijcere. Quis enim est, qui ad

Tempus nocturnum.
Luc. 6. 12.
Psal. 118. 62.
Act. 16. 25.
Ps. 140. 2.

opiparam mensam, & inter pocula rationis præscriptum aliquando non excedit? qui appetitionibus inordinatis non obaudit? qui nō plus æquo sensui subministrat, & flammā concupiscentiæ fouet?

Quintum tempus, in quo ægro spiritualiter comedendum, est, antequam mensæ accumbat: & postquam ea est remota: nimirum, orandum est ante, ac post cibi corporalis sumptionem. Ita exemplo suo Christus docuit, qui turbas confluentes miraculo multiplicatis panibus refecturus, cibum prius, oculis in cælum coniectis, benedixit, Matthæi XIV. Marci VI. Lucæ IX. Ioann. VI. Et non nisi hymno dicto, post cœnam Eucharisticam, cum suis, è triclinio discessit: ὑμνήσαντες omnes egressi sunt, Matthæi XXVI. quod idem est, ac laudes Deo accinentes. *Vespere, & manè & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*, inquit Psaltes. Præceperat hoc Deus, Deuteronomij VIII. istis verbis. *Cùm comederis, & saturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Idemque insinuat Apostolus, in priore ad Timotheum cap. IV. *Omnis creatura bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum, Dei, & orationem.* Elegans est ac planè medica in hac re Tertulliani loquutio: qui ante cibum orationem prægustari dicit: nempe, vt promulsidem, aut medicamentum præseruatiuum contra noxium ardorem, qui in mensis facilè accenditur.

Matt. 14. 19 *Mar. 6. 37.* *Luca. 9. 13.* *Ioan. 6. 9.* *Matt. 26. 30.* *Psal. 54. 18.* *Deut. 8. 10.* *1. Timot. 4. 4.*

Si honesta caussa est conuiuij, ait ille, *non prius discumbitur* apud Christianos, *quàm Oratio ad Deum prægustetur. AEque oratio conuiuium dirimit, inde disceditur.* Idem ita exprimunt Basilius & Chrysostomus: *Mensa ab oratione sumens initium, & in orationem desinens, nunquam deficiet: sed fonte largius omnia nobis deferet bona.*

Tertull. Apol. *Basil. epist. ad Greg. Theol.* *Chrysost. hom. 79. ad pop.*

Sextum pro litterarum studiosis tempus est, antequam vel legendi vel scribendi occupationem auspicetur. Quod, qui diligenter faciunt, Thomam Aquinatem sequuti, mediocri studio plus, quam alij improbo labore proficiunt. Est enim illud certissimum, sapientiam à Patre luminum, exspectandam, & infundendam esse.

Tentationis tempore maximè orand.

ISTVD autem in huius cibi sumptione est singulare, & à superioribus diuersum. Quod in ipso etiam ardore febrili ad sanitatem conducat. Cuius contrarium in esca corporea accidit. Imò tunc maximè cibus iste est ingerendus. Clarius. Dum tentationis, & concupiscentiæ flamma violenter sæuit: dum peccati morbus maximè viget: dum febrit anima noxiis appetitionibus, & periculum est, ne consentiendo, aut delectando intereat, tum ardentius orationi est instandum: atque hoc pacto obruenda, aut veluti iniecta copiosè frigida, ignis extinguendus, vel saltem vehementia flammæ constringenda.

An sit obligatio orandi tempore tentationis. *Siluest. 5. Oratio Q. 8.*

NON deest autem è Theologis vir doctus, & in lucem editis libris clarus, qui existimat, esse obligationem sub peccato, orandi illo tempore quo quis agitatur tentationibus, & indiget auxilio, vt resistat oppugnatori. Idque; aut ex præcepto, non consentiendi peccato, ad quod patrandum tentatione incitatur: aut, ex præcepto religionis, cuius officium est Oratio. Quod si verum esset, consequeretur: quotiescunque aliquis tentatione superatur, qui non petiit eo tempore diuinum, per orationem, præsidium, toties duobus modis specie differentibus peccare: nimirum, contra præceptum religionis: & contra præceptum, quod peccando violat. Verùm

rum quoniam id Theologis melioribus non probatur, reor sub peccato ad id non obligari. Certè, nemo cognoscit, sibi tali tempore non esse dandum auxilium ad superandam tentationem, siue ex diuina liberalitate: siue ratione præcedentium Orationum. Optimum tamen est, ac medicinale consilium, tunc potissimum per preces diuinam gratiam poscere.

Frequentanda oratio. IAM, quod ad cibi huius frequentem sumpsionem spectat, septies laudem dixisse Domino Deo suo Dauidem inuenio. Et sanè, quo sæpius repetet, eo melius sibi consulet æger. Vtinam semper eo se saginare posset, facillime à morbis præsentibus liberaretur, ac præseruaretur à futuris.

Locus orationis quis. POST temporis considerationem occurrit LOCVS, inquo ægris hoc vtendum est pabulo. Is designatur à Paulo *Omnis 1. Timo. u. 8.* Apostolo in priore ad Timotheum secundo, vbi scribit: *Volo viros orare in omni loco.* Si de priuatis precibus sit sermo: prorsus in omni loco est orandum, dum ægri necessitas id postulat. Sic in lupanari orauit Agnes. *Non locus, sed propositi munditiες requiritur*, inquit Basilius. Ieremias in luto erat, & Deum attraxit. Iob in sterquilinio mentem ad Deum eleuauit, & propitium reddidit. Daniel in leonum lacu Deum placauit. Tres pueri in camino Babylonico Deum promeruerunt. Latro in cruce supplicando paradisum obtinuit: Petrus & Paulus in carcere orarunt Dominum. Igitur vbicumque fueris, orare potes, & hoc cibo refici: etiam in lecto. Quod ex supplici ploratione Dauidis pœnitentis colligitur. Sanè *Lib. 1. c. 8.* S. Augustinus, lib. 1. de Oratione defendit Licentium, quem Monica ægrè ferebat, nescio quid ex psalmis decantare, in ipsis requisitis naturæ. Ac subit memoriam illa Basilij, vt opinor, si non est alterius sententia: *Dum ventrem purgo, Deum laudo.* Ac si, ne illo quidem loco, inter sordes, vir sanctus ab oratione cessaret.

NEGARI tamen non potest, quod religiosius in loco sacro colatur Deus. Etiam in de ab initio exorientis Ecclesiæ certa quædam precibus destinata loca ex historia ecclesiastica scimus. Publicæ etiam Orationes, quamuis in omni loco fieri possint: id est, vbique gentium, tamen in Deo dicatis basilicis, quas Templa vocamus commodius & maiore cum decoro profunduntur cuius instituti multæ caussæ sunt copiosius alibi pertractandæ.

AD Locum pertinet *situs*, & corporis *Situs orationis.* compositio. Quæ simpliciter quidem non est præscripta oranti, tanquam omninò necessaria. Nam Oratio fieri potest à sedente, stante, ambulante, imò, cu- *Aug. lib. 2. ad Simp. Q. 4.* bante, *dummodò animus Deo præsens, peragat intentionem suam*, vt loquitur Augustinus. Qui etiam monet, non esse differendam Orationem, vt quæramus solicitè, quomodo collocemus membra, vbi sedeamus, aut vbi stemus, aut vbi prosternamur, cum aliquid repentè venit in mentem, quo supplicandi moueatur adfectus. *Quia gignit sibi menti intentio solicitudinem, & sæpe etiam obliuiscitur se, vel ad quam tali partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus inuenerit.*

Decori tamen habenda est ratio: *Patria ritus seruandus.* nec à patriæ ritu deflectendum. Alicubi genuflexio est in vsu: alibi corporis humi prostratio est recepta, stant magnam temporis partem Clerici, dum horarias preces concinunt: Sacerdotes ferè continuò, dum sacrificando oratores agunt: sedent etiam alternatim, & per interual-

la sa-

lla sacrati ordinis viri, dum pensum precationum diurnum persoluunt. Apud Sinenses indecorum est aperto capite cum Superis agere. Quare cũ Pontifice acturum se dicebat Nicolaus Trigautius ex India redux, vt potestas fieret vniuersè sacerdotibus, inibi, tecto vertice sacrificandi, galero aut pileo visendis, hoc gentis illius consuetudo, ac persuasio postulat.

Orans, Deo supplex. GENERATIM obseruandum est, gestum corporis debere esse iuxta patriæ morem, qui supplicum: si quidem loci corporisque ac temporis id ferat conditio. Profectò, dum preces fundimus, supplices libellos Deo offerimus. Exemplo ad id incitauit Christus, qui Patrem oraturus, positis genibus *procidit in faciem suam*. Humilitas idem suadet, *Eccl 35. 21.* qua exornari debet oratio. Nam *Oratio*, non cuiuslibet, sed *humiliantis se nubes penetrat*. Docuerunt idem Petrus, Paulus, Stephanus protomartyr, sanctique primitiuæ Ecclesiæ omnes. De Iacobo *Hiero. in cat. scrip.* Apostolo scribit S. Hieronymus, eum flexis genibus pro populo precatum tam constanter, vt camelorum duritiem eius *In vita.* genua contraherent. Cùm mortuo Paulo primo Eremita, Antonius ingressus esset speluncam, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, erectisque in cœlum manibus corpus exanime. Mox & ipse, nam viuere credebat, pariter orauit. Postquam verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile ruens osculum, intellexit, quod etiam cadauer viri Sancti Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precaretur. Hunc eundem gestum, vsurpasse veteris Instrumenti homines, Deo caros, scimus. Docuit eundem natura: quòd imbecillitatem supplicis declaret egregiè. Valet sanè, si quis alius, ad repræsentandam animi submissionem, inopiam, & infirmitatem extremam, vt adnotauit S. Augustinus, libro, de curà pro mortuis, & S. Hieronymus in secundo commentariorum Epistolæ ad Ephesios. Quamobrem semper apud nos, quantum fieri potest, vsurpandus esset, ac cum demissa animi significatione coniungendus. Eccur Pharisæus à Christo in scenam inductus, nihil impetrauit, imò reprehensionem, damnationemque meruit? Publicanus verò, contra, Deum propitium reddidit, & iustificatus a templo recessit? Nimirum, ille, vt animo, ita corpore elato, atque altius erecto, non tam orabat, quam encomiũ, ex arrogantiæ præscripto concinnatum decantabat sibi: iste verò, ne oculos quidem ausus attollere, habitu se, verbisq;, quantum poterat, deijciebat, vilitatem suam agnoscens, & corporis gestu protestans.

PORRO, non minori diligentiâ, & accuratione Modus huius cibi sumendi obseruandus est. Qui in Attentione potissimùm consistit. Quam neglexisse Pharisæum, adhibuisse Publicanum, ex Domini narratione satis constat. Licet enim vterque dicatur ascendisse in templum, vnus tamen corpore tantùm, alter etiam mente altum petebat. Deum oraturus ascendere debet non tam corporis gressibus, quam passibus mentis, quos Attentio format. De cuius definitione, diuisione, ac modo multiplici, proprio loco disseruimus. *Modus orationis Attenta.*

Hic addimus non nihil de QVANTITATE comprecationis, quam postremo loco ad formam pertinere diximus. De ea autem extat cœlestis Medici præscriptum, Matthæi VI. *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite multum loqui*, inquit Medicus. Est ne hoc idem, ac si dix- *Quam multum orandum.* *Matt. 6. 7.*

si dixisset: non sit copiosus cibatus? non ingeratis nimium? ventriculus non est farciendus? Id declarabit Græca loquutio, quæ sic habet: Μὴ βαττολογήσητε. Quod clarissimè dixeris Latinè: *Nenimirum loquamini:* ne vtamini superuacaneis repetitionibus: nolite garrire, & fabulari, sed orate. Verbum Græcum existimant quidam deriuatum à Batto, siue, poëta, siue histrione, qui, quod ineptis, insulsisque repetitionibus vteretur, erat infamis: siue à Batto, homine balbo. Sed illud est probabilius. Non est enim verisimile reprehendisse Christum loquendi in oratione balbutiem, ac celeritatem, quæ gentibus quibusdam est adnata, nec impediri potest in Belga, nisi in Germaniam migret, vel Alemannum induat: sed superuacaneam, & putidè affectatam verborum copiam, quod obseruauit Gregorins Nyssenus.

Luc.18.1. QVIS credat longas orationes prohibuisse illum, qui vt semper orarent, suos hortabatur? Neque existimandum, prohibuisse Christum, loqui nos cum oramus: aut repetitâ precatione vti. An non enim ipse orando est loquutus, & eundem sermonem repetiit. Matth.xxvi. *Matth.26.44. Mar.14.39* Prohibuit ergo multum orare, eo animo, vt apud homines plausum captemus: vt benè orare videamur: vt existimemus, Deum facilius, multa, quam pauca exauditurum verba, si magno affectu profundantur. Quod satis explicat Dominus, subiungens: *Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Erat profectò ea gentilium quorundam persuasio, quod Deus facilius exaudiret quosdam si plura, clarioreque voce loquerentur. Et Euchitarum fuit error, quod existimarent, neminem, nisi continenter oraret, saluum esse posse. Christo alia mens: cui hoc propositum fuit præscribere, vt tam diu, ac tam multum oremus, donec impetremus, quod ad salutem nostram conducit: hoc est: nunquam defatigemur: nunquam fiduciam ponamus.

HACTENVS de Materiâ, ac formâ illius Cænæ, quæ infirmo appetenda est, egimus. At in iis, non multum se torquet peritus Medicus. In tertio sudat, licet expertissimi, industria, vt vitiatus gustus emendetur. *Gustus vitiatus emēdandus.* Siquidem, febrienti, quod amarū est, videtur dulce; quod dulce, amarū. Nihil placet palato: desipiunt omnia: fastidit stomachus & reiicit quæcumque, tametsi optima & suauissima propinentur. Itaque gustum conatur corrigere sanitatis curator. Pro quo sunt tria subsidia. *Primum:* noxiorum humorum expulsio per vomitum, aut per pharmacum. *Secundum:* expurgatio reliquiarum morbi; & exsiccatio superfluorum quorundam, quæ nequiuerunt expelli primo remedio. fit autem istud, mediocri labore, exercitatione, sudore, diæta. *Tertium:* sumptio electuarij, aut potionum, quæ per se, vel, aromatum admistione, aptæ sunt stomachi calorem fouere, ac roborare certis quibusdam horis.

PARATIS ad orationem omnibus necessariis, si deest gustus, difficile est ægro comestionem suadere. *Oraturo deuotio procurandâ.* Gustum voco Deuotionem. Quæ, quid sit, facilius multò est experientiâ dicere, ac probare, quàm verbis exprimere, ac docere. Certè, eius vis ac suauitas non tam fructuosè per doctrinam exterius loquentis, quàm per internum sensum, affectum permouentis Magistri cęlestis percipitur, cùm diuinæ Maiestati placet animum hominis sua gratia imbuere. Quid tamen est Deuotio? ingenuè fateor, non possum describere. *Deuotio quid sit.* verba mihi non suppetunt. Quid non sit, sæpè experior:

perior: quid sit experti, sunt Dei familiares, ac intimè cari. *Deuotio*, est illud, quod sentiebat, cui

Flumen erant lacrymæ: mens nauis: vota rudentes:
Spes, malus: gemitus, flamina: vela, preces.
Temo, timor: remi, cura: pudor, anchora: merces,
Vnguentum: comites, crimina: rector, amor.

Sicque ad Christum rectà ferebatur, ad eiusque pedes deponebat merces, puppim ligabat: ibi resoluta in lacrymas flebat, ac flendo suspirabat inconsolabiliter Magdalena. *Deuotio*, est tale quid, quale percipiebat, flagrantissimus amore in Crucifixum Hieronymus, dum nudato, pube tenus, corpore, ante Saluatoris patientis effigiem, dexterâ aculeatas virgas, sinistra lapidem gestaret, & nunc dorsum flagris cruentabat, nunc pectus saxo sauciabat, purpurabatque; illud lamentabiliter ingeminando post alias preces: *Quotiescumque diem illum considero, toto corpore contremisco.*

Deuotiio est illud, quod experiebatur deuotissimus Augustinus, quando sub quadam fici arbore sternebat se, nescio, quomodo; & dimittebat habenas lacrymis; & prorumpebant flumina oculorum eius: & clamabat; & suspirabat: *Tu Domine, vsquequo? vsquequo Domine irasceris in finem? quamdiu? quamdiu? cras, & cras? quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?* Dicebat hæc, & flebat, & nihil nisi lacrymari lubebat. Ita suadebat Deuotio.

Lib 8 Conf cap. 12.

Deuotio est, quod gustabat mellitissimus Bernardus, dum fasciculum myrrhę complectens, inter Filium sanguine sudantem, & Matrem lacte scaturientem anhelans, exclamabat.

Hæreo lac inter meditans, interque cruorem:
Inter delitias vberis, & lateris.
Et dico, si fortè oculos super vbera tendo:
Diua parens mammæ gaudia posco tuæ.
Sed dico, si deinde oculos in vulnera verto:
O Iesu lateris gaudia malo tui.
Rem scio: prensabo, si fas erit, vbera dextrâ:
Laua prensabo vulnera, si dabitur.
Lac Matris miscere volo cum sanguine Nati,
Non possum antidoto nobiliore frui.

Deuotio erat, quod intus probabat Franciscus, Seraphicus Pater Franciscus: dum per saxa, sentesque pede nudus, detecto capite, vix tecto corpore, mente ad superiora elatus illud, illud vnum occinebat: *Deus meus & omnia.*

Deuotio est, quam persentiscebat Ignatius noster, qui siue stans, siue prouolutus in genua, siue in scabello sedens, cum oculos in sydera contorqueret, totius huiusce pulchritudinis Conditorem contemplans, admiransque supplex adorabat: & gemebundus vsurpabat illud toties à vobis auditum, lectumque: Heu! *quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.*

Deuotio erat, qua fruebatur Xauier, Ignatii socius, cui dulcedo interior tales flammas excitabat, vt diducta à pectore tunica, quasi nimium arderet, satis esse Deuotionis largitori repetitis vocibus seriò renunciaret.

Deuotio est illud ipsum, quod percipit adolescens integritate vitæ, innocentia, ac scelerum horrore insignis, dum post

Eucha-

Eucharisticam cænam, ante Christum cruce affixum prouolutus, contemplatur madentibus oculis, hiantia Saluatoris in effigie vulnera: & amore ebrius, audet, quod sobrius tentare vereretur, ad pedes adrepere, & furtiuum osculum postulare: tum sensim pectoris conclaue subire: ibiq; oris sedem ponere: post, sinistram manum, deinde dexteram osculari: tandem ante os Christi suauissimum consistere: & Osculetur me osculo oris sui fidenter exposcere. Audax facinus: sed excusat, qui omnia potest, impetus amoris.

Deuotio est illud, quale, qua'e quod miratur Angelicus iuuenis, qui in oratione positus, dum Christum; siue in cunis vagientem; siue in Matris benedictæ sinu suauiter subridentem; siue in sellâ circumcidentis lacrymantem; siue in Rabbinorum exedra disputantem; siue ante Pontificem percussum; siue in atrio Præsidis flagellatum; siue in carcere coronatum; siue crucem per plateas baiulantem; siue inter latrones in caluario monte pendentem attentè considerat, & oculis mentis obuersantem habet, sentit moueri viscera, cor concuti, animum penè colliquescere: nec dubitat, cum Dilecto dulcissimè colloqui, nunc admirando infinitam Redemptoris misericordiam: nunc gratias agendo de beneficiis: nunc se humiliando sub tanta potestate: nunc dolendo de offensa tam boni Patroni: nunc laudando, & glorificando mirabilia opera eius: nunc se sacrificando in omne beneplacitum diuinæ prouidentiæ: nunc desiderando occasionem patiendi acerbissima quæque, pro amore tam feruenter amantis Domini: nunc optando, vt omnes illum agnoscant, reuereantur, amènt, adorent: nunc tanquam fidelissimus miles, proponendo subiturum se potius discrimen omne, & malorum extremum, mortem, quàm ducem suum lædere: excitando in se, confessionem, dolorem, pudorem, humiliationem, amorem.

VOLVI exprimere, quid sit *Deuotio*: non potui, fateor: sentire illam, quàm scire malo. Audiamus tamen, quid de illa sentiant, quamuis eam sæpè non sentiant subtiliores Theologi. *Deuotio*, inquiunt, *est actus quidam voluntatis, quo promptè homo vult exequi omnia, quæ pertinent ad Dei seruitium: atque sic totum tradit se cultui diuino*. Quamuis alii velint hunc actum esse electionem omnium mediorum ad finem vltimum consequendum. Quod à superiore non videtur differre admodum. Siquidem idem est, velle finem, vt virtute continetur in mediis, &, eligere media, constituto tempore adhibenda. Porrò, cum sit actus virtutis illius, quæ Religio vocatur, respicit cultum DEI, qui maximè cernitur in omnibus iis, quæ pertinent ad Dei famulatum. Eius effectum præcipuum dicunt iidem Doctores Scholastici esse lætitiam illam spiritualem, quæ oritur ex contemplatione diuinæ bonitatis, à qua præcipuè scaturit Deuotio. Quamquam secundariò tristitia ex eodem fonte promanet: dum quis suauissima consideratione abreptus, needum se frui summo illo bono cogitat, miseriamque suam perpendit.

Theologis quid Deuotio.

S. Thom. 2.2. q. 82. ibid. interpretes.

SED nos, vulgi more, Deuotionem accipimus, pro sensu illo spiritualis iucunditatis, qui in oratione siue mentali, & altissima, ac caliginosa contemplatione à mysticis; siue in vocali, à plebeis quibusdam percipitur: &, quâ, quis ad orandum,

meditandum, contemplandum diuinis capi solitus, sicut appetentiâ famelicus ad vescendum, excitatur. At quomodo eam vocabimus? nomen ignoro: certè vim efficaciamque nemo nouit, nisi, qui accipit. Vis appellare *Manna*? non abnuo. Sed est absconditum: eius virtus incognita. Vis consolationem? probo: quia *magna est multitudo dulcedinis* Dei, *quam abscondit timentibus se, & diligentibus se.* Vis vnctionem spiritus? perplacet. Nam reuera est vnctio, quæ sanat, quæ inflammat, quæ nutrit. Sanat vulnera: corda inflammat: sancta nutrit desideria. Vtinam dicere possem: *Vos vnctionem habetis à Sancto. Vnctio, quam accepistis, maneat in vobis.* Vis gustum? assentior. *Gustate & videte.*

Manna. Apoc. 11. 2.
Psal. 30. Is. 64. 1. Cor. 2.
1. Ioan. 11. 20. ver. 27.
Psal. 33 9.

Deuotionis gustum tria promouent, Confessio & Contritio.

EST reuera Gustus, qui in febricitante desideratur. Ad quem procurandum tria sunt subsidia. *Primum* est, expulsio noxiorum humorum per pharmacum, aut vomitum. Noxij humores, qui sanitatem conturbant, & palatum animi vitiant, sunt peccata, quæ exprimuntur in Diuinis litteris per *fel amaritudinis*, corruptum sanguinem, menstruum, redundantes pituitas, perniciosa phlegmata, atram, flauamque bilem, saniem, ac putredinem. Hæc prius eijcienda sunt, vt habeatur Orationis appetentia, & in ea deuotionis gustus. Potest autem id fieri, vel per pharmacum, vel per vomitum. Sic voco Confessionem seriam. Et quoniam hæc quotidie reperi non solet, cùm quotidiè sit necessaria esca orationis, idem effectus curandus est, per Contritionem: id est, pium, supernaturalemque dolorem, ex intimo corde ob Deum summè dilectum, de peccatis conceptum, cum proposito emendationis, & Deum nunquam amplius offendendi. Non habebit sanè affectum attentè, solicitè, diligenter, ardenter, sicut oportet, orandi: non percipiet spiritualem illum iucunditatis sensum in orationis exercitio, quem non pœnitet, Deum optimum parentem, & maximum principem, ad quem, supplicandi caussa accedit, offendisse: quique exitialem criminum, tanquam noxiorum humorum profluentiam, vel per vomitum confessionis, vel amaro contritionis pharmaco non expulerit.

CVR ADOLESCENS ille, tam promptus ad omnem vanitatem, tam expeditus ad fabulas, tam propensus ad pocula, tam paratus ad cibatum corporis, fastidit opiparas orationis epulas? Cur, cum audit de oratione dicentem, pandiculatur voluntariè? Cur ducendus est ad templum? nam sponte non veniret: scuticam exspectat, sine cuius metu frustra incitaretur. Cur in ipso templo circumgyratione capitis corporisque totius agitatione nauseam prodit? Cur poplites se inflectere non posse mendaciter fingit? Cur vnico tantùm genu nititur? Cur libellum precatorium non explicat? Cur, si aperit, non nisi characteres, & icones contemplatur? Cur chartas solùm voluit? Cur Coronam Deiparæ precatoriam, ostentationis caussâ tantùm concutit? Cur toties sine necessitate, ad vicinorum molestiam, circumstantium horrorem, Sacerdotis sacrificãtis perturbationem, excreat, tussit, pecudis instar, sternutat? quid illa nauseabunda oscitatio? quid ructus hesternæ crapulæ index? quid membrorũ distentio ridicula? quid aliud, hæc omnia indicant, quã extremũ quoddam languentis animæ ad orationis escam fastidium? Sed vnde illud? plenus est vitiosis peccatorum humoribus,

bus, qui gustum misero inuerterunt, illos nondum eiecit, dolore, vel confessione. Imò, ijs delectatur: gaudet potius, quàm tristetur, quod turpiter sit mentitus, deceperit proximum, delectatus sit obscænissimis cogitationibus, consenserit in fœda: dixerit, feceritque, quæ minimè cogitanda fuissent. Mirumne igitur hunc nullo deuotionis sensu affici?. tam hoc mirū est sapienti, quā, quod febricitanti nulla salubrium ciborū insit appetentia.

CONTRARIUM licet cernere in aliquibus, qui, quamprimum sese expurgarunt, efficacissimo confessionis vel doloris de peccatis remedio, sentiunt se rapi ad paratas orationis epulas: iuuat preces fundere, meditari, contemplari: parum videtur interesse vni: intersunt duobus, tribus, quattuor sacrificijs: nec pudet, quod de quibusdam leuiculis, vanisque adolescentibus spargitur, sacrificanti sacerdoti assistere, & ministrare, quod Angelorum est proprium officium. Ijdē ita sese componunt, ita feruenter agunt, ita cum Deo sermocinantur, vt iurares illos nectare, & ambrosiâ potari, ac ciborum optatissimorum affluentia perfrui. Nempe, est in ijs gustus deuotionis: optimè constitutus est mentis ventriculus, à pituitosis, & redundantibus peccatorū humoribus perpurgatus. Audiūt sibi, & socijs accini: *Comedite amici, & inebriamini.*

Affectuum modificatio. AT enim, confessione, & contritione expurgantur quidem noxij criminum humores, sicque sanatur homo parte aliqua, non omnimodè tamen. Quo fit, vt post longam infirmitatem non statim gustum omnem recipiat, sed relinquantur quædam reliquiæ, quę salutarium ciborum perceptionem iucundam impediunt. Hæ per exsiccationes, exercitiū, sudorem, diætam, & alia eius generis remedia minuendæ sunt paullatim, ac tandem expellendæ prorsus, vt palato sua restituatur appetentia. Explico:

Quidam affectibus praui nimium dediti. REPERIES nonnullos, qui lethalibus peccatorum morbis non laborant, à quibus se Sacramentorum vsurpatione liberarunt. Reuera non sunt, quod de se veréne an falsò, ignoro, pręedicabat Pharisæus, adulteri, raptores, sicarij, vsurarij: satisfaciunt mandatis Dei grauioribus: Præcepta Ecclesiæ non negligunt: non iurant falsò: ab illicitis contractibus cauent diligenter: denique, non sunt criminatores, sceleſti, proditores, incendiarij, magi, dæmonicolæ. Tamen, sunt proni ad omnem vanitatem: nimis addicti carni & sanguini: nimis in res sensibus blandas effusi: sui, existimationisque suæ nimis amantes: in corporis cultu externo vltra modum prodigi, & pueriliter, ac muliebriter superstitiosi: illi plus temporis, quàm ornatui interno animæ tribuunt. Non prohibemus, vt quis conuenienter natalibus, ac statui suo sese ornet: sed superfluitatem damnamus: & in mediocritate adfectum minus ordinatum. Nempe, vt non magni æstiment adolescentes, si sint, tanquam pupæ, ornati: vt se non vanè, tanquam Thrasones, circumspiciant: & idcirco honorari velint, quod ceteris sint cultiores. Hoc qui vel mediocriter sunt versati in disciplina Christiana, rident, ac nihili faciunt omnem seculi pompam. Quod adolescentibus maximè insculptum volumus, ne sibi ea propter blandiantur: ac sciant, depexam pauperis, ac religiosi lacernam apud veros Christianos æstimari, honorariq; magis, quā diuitum byssum, gemmeasq; trabeas, & auro illusā chlamydē.

Voluptati & commoditati corporis dediti. ADDE his, quosdam æquo plus voluptatibus, quamuis non omninò damnatis capi: importunè cogitare de mēsis, cōuiuiorum apparatu, sociorum lęta cōuersa-

uersatione, visitatione amicorum. Qui dum orãdum, corpore quidẽ intra templi, aut oratorij septa continẽtur; sed mẽte sunt in triclinio; & interesse videntur cõpotãtium circulis, aut choreis. Quod, licet maximè repugnãte voluntate, Hieronymo in eremo agenti contingebat. Quanto magis potest accidere adolescẽti talibus delectari solito? Aliquis fortasse infestatur intempestiuis cogitationib. de patriâ, parentibus, contubernalibus. Alius inhiat honoribus: blandiuntur illi noui tituli: aspirat idem ad dignitates, & honores. Fortasse non nemo: dico, non nemo cum dubitatione; nam scio, quam sint pauci nantes in hoc vasto gurgite, libris, studioq; litterario nimium occupatur: ab ijs cogitatione, etiam tunc, cũ maximè deberet, non auellitur. Plurimi nouarũ rerũ, & rumusculorum curiositate distrahuntur. Quid moliatur in Macedonia Asiæ Rex, aut tyrãnus: quid Bataui prope Iaponiam: quæ fœdera noua concipiant Hispanus, Gallus, Venetus mẽte agitant. Hi non in Frãconia, eiusq; tẽplo academico orãt: sed negociantur in Hũgaria, Hollãdia, Hispania Gallia, Indijs, Sarmatia, & orbẽ peragrant, nullibi minus, quàm vbi corpore vidẽtur cõsistere.

Morborum reliquiæ, quæ?

AD hæc ferè capita referuntur oẽs illæ morborum reliquiæ, quæ nisi expurgentur, exsiccẽtur, euanescant, languebit gustus deuotionis circa vsum diuinorum, & orationis frequentiã. Clarissimè: Reliquias voco radices peccatorum, prauas inclinationes: siue ex natura corrupta, siue ex habitu, vt loquũtur Philosophi, ad honorem, pompam, fastum, propriam æstimationem, commoditates corporis, iocos, facetias, scurrilitates. Sed præcipuè, inordinatum amorem sui ipsius: denique bonorum omniũ sensibilium, ac apparentium appetitum immoderatum. Ab his perpurgandus est animus mediocri labore mortificationis: Tum sensuũ exteriorum, continendo oculos, vt non videãt vanitatem: ne antemurali, ac muro pariter dissipato, mens, orationis tempore, oculos sequatur: cõstringendo gustum corporeum, vt tantummodò, quæ fragilitas, nõ, quæ voluptas exigit, illi cõcedantur: ne orans de patinis magis, quã de cœli gaudijs cogitet: refrenando linguam, vt, *bonus homo de bono thesauro cordis sui proferat bonum*, dum orandum est: sepiendo aures spinis, ne furtim irrepant *vulpeculæ* insidiosæ, quæ, precationis tempore, *demoliantur vineam*: ne intrẽt aquæ vanarum cogitationum animam sine sepimento omnibus expositam, & infigatur orans in limo profundi distractionis, ac non sit substantia: continẽdo manus pedesque, ne *tangens picem inquinetur ab ea*: obstruãtur nares, ne suauitate fallaci carnalis fragrãtiæ captus spiritualẽ virtutũ, in oratione, odorem, sensibus nimis addictus fastidiat. Tum sensuũ interiorũ: nihil in ijs occultando: nullam retinẽdo formã, phantasma, speciẽ, imaginẽ quæ orationi nõ deseruiat: expellẽdo inania illa idola voluptatis, quę imaginatiuã occupãt: demoliẽdo elatas gloriæ honorisque statuas, quę inęstimatiuę lalario adorantur: dissipãdo tot vanissimarum rerum formas, quæ in memoriæ domicilio hospitantur: cõprimendo tot sensibiliũ species, q̃ in sens⁹ cõmunis atrio desidẽt.

Threno. 11.

Luc. 6.

Ecc. 28.

Ecc. 13.

DEINDE ablegando passiones minus benè domitas: amorẽ rerum mundanarum: desiderium inutilium: spẽ terrenorum. Tandẽ, exscindendo penitus amorẽ sui inordinatum: ne dum Deũ oratione se colere velle proponit, sibi potiùs, q̃ Numini venerationem exhibeat. Quoniam, teste Augustino, *id ab homine colitur, quod præ ceteris diligitur*. Totum hominis

nis bonum, eodē iudice, est amare Deū: totum hominis malum, amare seipsum, cum quo nunquam erit gustus deuotionis, dum orationi vacatur. Hoc scitote, quò quis magis se ab his similibusq; separat, eò propinquiùs ad Deum in oratione accedet: vnusq; cum eo fiet spiritus, atque incredibili illius suauitate perfruetur. Est enim motus à termino à quo ad terminum ad quem. Terminus à quo, est amor sui, & sensualium: terminus ad quē, DEVS: *Gustate, & videte, quam suauis sit Dominus.* Quo plus farinæ Ægypti corruptū fuerit, plus manna de cœlo pluet. Et hic est primus modus exsiccandi peccatorum reliquias, & ab ijs perpurgandi animum.

Diæta tollit reliquias morborum.

ALTER est, per Diætam, quam Medicina, cuiusvna pars est Diętice, solet pręscribere: seu potius seuera, arctaq; abstinentia. Sic appello subductionē, aut subtractionem omnium occasionū peccādi, aut in oratione animum distrahendi: .i. fugam ab omnibus ijs, quæ mentē orationi deditā possunt aliò rapere. Tu, doct⁹ experientia, non ignoras largiore in pridianâ cœnâ haustu, aut ciborum copiosa sumptione stomachum grauari, oppleri caput fumosis exhalationibus, orationis appetentiā euanescere. Abstine inposterum, si Orationis gustum desideras. Huius, aut illius sodalis confabulatio teporē sensim inijcit, quo desipere spiritualia incipiunt: à tēplo alius te abstrahit: alter orationis tempus tibi suffuratur. Abstine à prauorum familiaritate, & conuersatione, si in oratione gustum quæris.

NON te latet lectione auctoris minus probati, igniculos pietatis sopiri, aut penitus extingui. Abstine, si deuotionis flāmam expetis Denique, omnia, quę sanitati, & occupationibus, à cuiusque statu imperatis, honestęq; corporis recreationi necessaria non sunt, nisi subtrahantur & per silentium, & per raram cum alijs confabulationem, & per abstinentiam cibi, ac potus, & per vigiliam, ac somni abbreuiationem, & per amputationem inutilium lectionum, & per pugnam cōtra proprias affectiones, & per moderatā corporis afflictationem, & per violentam sui abnegationem, nunquam illum deuotionis gustum, quem in orationibus sancti homines perceperunt, aliquis experietur: & tantò plus, minusve sentiet, quantò magis, aut minus se à morborū reliquijs expurgarit. Quæ alio modo expelluntur per *sudorem*: de quo satis, superq; tractabitur, cum de lacrymarum medicamento agetur. Illas enim animæ esse salutarem sudorem, ex Hilarij sententia, demonstrabitur.

Sudor lacrymæ.

Commēt. 17.

Electuaria Orationes iaculatoriæ.

SVPEREST igitur illud, quod vltimo loco ex Medicorum sententia adduximus: Gustum hominis conualescentis excitari sumptione electuarij, aut potionum, & aromatum, quæ apta sint, stomachi calorem fouere, ac certis temporibus roborare. Electuaria, & aromata in Medicina spirituali, huic fini accommodata, sunt duplicis generis. Vnū continetur iis ad Deum, diuinaque aspirationibus, quæ *Orationes iaculatoriæ* vocantur. Alterum præsentiæ diuinæ varios modos complectitur.

Vis orationū iaculatoriarum.

Homil. 4.

DE Orationibus iaculatoriis id manifestè probat D. Chrysost. hom. de fide Annæ, vbi sic loquitur: *Si per interualla crebris precationibus te ipsum accēdas, non dabis occasionē Diabolo, aut vllū ad tuas cogitationes aditum. Et, quemadmodum in apparando prādio, quoties calidæ potu opus est, si aqua parum caleat, ad focum ad motam recalfacimus: ita & hic faciendum est, atque os nostrum ad precationes, quasi ad prunas admouendum, vt hoc pacto mens ad pietatem rursum accen-*

accendatur. Deinde, aliquibus interiectis, quænam maximè placeant ex istiusmodi precatiunculis, apertis verbis: *Ingemisce amarè: in memoriam reuoca peccata tua: suspice in cælum, dic mente interius:* Miserere mei Deus: *& absoluisti orationem. Qui enim dicit*; Miserere mei; nempe, corde contrito, ac humiliato, *confessionem offert, & peccatum suum agnoscit. Qui dicit*; Miserere mei Deus, *remissionem peccatorum accepit. Qui dicit*; Miserere mei Deus, *regnum cælorum obtinuit. Quem enim Deus miseratur, non à pœna solum liberat; sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur.*

S. Augustinus idem exemplo Eremitarum confirmat epistola CXXI. ad Probam. *Dicuntur*, inquit, *ibi, fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum est necessaria, per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio.* Quod de iisdem docet Cassianus lib. II. Institut. cap. 10. ac collatione IX. c. vlt. *Vtilius censent*, loquitur de eremi cultoribus sanctioribus, *breues quidem orationes, sed creberrimas fieri. Illud quidem, vt creberrimè Dominum deprecantes, iugiter eidem cohærere possimus: hoc verò, vt insidiantis Diaboli iacula, quæ infligere nobis tunc præcipuè, cum oramus, insistit, succincta breuitate vitemus.* Itaque dico, iaculatoriis istis orationibus, quales sunt: *Miserere mei Deus: Domine propitius esto mihi peccatori: Deus in adiutorium meum intende: Domine adiutor meus, & redemptor meus: Adiutor meus, ne derelinquas me: neque despicias me: Exurge, Domine, adiuua nos: & redime nos, propter nomen tuum: In te, Domine, speraui, non confundar in æternum: Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii: Deus meus, misericordia eius præueniet me:* similesque innumerabiles, tanquam aromatum efficacia foueri, excitarique, interius caritatis ardorem: eapropter gustum deuotionis præcitari, animamque ad longiores cum Deo congressus, affatusque accendi.

Epist. 121. c. 1.

Psal. 18.
Psal. 26.
Psal. 43.
Psal. 30.
Psal. 58.

Præsentia Dei. Quod ipsum præstari quoque eximiâ quadam ratione à crebrâ Dei præsentis memoria, vel potius continua quadam præsentiæ diuinæ contemplatione, viri orationis spiritu à Deo dotati existimant. Et ita fieri animaduertimus, eos, qui Deum, quem in omni loco præsentem esse ignorare non possunt, ac intima animorum nostrorum scrutari, dũ illum oculis mentis obuersantem assiduè contemplantur, in eius admirationem, amoremque, singulari quodam modo, abripi; incredibili illum beneuolentiæ significatione complecti; desiderare cum eo familiares miscere sermones, laudare, extollere, suspicere: & quãtum humanæ imbecillitatis necessitas permittit, ab orando nunquam desistere; nunquam aliò mentem cogitationemque diuertere: Deum in rebus agentem consulere, eius sanctissimum beneplacitum scrutari; & ob tanti Patroni præsentiam, ea animi suauitate, pace, gaudioque perfrui, quæ sermonem, sensumque omnem humanum superat. Huius diuinæ præsentiæ præter infinitos fructus alios, ille est singularis, quod calorem deuotionis immittat, deindeque foueat, vt ignem fornacis solemus lignis per interualla immissis: aut, ne à similitudine nostra deflectamus, debilitatum stomachum electuario, & aromatum speciebus subministratis. Qui ita est comparatus, ille haud dubiè Modum, de quo initio, in huius cœnæ vsum facilè adhibebit: nempe Attentionem. Quam non habuisse Pharisæum vix dubitari potest.

ITAQVE, cùm omnia, quæ spiritualiter

liter ægro sunt necessaria, præscripserim, vt Medicus animæ, fiuo, si monuerim: Medicos corporis dum profutura sanitati suis in visitationibus præscribunt, sostrum vel reportare, vel petere, vt laboris impensi salarium. Quod postulanti mihi nemo iure negare posset, etiamsi rem quampiam ad vsus meos accommodatam nominarem. Nunc verò, non, quod mihi, sed quod vobis sit vtile, efflagito, & negabitis? quod illud? vt quilibet è vobis, eo, quo Publicanus adfectu, post seriam de culpis recognitionem, doloremque, percusso non maniter pectore, dicat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* DEVS vos sanet Dilecti. Ite in pace.

NOTAE.

§. CIBO vita indiget.] *Quam diu quis inediam perferre possit, disputant Medici. Hippocrates lib. de carnibus, negat vltra septimum diem famem naturaliter prorogari posse. Gemma lib. 1 Cosmocrit. cap. 6. multorum annorum agnoscit naturalem inediam. Vide Marsilium Cagnatum Medicum Romanum, lib. de valetudine tuenda. Et Mart. Delrium lib. II. disquisit. magicarum quæst.* XXII.

§. APICIVS.] *De Apicijs curiosè Cælius Rhodiginus lib.* IX. *cap.* XI. *Apiciorum vnus libros decem reliquit de re culinaria. De eo sæpè Seneca. qui lib. ad Heluidiam de Consolatione cap.* X *queritur, in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi, velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, Apicium scientiam culinæ fuisse professum. Lege Lælium Bisciolam Tom. I. hor. subseci. var. lib.* III. *cap.* 7. *& Raderum in Martialem sparsim.*

§. ÆGER, qui ad Orationem non afficitur.] *Amplius quod asserit Chrysostomus, qui l. 1. de orando Deū:* Quisquis, *inquit,* non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduo frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis. *Ibid.* Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio, cum virtute degere, cūque hac huius vitæ cursum peragere.

S. Gregorius lib. XVIII. *Mor. cap.* 7. *eos ieiunare docet, qui in orationibus, ac meditationibus altas potius speculationes sectantur, quam adfectus, ac mortalitatis pabulum: sic scribens:* Qui de sublimitate intelligentiæ, quantò amplius repleri ambiunt, tantò amplius manescunt, benè de iis dicitur: *Egestate, & fame steriles.* Quia dum in sacri verbi pabulo, plus quęrunt sentire, quàm capiunt, semper à veritatis cognitione ieiunant. Et prędicamenta doctrinæ, qui student ad quæstionem quærere, habere non valent ad refectionem.

§ ORATIO Dominica] *De huius præstantia Commentatores Matthæi cap.* VI *vel Lucæ cap.* XI. *Theophylactus, Beda Euthymius, Anselmus, Rupertus, S. Thomas, Bonauentura, Albertus, Toletus, Barradius, Regius, Maldonatus, Bellarminus lib. 1. de bonis operibus à cap.* 5. *Ex antiquis de ea agunt Cyprianus ex instituto scribens de Oratione Dominica: Cyrillus Ierosolymitan. Catechesi* V. *mystagogica. Ambrosius lib.* V *de sacra. cap.* 4. *Gregorius Nyssen. sermonibus* V. *de oratione dominica. Hieronymus in cap.* VI. *Matth. Chrysostomus ib. & Homilia de orat. dominica. Augustinus epist.* CXXI. *ad Probam cap.* XI. *in Enchiridio cap.* CX. *lib.* II *de sermone Domini in monte, cap.* VIII. *& sequent. serm.* XXVIII *de verbis Domini. lib.* 50. *homiliarum, homilia* 42. *serm.* CXXVI. CXXXV. CLXXXI. *de temp. Cassianus collat.* IX. *cap.* XVIII. *Chrysologus serm.* LXII *& seq. Bern. serm.* VI. *de Quadrag. Innocent. Papa lib.* V. *de mysterijs missæ cap.* XV I *Ex quibus præcipua congessimus in libello, inscri. to,* Oratio Do-

minica multiplici meditationum serto coronata. *Continet idem libellus varios ac vtilissimos modos piè recitandi eam Orationem, & super eadem, per quam iucundè, fructuoséque meditandi: vt meritò illum, tanquam Enchiridium circumferre omnes pij debeant.*

§. SEMPER orandum.] *Vide interpretes Lucæ* XVIII. *De hoc latissimè agit Iacobus Aluarez de Paz Tom.* III. *qui est de studio Orationis lib.* V. *Apparatu* III. *cap.* I. *& sequentibus. Idem de toto hoc titulo disputat accuratè: docens* 1. *Orationem esse cibum, ac nutrimentum animæ.* 2. *vocari panem de cœlo.* 3. *cœlestem dici cibum.* 4. *solum Medicum cœlestem hunc cœlestem cibum posse elargiri.* 5. *Iustos omnes refici orationis pane.* 6. *Orationem esse escam, quæ iumentis detur ac hominibus* 7. *Medicinam esse doloris, non corporalem modò, sed & spiritualem.* 8. *Sanare ægritudines animæ.* 9. *Animæ morbos depellere.*

Bellarminus Concione XXXIII. *Oportet semper orare*: ac si *Medicus* alicui diceret: Vide, vt semper comedas, neque vnquam intermittas: non intelligeremus, eum totos dies, & totas noctes in mensa sedere debere: sed, non debere eum suis temporibus à prandio, vel cœnâ, ob alias occupationes, aut studia, abstinere.

§. TEMPVS orandi.] *De hoc Casuum conscientiæ tractatores, & Summista Verbo* Oratio: *aut,* Horæ Canonicæ. *Ioannes Busæus in Viridario, Titulo:* Oratio. *Ioan. Azor.* I. *Institut. Filliutius, Paulus Layman. Valerius Reginaldus, Franciscus Toletus, alij, sine numero.*

§. DEVOTIO.] *Post omnes alios, de hoc titulo, scriptores, aureum reliquit tractatum Petrus Alcantara Hispanus, ex ordine discalceatorum S. Francisci, in libello, de Oratione, & Meditatione. vbi docet Deuotionem omnia reddere facilia: eam esse virtutem, quæ hominem promptum faciat, atque expeditum ad omnia virtutum officia. Quamuis autem* Deuotio *ea sit virtus, quâ homo totum se Deo obstringit, & consecrat; vt olim pro salute Populi Romani Decius vterque pater, & filius se, vitam suam Dijs deuouerunt: tamen magis arctè, cum S. Thoma* 2.2. *q.* 82. *ar.* 1. *Theologi, per Deuotionem intelligunt actum Religionis, quo voluntas promptam, & paratam se demonstrat, ad ea exequenda, quæ ad diuinum cultum pertinent: præsertim, cum ea exsoluuntur, cum sensu quodam, ex teneritudine colliquescentis affectus.*

Ad Deuotionis interioris significationem, in rebus sacris, ac ritibus, spectant, apertio, aut inclinatio capitis: oculorum iam sublatio, iam dimissio: tunsiones pectoris: genium flexiones: lacrymæ, suspiria, similia sexcenta, à religiosis, alijsq; pietati deditis vsurpari solita.

Teneritudinem illam, ad quam adolescentium ætas est pronior, quia mollior, sentiebat Augustinus initio suæ ad Deum conuersionis, cũ in templo diuina audiret. Sic enim de seipso scribit lib. IX. *Confess. cap.* 7. Voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea exæstuabat inde affectus pietatis, & benè mihi erat cum eis.

ORATIONES Iaculatoriæ.] *De hoc titulo plenè Antonius de Balingem quattuor libris, de natura & conditionibus Orationum iaculatoriarum. Et in Thesauro orationum iaculatoriarum ex sacris litteris, quem subiunxit locis communibus Scripturæ sacræ à se concinnatis.*

COM-

COMMENTATIO V.

DE

Mortis vi Medica.

In quâ docetur, Mortis memoriam esse Pharmacum efficacissimum, ac verè Panchrestum. Præseruare, vt Medicamentum prophylacticum. Adhiberi, vt Emplastrum. Sanare, vt Medicamentum Emolliens, Suppuratorium, Aquiducum, Stupefaciens, Siccans.

Dominica XV. Post Pentecosten.

Ecce defunctus efferebatur. Luc VII. 12. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ecclesiastici VII. 40.

QVAM multiformis sit Medicina MORTIS Meditatio, declarauimus Symbolis, in hanc rem efformatis, cùm de Morte, eiusque imaginibus ageremus. Sed quoniam proprius earum hic est locus, spectentur non vno, quæ vbique mortalibus deberent occurrere, & oculis omnium obuersari.

SYMBOLVM I.
Mortis Memoria
PHARMACVM.

Pharmacū è cadaueribus.

EXPETVNTVR à vitæ mortalis amatoribus ad morborum quorundam curationem, tanquam medicamenti præsentanei materia, demortuorum hominum partes aliquæ, eaque sollicitè conquiruntur, nec paruo ære redimuntur ab ægris. Valere enim plurimum ad sanitatem perhibent, ossa, adipem, similia: quare magno in precio solent esse cadauera, vnde hæc desumuntur.

Ferina rabies.

Sed, ô ferinam rabiem! vt vitæ consulatur humanæ, humanitatis rationem habere nullam. Quod in Græcis, Latinisque detestatur Romanus morum censor. Annon enim pudendum tam portentosa pro homine ex hominibus confici medicamenta? *Ad arcendum comitialem morbum spumantibus poculis sanguinem gladiatorum bibebant, quod spectare facientes in eadem harenâ feras quoque horror est: At hercule, illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantemq́; & vna ipsam animam ex osculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas sit humana. Alij medullas crurum quærebant, & cerebrum infantium. Nec pauci apud Græcos, singulorum viscerū, membrorumq́; sapores dixere, omnia persecuti, vsq́; ad resegmina vnguium. Quasi verò sanitas videri possit feram ex homi-*

ne fieri, morboq; dignum in ipsa medicina, egregia hercule frustratione si non prosit. Merito exclamat auctor grauissimus. *Aspici humana exta nefas habetur: quid mandi? quis ista inuenit Osthane? Tecum enim res erit euersor iuris humani, monstrorumq; artifex, qui primus ea condidisti, credo, ne vita tui obliuisceretur. Quis inuenit singula membra humana mandere? qua coniectura inductus? quam potest medicina ista originem habuisse? Quis veneficia innocentiora fecit, quam remedia? Esto barbari, externiq; ritus inuenerint abominandos: Etiamne Græci suas fecêre has artes?* etiamne Christiani?

Quæ videre non licet, manduntur.

Extant commentationes Democriti, ad alia noxii hominis è capite ossa plus prodesse, ad alia amici & hospitis. Iā verò vi interempti dente gingiuas in dolore scarificari, Apollonius efficacissimum scripsit: Miletus oculorum suffusiones felle hominis sanari. Artemon caluaria interfecti neque cremati, propinauit aquam è fonte, noctu comitialibus morbis. Ex eodem suspendio interempti catapotia fecit contra canis rabiosi morsus Antheus.

Infanda remedia.

Nos Euangelium docti, vitā non adeò expetendam censemus, vt quoquo modo trahenda sit. Quisquis est talis æquè morietur etiam cum obscœnus vixerit aut nefandus. Nobis tamen aliam Medicinam adparare fas est ex mortuo: aut potiùs, quod planè nouū & inauditū fortasse, ex MORTE ipsa, quæ si non in corporis, certè in animę remediis habeatur. MORS enim, licet sit absentia quædam vitæ, vitalemq; omnem succum momēto tēporis effundat: minusq; substantiæ habere videatur, quā vmbra, quæ est luminis priuatio: tamē, si illud, quale, quale symbolicum mortis corpus, vt cogitatione vulgi fingitur, vastissimo, capacissimoque mentis sagacioris conceptaculo, tāquā distillatorio vasi, ex quo succus è floribus, aut herbis, liquoresque de cunctis ferè rebus, eliciūtur, ac stillant, includatur: deinde accendatur infernè sub vase ignis deuotionis, isq; orationis, meditationis, ac contemplationis flabris commoueatur, vt flammas eiaculetur, & foueatur desideriorum prunis: hoc calore diuino Mens agitata, ex illo ipso Mortis corpore, iam ante veritatis pilo cōtuso, & in minutal, per commentationem repetitam, redacto, medicatum liquorem eiiciet, qui non stillicidio delabetur, sed torrentis instar, pleno alueo excurret, & morborum omnium commune erit PHARMACVM.

Christiano non qualibet vsurpanda remedia.

Ex Morte pharmacū.

SYMBOLVM II.
Mortis Memoria.
PANCHRESTOS.

EST enim Mortis memoria illi simile remedium, quod Græcis πάγχρηστος, vel PANCHRESTVM, Latinè dici potest, morbis omnibus conducibile, vel adfectibus vtile: Quomodo Cicero, per iocum, pecuniam appellat *Medicamentum Pancrestum,* quod ad varios vsus sit vtilis: Nam, *pecuniæ omnia seruiunt.* Sed in Verrem ita ludebat, qui spem salutis omnem in pecunia collocarat, nullumq; tam graue periculum arbitrabatur, cui mederi *pecunia* non posset.

Pecunia.

Aduentu L. Metelli Prætoris, cum omnes eius comites, iste sibi suo Panchresto medicamento rem. amicos redimisset.

Cic. in Verr.

Tale Medicamentū est MORTIS MEMORIA ad omnia vtile. Rarū equidē & singulare, quale in Medicorum officinis non inuenias, in quibus vnum aliquod multis, imò omnibus morbis adferre remedium, inauditum est, licet æquet aut vincat theriacam Venetā, Mithridaticū, herbam Moly Homero decantatissimā.

Quod

1.Reg.21.9. Quod de *Gladio Goliath* à se trucidati dixit Dauid: *Non est ei alter similis, da mihi eum*: hic valet. Non est Medicina, Mortis contemplationi similis; nulla alia tam efficax, præsentanea, vniuersalis. Propinuetur omnibus, & morborum omnium spiritualium remedium dederis. Verissimè Cassianus, MORS, nimirum præmeditata, *omnium vitiorum est peremptoria*.

SYMBOLVM III.

Mortis Memoria.

MEDICAMENTVM PROPHYLACTICVM.

Præseruatiuum remedium. VIs Pharmacum præseruatiuum contra vniuersa morborum spiritualium genera? Mortis memoriam nūquam depone. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Occurrat tibi noctu & interdiu: mane, vespere & meridiè: in solitudine, & in aliorum dum agis consortio, illa dies, qua in lectulo protensus, animam ages, vndequaque obsessus, & ad extremas redactus angustias. Hic morbo, illic conscientia: istic Dæmonibus, ibi doloribus opprimentibus: horsum Numinis offensi vindicta, illorsum cælituum indignatione, antrorsum mentis confusione, dextrorsum minitantis Angeli gladio, sinistrorsum scelerum multitudine metum augentibus.

Mortis memoria. TENTAT te malesuadus Anguis, & ad illicita contra Dei prohibentis legem vsurpanda suauissimè, & pertinacissimè instigat? offert intemperantiæ pomum Gulæ: spumantia mero pocula Ebrietas? laudat, extollit, allicit? Quæso te, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Accurrunt socij, suadent vetita, blandiuntur, tantum non trahunt, imò trahūt, quia orant, obsecrant, obtestantur: aurem auerte. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Mundus apparentium spe bonorum conatur tibi imponere: Vnde tuas tabulata struit: ætatem, diuitias, natales suggerit, omnia ad illaqueandum comparat? *Auerte oculos ne videant vanitatem. Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*.

Extolluntur in altum aduersitatum fluctus. *Vnà Eurus Notusq; ruunt:* instat inuidiæ Boreas: mergere te exoptant aduersariorum fraudes: Quid turbaris? *mediis tranquillus in vndis. Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis*. Cæteris magis dolosa, quia magis domestica, vulpecula, Caro, suggerit, quæ cogitare non licet: offert, quæ videre non expedit: proponit, quæ accipere est piaculum; inuitat, irritat, impellit; accendit sensualitatis ignem, Voluptatem, vicinam aduocat: totis te castris aggreditur: miraris, quomodo repentè turbētur omnia, languescat voluntas, obtenebretur ratio, flaccescat generosus fortitudinis impetus: fomes fumet, æstuet concupiscentia, pruriat delectatio. Non cedas magnanime, vis remedium? *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*.

Occurrit dies illa *dies iræ, dies calamitatis & miseriæ*, dies luctus & amaritudinis, cum vel in strato depositus vixisse diceris, vel quod tunc te fecisse velles, hoc modò exequere. Quam dolebis, & suspirabis, in nouissimo (si tamen hæc tibi fiat gratia) si ob momentaneam leuissimę voluptatis delectatiunculā æternùm duraturam animæ sanitatem perdas: quam gaudebis, si gloriosum de tot hostibus te circumstantibus reportes triumphum. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*.

Monachus Montis Oreb.

Verè igitur sapienterque Monachus ille montis Oreb. (quem anteà dissolutum, graui postea infirmitati decubantem emigrasse è corpore vnius circiter horæ spatio refert Ioannes Climacus.) post annum duodecimum sui raptûs, rogatus aliquid proferret in medium, fratribus profuturum, dixit, summo cum animi sensu, indulgete mihi: *Nemo memoriam mortis habens, poterit peccare.* experto crede. *Ipse enim verè erat transformatus in nouum hominem*, addit nominatus auctor.

Porrò, quam sit efficax hoc *Prophylacticum*, constat iudicio cælestis Medici, qui cum Adamum, in eoque genus humanum vniuersum, in perpetuâ sanitate conseruare constituisset: quod fieri non poterat, si peccati lue inficeretur; non inuenit remedium præseruatiuum, magis præsentaneum, quàm *Mortis Memoriam*: Ideoq; illam præscripsit, vt primùm legem tulit: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Idem seruatum deinde ab aliis legislatoribus, aut rerum dominis. Sic Salomon Semei: *Quacunq; die egressus fueris & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Draconem etiam, celeberrimum Nomothetam, vt omnes à legum trangressione arceret quam longissimè, ferunt legum ferè omnium capita, capitis supplicio sanciuisse. Vnde fabulæ origo: de qua Plutarchus & Aristoteles, Draconem leges suas sanguine cōscripsisse. Ceterùm, *Mortis Memoria Medicamentum esse*, non minus Curatiuum, quàm Præseruatiuum ex iis, quæ subiungentur Symbolis, patescet.

Gen. 11. 17. *3. Reg. 2. 37* *Plutarch. in Solone. Arist. 3. Rhet. c. 33. Alex. de Alex. l. 3. cap. 7. Lud. Richeom. in Val. An. par. 1. cap. 4.*

SYMBOLVM IV.

Mortis Memoria

EMPLASTRVM.

Sapiens illa Mulier, quam Ecclesiam vocamus, in medicamentis conficiēdis, ac præscribendis expertissima, vt filios curet à tot mortiferis vulneribus, quibus toto anno saucii, miserè torquentur, vtque illos à lethalibus morbis expediat, præscribit primo die *Quadragesimalis curæ*, EMPLASTRVM, à se adparatum ex iniectione Cineris, ac pulueris confectum, quod capiti, tanquam totius hominis compendio, applicat, vt illo curato, reliqui etiam corporis constet sanitas.

Ferd. Bar. in quadr. Con. *Cineris conspersio.*

Erratis profectò, si existimetis Ecclesiā Matronam honestissimam, grauissimāq; inimicas saltatriculas imitari, & histrionicâ cineris conspersione, ceu leui ritus iocularis ostentatione hominibus velle illudere. Facit id, vt Medicinæ spiritualis Magistra, quæ cū longâ experientiâ habeat, nihil esse hominibus salutarius codiana *Mortis memoria*, illam non animo tantùm infundit, syrupi & potionis modo, dum per aures immittit, *Puluis es & in puluerem reuerteris*; verùm etiam, tanquā *Emplastrum* capiti applicat, vt externis quoque sensibus obiecta, nunquam illius memoria excidat.

SYMBOLVM V.

Mortis Memoria

MEDICAMENTVM EMOLLIENS.

Prudenter autem capiti, quippe durissimæ corporis parti adponit. Est enim hoc *Medicamentum* inter illa, quæ à Medicis *Emollientia* vocantur, non quod induratum corpus, sed animum quouis marmore, & caute obstinatiorem emolliat. Sunt aliqui etiam inter Catholicos, quod dolendum, ex peccandi consuetudine tam obstinati in malo, tam pertinaci contumaciâ; in omnem improbitatē voluntate, tam ferreâ duritie, imò adaman-

Medicamentum. *μαλακτικόν.*

mantinâ, vt nullis monitionum malleis, nullis aduersitatum tunsionibus emolliri possint. Intentes grauissimam irã Iudicis supremi, quę supra quã credi potest quolibet peccato mortali irritatur, fabulas sibi narrari existimant. Conscientiæ vermem, qui improbos assiduè rodit, etiã in hac vita, obiicias: sentiunt illum quidem, nec; dissimulare possunt. Siquidem peccatum, instar Tyranni, suis cum molossis & lictoribus sceleratum circumstat.

Noxa caput sequitur. ———

Et cogitur flagitiosus

Nocte dieq; suum gestare in pectore testem
Occultũ, quatiente animo tortore flagellũ.

Sed eludere fraudulenter, quasi non sentiat, conatur. Rationes ex ipsa hominis natura, quæ Rationem ducem sequi debet, accumules: sophismatis secum agi impudenter dicit. Virtutis honestatem, suauitatemq;, quę in illius est cultus, proponas: frustra, non mouetur. Blandiaris; ridet: miniteris, magis obstinatur: incredibilis durities! Quod remedium?

Pharmacum μαλακτικὸν: *Emolliens Medicamentũ.* Viua Mortis repręsentatio. Incidant iidem in infirmitatẽ, appropinquẽt vsq; ad portas Mortis: videantur pedẽ vnum in tumba habere: vel sit tam diuinus Orator, qui hanc imaginem linguæ penicillo in tabulis exprimat. Quamuis frustra sit Orator, aurem feriens, nisi diuini spiritus, gratiæq; artificio cælestis lineamenta ducantur, tunc instar ceræ mollescent.

Capitis dãnati flectũtur Mortis aspectu. Capitis damnatos aspice. Dũ comprehensi primùm in carcerem coniiciuntur, detrectant de pietate, & salute animi, vel verbulum ad aures admittere: duriores quàm equi sternaces & refractarii: horrescunt aspectũ hominis religiosi, animi curatores reiiciunt, tam contumaces & obdurati, vt quidquid facias, adamantẽ tundere videaris. Tunde, tunde; nihil efficies. Subiiciantur iidem quæstionibus, examinentur, conuincantur, testimoniis obruantur, pronuncietur sententia: sint certi moriẽdi, adueniat carnifex cõcusso horario glareano, pronunciet, tantillum vitæ superesse: Mortẽ stare in foribus. Ad Mortis voculam monosyllabam, quãuis antea interritus, licet audacissimus fur, latro, homicida; tremit, flectitur, colliquescit. Vocat confessariũ, osculatur manũ, deprecatur culpam, spondet omnia, gemit, suspirat, lacrymatur, orat: imò, postulato flagello, sæuit ipse in corpus, antequã carnifex: ingẽs mutatio! quæ caussa? *Medicamentũ emolliens, Mortis Memoria. Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eũ.* Plenæ sũt horum exemplis litterę annuæ Societatis Iesv, sed dignum posteritatis memoria quod refert Francisc. Sacchinus in Historia Societatis de nepotibus Pauli iv. P. M. *Psal. 77. 34. Franciscus Sacch. Hist. part. 2. Lib. 5. n. 32.*

„ Nocte quæ Martias Nonas præcessit, supremo affecti supplicio, Carolus Caraffa Cardinalis, Ioannes Caraffa Montorii comes, dein Polliani Dux, huiusq; sororis vir, Comes Allifanus & consobrinus, Leonardus Cardines: dieq; insequenti tres postremi ad Pontẽ Aelium spectaculo propositi, insigne præbuerũt documentum inconstantię humanarum rerum: cũ tota Vrbs, quos paulò antè rerũ dominos intuita erat, in summum infortuniũ deiectos spectaret attonita: iãque non solùm restinctis tali exemplo odiis, sed fama etiam constantiæ & magni animi quo vltimum illud miseriarũ tulerunt amore cõciliato passim miseretur. Et quidẽ, Ioanni Carraffæ putatur, Deus tam sanctum vitæ finem largitus, quod semper bonorum amans virorũ, ac benignus in egenos fuisset: olimq; Neapoli in Sodalitatem, quam Candidorũ „

voca-

,, vocabant, talia curantem adscriptus, libenter consueuisset præstò esse Morte multandis. Is desperatum propè de vita, cum intellexit, cura omni ad ornandam Mortem, & casum quemlibet, quod animi generositatem suam, & Christianam decebat, perferendum conuersa; Lainium rogauit, vti Patrum aliquem ad se mitteret, qui animam suam tempore illo supremo regeret. Missus est Ioannes Baptista Peruscus Romanus, vir prudentia eximia, & omni genere virtutis excellens. Cum eo Ioannes de patria cælesti sermones, de vanitate mortalium rerum, de beneficiis diuinis, deque admirabilibus viis, quibus ad æternam salutem cœlestis Pater quos elegit perducit, frequentes, prolixosque habens, dicere erat solitus, pluris se facere calamitatem illam carceris, quàm præteritam felicitatem, maioremque in Dei beneficio ponere. Nimirum, quod felicitas, vt solet, penè abstulisset, calamitas dedisset mentem. Admirabili deinde constantia Mortem, tum ipse, tum alij anteà nominati, subierunt. Tu lege, & obstupesces.

Desperatè ægrotans emollescit.

Idem accidit in alio genere. Incidit aliquis in febrim: videtur initio leue malum, nec curatur, quia spes est liberationis: crescit indies & exasperatur: accessiones crebræ minitantur: accersitur *Medicus*, neglecto confessario: præscribuntur & cumulantur remedia: monent domestici, vt animæ prouideat, ad confessionem se præparet, non se negligat, dum curat alia. Nihil mouetur, quoniam Medicus spem, fallacibus pollicitationibus alit, dies falluntur integri, labuntur septimanæ. Sanitas non redit, quia deplorata fallit pulsatilis arteria, calor deficit: *Medicus* actum de vita indicat. De vita? Ergone mihi moriendum? inquit infirmus. Vbi Confessarius? vocentur illico Ecclesiastici Religiosi, Monachi. Interea, dolet cruciatur vota concipit. Tantæ est virtutis ad emolliendum hominem *Mortis Memoria*.

Quod huic in lecto, multis aliis contingit in naui: qui quamuis alias sceleratissimi, & ad bona, precesque duri: quam duritiem Chrysostomus Nautis peculiariter adscribit: quos Bias neque inter viuos numerabat, neque inter mortuos, vt Plato refert: Anacharsis autem Scytha eosdem dicebat moribus esse persæpè desperatis, vt vita: tamen, si ventus aliquis typhonicus, turbulentus, vehemẽs, interruptus, si Euro-Aquilo concutiat omnia, si alii venti

Chrysostom. Act. hom. 27. *Plato in Axioch.* *Laert.*

Eripiant subitò nubes cælumque diemque. *Æn. 1.*

——— præsentem intentent omnia Mortem.

Si in genua concidant, orationes iterant, vota concipiunt, peregrinationes longissimas sanctè promittunt, peccata audientibus etiam aliis, aperiunt ac confitentur, flectuntur ad quidlibet qui antea, vt Marpesia cautes, bonis omnibus resistebant. Vnde tam repentè tot sanctuli? *Mortis Memoria* cor emollit. At vtinam verum non esset Italorum diuerbium. Quid hic memorem Ezechiam? qui audito Mortis nuncio, versus ad parietem exclamauit subitò, ac si iam dudum animo constituisset id suo. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* *Isa. 38.15.*

Achabum, impium, sceleratum, idololatram, Mortis minæ, quæ illius imaginem animo impresserant, dum Elias fulminaret, ad vestium dilacerationem, ad saccum, ad ieiunium, ad capitis demissionem perpulerunt. *Lib. 3 Regum 21.*

Regem, populumque Niniues ad cinerem, *Iona 3.*

nerem, seuerissimamque corporis castigationem adegit Mortis imminentis imaginatio: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

Ioannis Baptistæ *Mortis Symbolum*, Securim intentantis, concio plus quam funebris, quàm multos emolliuit? *Multi veniebant confitentes actus suos*, inquit, Lucas.

Pestis grassetur, imò illam solummodò quorundam inanis metus grassari vulget: immineat prælium: miles ducatur ad conflictum: obsideatur vrbs, in quam irruptio sit facienda, vix est in illa fæce hominum, animas in manu portantium, & eatenus ad concionatorum voces rebellium, qui non pœnitudine ducatur, & ad Sacerdotis sese pedes abijciat. Tam emolliens *Medicamentum est Mortis Memoria*.

Dubitant frequenter conscientiarũ Præsides industrii, & anxiè disquirunt, dum ad se confluentibus optimè consultum volunt, quid præscribere possint spiritualiter ægris, vt ad dolorem, contritionem, & satisfactionis opera, pro grauissimis sceleribus suscipienda mollescant. Cõstat enim quosdã esse, qui nullis persuasionibus adduci posse videtur, vt voluntarijs pœnis, vel à confessario impositis, peccata expient. Horrent ad flagellationem, & disciplinæ nomen. *Fodere*, inquiunt, *non valeo: mendicare erubesco*. Ieiunare se non posse fortasse mentiuntur: eos non velle facilè credo: humi cubare recusant: cilicio carnem premere refugiunt. Et tamẽ Confessarius, ex officii ratione pœnitentias ad criminum grauitatem admetiri debet, ni faciat: ipse viderit; rationem dabit ei, cui Iustitia assidet.

Pœnitentes acceptare tenentur

Pœnitentes verò, ne quis fortè erret, easdem acceptare tenentur & implere: de quo nemo ambigat post tam spissam, Theologorum nubem id testantium. Quod hoc tempore tam habetur certũ, vt sine temeritate negari non posse existimetur, cum ferè Tridentinum id clarè definierit: adeò vt Franciscus Victoria, summus Theologus, id de Fide esse pronunciarit. Docent autem apertè omnes isti:

pœnitentiam à Confessario impositam.

Viderd. Suarez. To. 4. Disp. 38. sect. 6. Cõ. 1.

Magister in IV. Dist. XVI. & XVIII. Ibidemque S. Thomas Q. I. Art. 3. Quæst. 3 Richardus in II. Quæst. V. Paludanus Dist. XX. quæst. 2. in fine. Maior Qu. 5. & Dist. XVII. Q. 2. atque ibidem Durandus Q. 2. & 3 Alensis IV par. Q. XXIV. Mem. IV. Art. 5. Antoninus III. p. tit. XVIII. cap. XIX. §. 19. Ruardus Tapper Art. III. pag. 273. Victoria in summa Num. 240. Dominicus Sotus Dist. XX. Quæstione II. Art. 2. Petrus Soto Lib. II. de satisfactione. Melchior Canus, Relect. de Pœnitentia p. 5. Ledesmius II. Parte II. tit. Q. XX. Art. 3. Colligiturque ex Leone Papa Epistola LXXXIX. & habetur cap. *Multiplex: de Pœnitent.* Distinct. I. atque ex Concilio Salegustadiensi c. XVIII. in III. Tomò Concil. *Multi (inquit) tanta falluntur stultitia, vt capitali crimine culpati pœnitentiam à suis sacerdotibus acceptare nolint*: fauent receptissimæ sententiæ cap. *Omnis vtriusque*: Con. Florentinum, & clarissime Tridentinum sess. XIV. cap. 8. Sed hoc iam non agimus: qui Confessario suademus, vt si inflectere velit, quos tam obstinatos comperit.

Miles meditatione mollescit.

Iniungat, aut suadeat, vt *Mortis meditationem*, cotidie attentè, flexis poplitibus, in conclaui peragant: manus dabunt tandem refractarij. Famã est (fides sit penes narrantem, è quo id refero) ab Alexandro Pontifice, quotus is fuerit, eius nominis, non additur: militem quẽdam longè flagitiosissimum hoc *Medicamento* curatum. Cum enim miles per-

Philip. Bosquier Cõ 2

 uicax

cax omnem mulctam, pœnitentiæ nomine, Catholico ritu, ab illo indictam auersaretur: is annulum ei suum digito gestandum dedit, satisfactionis vice, ea lege, vt quoties eum, ipse intueretur, toties de sua Morte cogitaret. datam legem accepit miles durus: cumque diebus aliquot mandato Pontificis fuisset obsequutus, reuersus ad Alexandrum, paratum se dixit quidlibet perferre ac pati. Hoc in Milite, cuius ferociam emolliuit Mortis oleum. Admirabilius fortasse est, quod sequitur.

MATRONA Vanitatis mancipium, cum omnes à Confessario impositas pœnas recusaret, huic tandem, velut reliquis faciliori, adquieuit, vt quoties manus, ebore nitidiores, lauaret, secum ipsa diceret: *Carnem hanc depascent aliquando vermes.* Vix diebus aliquot leuem hanc pœnitentiam subierat, cum in aliam mutata, tot breui tempore enituit virtutibus, quot anteà sorduerat vitijs: & tam sancto præluxit exemplo, quàm dedecoroso antea offenderat.

Petrus Coton. Concion. 16. de Morte.

Addatur his tertium de viro nobili, cuius fregit durissimum pectus eadem *Medicina*. Filius eius, in quo spes familiæ sitæ erant, ordinem religiosum ingressus erat: id tam ægrè tulit parens, vt confestim ad Religiosorum domicilium aduolarit, omniaque minis, & querelis impleuerit, ferrum etiam, & ignem intentans, nisi vnigenitus sibi restitueretur.

Aduocatur adolescens, patri sistitur, fit abeundi potestas, sequuturum se patrem dicit filius, si pater, quâ pollebat potestate, hoc efficeret, vt in paterno imperio lex non amplius obtineret, qua æquè citò mori adolescentes, ac viri consueuissent. Stetit attonito similis pater, & Mortis vehementi cogitatione mitior factus, filij consilium, & vitæ institutum arripere non puduit, vt Deo in posterum viueret, mundo catenus addictus.

Philip. Bosq. Con. 2.

Fuit vir Bononiæ, delicatus in paucis, ac carni deditus, qui vitam omnibus delitijs diffluentem agebat, quàm mollis ad voluptatem, tam ad virtutem durus. Quod ad hũc emolliendum remedium? *Mortis Meditatio.* Conuenit eum è D. Dominici familia religiosus, & multa familiariter, comiterque locutus, digrediens vnum monuit: cogitaret, sub noctem lectum ingressus illud Prophetæ: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Fecit ille, vt erat monitus: atque ita altè cogitatum illud animo insedit, vt rebus omnibus abdicatis, homo antea, ad diuina durissimus, se Deo, arctiorique vitæ obstrinxerit.

Hist. S. Domini. Ord.

Isa. 14.

Guerricus, magnus in seculo Philosophus, cùm audisset in templo legi è libro Genesis. *Factum est omne tempus, quod vixit Adam, nongenti triginta anni, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Factiq; sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est*: Ita Mortem animo imbibit, cum perpenderet eadem sibi lege nato, eandem impendere moriendi necessitatem, vt mundo relicto, cui tenacissimè adhæserat, S. Dominici institutum sit complexus, quo vitam sanctiùs institueret, & Mortem securius obiret. Quod pluribus haud dubiè contingeret, si epiphonema illud frequentius attentiusq; perpenderent: nam, *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

Guerricus Philosophus.

S. Hieronymus. Epist. 103.

SYM-

SYMBOLVM VI.

Mortis Memoria

MEDICAMENTVM SVPPVRATORIVM.

Docti superbi. *1.Cor.8.1.* HAc forma Mortis contemplatio Litteratis medetur,& scientiarum Alumnis, *Scientia inflat*, inquit Apostolus, id est,suapte natura animi tumorem parit, qui plenus purulento sui æstimationis sanguine, nisi educatur, interitum creat. Itaque adhibendum est remedium tum *Suppuratorium*, quod puris *διαπυητικόν.* materiam commoueat,tum *Discussorium* quod tumorem exinaniat. Vtriusque ra-*διαφορητικόν.*tionem habet *Mortis memoria*, quæ si benè applicetur, vel sumatur, agnoscet homo, vnum omnes scire, quod nihil sciant;sapientiam humanam appellari posse stultitiam,scientiam ignorantiam; doctrinam inscitiam.

Grammaticus Indeclinabilis Mors. GRAMMATICVS scilicet superbiat, qui etiamsi ad Prisciani,Diomedis, Donati,Seruij cognitionem peruenerit,nũquam eò attinget, vt *Mortem* declinare possit:quam si declinabilẽ in scholis docuit, indeclinabilem in fatali lecto experietur.Cætera declinabit fortasse: hic deficiet,tumuloque inscribere poterit:

Grammaticam multos didici docuiq́; per annos,
Declinare tamẽ non potui MORITVR.

Rhetor. ORATOR in foro triumphare solitus, infletur: subsidet tumor ad *Mortis* conspectum & impotentiam fatebitur, quod qui à cæteris omnia, à Morte nihil impetrare valeat.

Logicus. LOGICVS fidat captiosis ratiunculis, insolescat argumentandi argutia: compellat multos ad confessionem inscitiæ. Mortem cõtempletur,& illius elenchos: sentiet se superatum, & alia omnia circumspiciet. Mors omnes in saccum cogit,quod tantoperè exhorrescit Dialecticus. Mortis vel sola *Memoria* efficere potuit,vt exclamaret nobilis Logicus:

Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis,
Ad Logicam *pergo, quæ* Mortis *non timet* ergo.

ARITHMETICVS intumescat, quod stellarum multitudinem, arenarum maris numerositatem colligat: Inscitiam Mors arguet,ostendens,quod *nesciat numerum dierum suorum:nec sciat,quid desit sibi.* *Arithmeticus.* *Psalm.38.*

MEDICVS alibi Expertissimi titulo gaudens,& fortasse superbiens,ob merũ mixtum in Reges imperiũ,hic caput submittit, & inexpertũ se fatetur, clamatq́;

Contra vim Mortis *non est medicamen in hortis.*

LEGVM PERITVS in tribunalibus fasces versare assuetus,hic submittet,nullis exceptionibus,comperendi nationibus, vadimoniis, elusionibus, glossis, interpretationibus,Legibus se huic Iudici resistere posse animaduertens. *Legum peritus.*

THEOLOGVS alta speculetur,eoque in altum efferatur:hic deprimetur illicò, & vanam esse præsumptionẽ suã discet. *Theologus.*

O Præclarum pro viris doctis, imò, omni hominum genere *Medicamentum!* Tumore superbiæ pessimè affectus es: animaduerto id è capite,pedibus,manibus,lingua,totiusq́; corporis agitatione. Quod remedium? *Emplastrum ex cinere, Mortis Meditatio*, *Pharmacum Suppuratorium.* Quid *superbis terra & cinis? Puluis es, & in puluerem reuerteris*: lutum videlicet infletur.

Tumebant præter naturam Hebræi, & quidquid adhibebatur, exacerbabat malum, non curabat.

 Deus

Ierem. 18. 1. Deus *Medicus* optimus vocat Ieremiam, & præcipit: *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Cur non mittit ad Regiam, Synagogam, templum? nimirum opus illi erat *Emplastro* è luto, quod commodissimè in domo figuli paratur: ibi enim vasa ex simili materia Psalm. 2. conficiuntur. Et quid aliud corpora humana? *Confringes illos, tanquam vas figuli.* Quamobrem insusurrat Ieremiæ DEVS: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Considera, te vas figuli esse, ex luto & cinere coagulatum, in cinerem convertendum, deprimetur tumor omnis, & pus æstimationis propriæ effluet: Agnoscat se homo mortalem, inquit Augustinus, & franget elationem.

August. de 11 verbo Domini.

Hoc *Emplastrum* summo etiam religionis Antistiti offerendum censebat Bern. cuius sunt illa, ad Eugenium Papā: Considerātī duo hæc *Rationale* & *Mortale*, Tibi exinde occurret fructus, vt *Mortale* quod est in Te, *Rationale* humiliet: rursus *Rationale*, *Mortale* confortet: quorum neutrū neglectum est homini circumspecto scientiā. Nā *etsi superbierit ex* Rationali, *quod ei commune est cum Angelis: ex* Mortali *sit humilis, quod participat cum iumentis.*

Imperatoris pulvis offertur. P. Damiani Epist. 17.

Nec dedecet idem *Emplastrum* alteri orbis Monarchæ, quod in Imperatoris coronatione significabāt Græci, de quorum ritu Petrus Damiani, ad Alexandrū Romanum Pontificem. *Cùm Imperator quis in dignitate creatur, mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, corona simul ac sceptri gloriâ decoratus: cùm denique procerum vallatur obsequijs, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obuius, qui videlicet vna manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pluribus efficerat, in alia verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilu pensilibus, molliter demolitam: cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi, flamma subitò volante consumitur. Vt in altero debeat considerare quod est: in altero valeat videre, quod habet. In cineribus siquidem se Cinerem recognoscit. In stuppa iam colligit in die Iudicij, quam subitò mundus ardebit, quatenus dum se simul ac sua, tam vana, tam flocci pendenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat. Et dum possessor atque possessio subiacere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singularis dignitatis apice, qui ad summa prouectus est, non infletur.*

Subnectit saluberrimum monitum pius Pater. *Pulchrum ergò mundanæ conditionis ordinem homo consideret, & dum suis vsibus omnia cernit attributa, non sibi, sed suo referat gratias Creatori: Lenocinantem mundi gloriam sub iudicij sui calcibus deprimat, Virorem carnis aridum iam puluerem credat: diem suæ vocationis, tanquam speculum, suis semper obtutibus anteponat: districtum vltimæ discussionis iudicium contremiscat: quatenus, dum nunc Creatoris sui legibus subditur, qui inter creaturas, quæ terrena sunt, videtur insignis in cælesti quisque gloria veraciter sit sublimis.*

SYMBOLVM VII.

Mortis Memoria.

PHARMACVM AQVIDVCVM.

ITA appellant Medici illud, quod hydropicorum aquam inanit, Græcis Hydragogum. Si quis Auaritiâ tanquam aqua intercute distendatur, *Mortis Meditationem* adhibeat, aquam omnem phylargyriæ educet facillimè. Libebit nimirum congregare aurum, vel argentum, cui in mente hæret. *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet. Stulte hac nocte: animam:* *Auarus hydropicus.*

Tob. 27. 17. Luc. 12. 20. 2. Tim. 6. 7. Psal 48. S. Hier Epi. ad Cyprian.

animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt? Nihil intulisti in hunc mundum; haud dubium, quia nec auferre quid poteslis. Relinquent alienis diuitias suas. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Profectò, qui se quotidiè recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.

SYMBOLVM VIII.

Mortis Memoria

PHARMACVM STVPEFACIENS.

SVNT *Medicamenta*, quæ vim habent fallendi sensum, vt nulla rei quamuis præsentis delectatione tangatur, torporem enim inducunt suâ frigiditate, & sensum stupefaciunt. Hanc virtutem habet *Mortis Memoria*: quâ nihil est efficacius ad refrigerandum corporis facultates, & appetitiones animi, quæ æstuare solent; carnis concupiscentia, quæ amores vetitos, omnemque lasciuiam complectitur. Quare, qui hoc morbo liberari expetit, Mortem frequenter animo voluat. Certè, *nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet* (verba sunt M. Gregorij) *quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset*: Ita flammas cupidinis restinxisse quosdam nouo atque admirando modo legimus.

Lib. 16. Mor. cap. 3. 1

Guido Presbyter. Thom. Cantip. lib. 2. cap. 30.

Thomas Cantipratensis in libro Apum, narrat hoc factum hominis salutem suam peramantis. Vidi S. Virum Magistrum Guidonem, Presbyterum Monialium Niuellensium, de quo certissimò ferebatur, quod cum in Schonegio Hanoniæ oppido scholas regeret adolescens, incautè semel fœminam contemplatus, per annos tres, etiam ipsâ mortuâ, in tantum tentatus sit, vt excepto eo, quod vigilans sustinebat, etiam nocte in somnis eam crederet esse præsentem. Sentiens ergo Diabolum circa se non cessare, de nocte clam tumulum mulieris aperuit, naresque & faciem in cæno putrefacti corporis tam diu tenuit, vt penè fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, vt nullum postea stimulum in carne sentiret. Nimirum, libidinis sensu omni stupefacto.

Non absimile exemplum est in Vitis Patrum, de Eremita Scythiæ, qui cum non ignoraret sepultam fœminam, cuius memoria sæpè animo recurrebat, ignemque libidinis suscitabat, ingressus sepulchrum, abstulit putridi cadaueris particulam, eamque panno inuolutam seruabat, vt cum sentiret libidinis commotiunculas, hoc *Emplastrum* ori admoueret, applicaretque naribus, non minori sui victoriâ, quàm sensus, initio quidē modestiâ, posteà verò, stupore ac insensibilitate tranquillissima.

SYMBOLVM IX.

Mortis Memoria

MEDICAMENTVM SICCANS.

O! quam necessarium est istiusmodi *Pharmacum* helluonibus, comedonibus, lurconibus, semper madidis, semper ad pastum, potumque anhelantibus, magis, quàm ad aquam pisces assolent. Facilè intra temperantiæ limites sese continerent Bacchici lurcones & comedones Apicij, si se mox mox morituros firmiter animo imprimerent, aut mori posse cogitarent, vt multi dum spu-

mantem cratera coronarunt, dum gulæ indulgerent, extemplò conciderunt. Quæreresné immoderatè delicias corporis, si paulò post te vermibus escam fore firmissimè crederes? Si ad rogum ducendus esses, vel ad furcam, caperetne te lautitiarum & mensæ opiparè apparandæ cogitatio, vel cura? Et quid est vita humana aliud, quàm iter ad patibulum. Progreditur homo ex vtero, in quo originale contraxit peccatum, ob quod damnatus est ad mortem, præcedit præco inclamans sententiam Iudicis: *Statutum est hominibus semel mori.* Reus ipse defert inscriptam pectori condemnationis tesseram, & causam: circumfert enim mortalitatem suam, tanquam testimonium delicti communis: circumstant creaturæ, vt satellites, & carnifices, parati ad feriendum, vel ad primam Iudicis vocem: præcedunt tubæ Mortem prænunciantes, tonitrua, pestes, fames, terræ motus, procellæ, dolores, morbi: & tibi hoc fortasse momento plectendo, si id perpenderes, liberet comessari? Ferunt Principem quendam assidua *Mortis* cogitatione, ad maturitatem, grauitatemque singularem adductum, à Mimo aliquando exstimulatum, vt hilarius ageret, rideret, epularetur, choreis, quemadmodum tot alij, interesset, & ipse quoque duceret; iussisse illicò poni sedem Mimo ex putridis lignis compositam, supponi ignes, gladium verò ex alto appendi, vt cuspis capiti imminerет, tuncque incitasse, vt genio indulgeret, potitaret alacriter, pergræcaretur, & cum sodalibus suis lætissimè diem illum falleret: Mimum verò illum ad omnem strepitum sede exilientem, & nunquam non in omnes se partes versantem, ex tam dapsili apparatu nihil ausum fuisse delibare. Idem faceres, si in te *Mortis* imminentis vigeret *Memoria.* Si corporis putridi fragilitatem, æstuantis concupiscentiæ & natiui caloris flammas omnia paullatim consumentes: gehennæ ignem pedibus tuis suppositum, capiti vindicatricis iustitiæ ensem penè inhærentem continenter, studioseque contemplareris.

Vita, iter ad patibulum.

Mimicum spectaculū.

Antiquius est, quod de Dionysio Tyranno scribitur, à Cicerone, & Valerio Maximo. Is Democlem ingeniosum parasitum, iactitantem, vt adulatores solent, vel imperiti, Regum vitam esse iucundissimam, iussit sedere in regali solio, & nihil deesse, quod ad splendorem regium, aut lautitias desiderari posset, appenso tamen è tenui filo gladiolo *Mortis* præsentaneæ *symbolo*. horruit parasitus, nec ausus fuit quicquam manibus de refica mensa contingere. Tantum potuit ensis super caput stricti, id est, *Mortis*, vel præsentis, vel instantis, cogitatus.

Dionys. Tyran.
Cic 1. Tusc.

(∴)

COMMEN-

COMMENTATIO VI.

DE

Iudicij vi Medica instar Fici.

In quâ confertur Iudicium extremum: aut potius, eius consideratio cum Fico: cuius vis medica est multiplex. Vt Ficus tumores discutit: ita superbiæ remedium est Iudicium. Inflammationem tollit Ficus: libidini medetur Iudicium. Emollit scirrhos ficus: ferociam domat Iudicium. Ficus contra Scorpionum ictus valet: Iudicium contra improborum calumnias, & contumelias. Ficus verrucas tollit: Iudicium peccata venialia. Sudorem mouet Ficus: pœnitentiæ, sanguinisque humorem elicit Iudicij præmeditatio. Efficax morborum animi Medicina.

Dominica XXIV. Post Pentecosten, vel Dominica I. Aduentus.

Ab arbore Fici discite parabolam. Matt. XXIV. 32. *Videte Ficulneam.* Luc. XXI. 29.

Ezechias sanatur massa ficorum.

GRAVI, ac periculosa infirmitate pressus Ezechias, petebat à sanitatis Domino non sine lacrymis, vt medicamentum adhibere vellet, & vitæ terminos aliquantulum producere. Annuit clemens Pater: missoque Isaia propheta, iussit nunciare: *Audiui Orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanaui te. Die tertia ascendes templum Domini: & addam diebus tuis quindecim annos.* Ingressus ad ægrum Isaias, adferri iussit massam ficorum. Quam cum attulissent, posuit super vlcus eius, & curatus est. Id non temerè factū à Propheta, neq; casu euentus comprobauit. Fecisse autem illum secundum artis Medicæ peritiam, vir in ea disciplina nobilis, edito commentario, demonstrauit. Qui in eo tamen miraculi vim agnoscit, quod licet ficus virtutem habet medicamentosam, vt ipse loquitur, ad illius morbi curationem accommodatam: tantam tamen habere non potuerit, vt qui ægrotabat vsque ad mortem, tertia die sanus ad templum ascenderet: nisi Deus peculiari quodam auxilio, ac solito maiore, medicaminis vim auxisset.

Lib. 4. Reg. 20.

NOTÆ.

Franc. Valesius c. 39. de sacra Phil.

Ex his licet colligere; esse in Fico vim medicinalem hominum corporibus sanandis opportunam. Quocirca cùm Christus parabolicè magnū Iudicij extremi diem Fico compareт: parabola autem, vt quodlibet symbolū illud exigat, vt è re aliqua naturali, illiusque proprietate,

NOTÆ. *In fico vis medicinalis.*

prietate, vel metaphora accommodatâ sensus alius in abdito latens, tanquam ex alto veritatis puteo educatur: haud dubiè voluit, vt quæ in Fico animaduertuntur Iudicio similia, ea ad medendos animos transferantur. Mirum autem est, quanta inter duo ista sit germanitas: & quàm multa ex Fico ad notitiam Iudicij, variarumque eius circumstantiarum sumi possint. Quod propriâ commentatione est fusè demonstratum: nunc omissis alijs, quod *Medicina* suggerit, pertractabimus.

Ficus tumores discutit. PRINCIPIO itaque, est in Fico vis eximia ad discutiendos tumores. Quo fine ab Isaia admotam Ezechiæ, quidam existimant. Nam vulnus eius non fuisse vlcus, sed, vt sonat Hebræum vocabulū, à LXX. Interpretibus, omissum, aposthema, suspicantur, quando tumēs corpus, cocto & putrescente pure impletur. Tunc iuxta artem Medicorum, vt loquitur Hieronymus, omnis sanies siccioribus ficis, atque contusis in cutis superficiem euocatur, & tumor abscedit. *S. Hier. Isa. 38. 4. Reg. 20.*

Iudicium superbiam deprimit. NOTÆ. EST præclara in Iudicio extremo, eiusque seria contemplatione virtus ad tumidos animi motus componendos, & superbiam deprimendam. Nimirum, superbiat terra, & cinis, siue in generis claritudine, siue in potentiâ, siue ingenio, siue ornatu, siue rerum quarumlibet copiâ, dum cogitat, tandem sistendos omnes ante Iudicis supremi tribunal, nullo nobilitatis, dignitatis, personarum, aut conditionis discrimine? Dum diligenter secum perpendit, non fore ibi in Pontificum capitibus infulas: in Cæsarum comis laurum: In Imperatorū vertice diadema: in Regum manibus sceptrum: in Doctorum humeris, pelliculas, aut purpuram: in Iudicum dexterâ gladium. Nullos ante Consules fore fasces, lictores, virgas; sed omnes in genua, tanquam reos deiectos, sine fastu, pompa, apparatu, sententiam Iudicis expectaturos. *Iudicaturo Domino*, inquit S. Hieronymus, *lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur cum suis stultus Plato discipulis. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quando veniet ille filius paupercula quastuaria, iudicaturus fines terræ.* *Epist. ad Heliodor.*

In Iudicio nulla personarum acceptio. QVIS superbiat, quamuis arrogantissimus, si illud mente verset Magni Patris: *In Christi iudicio, sine acceptione personarum, sine ambitu potestatum, æqualiter iudicabuntur, domini, & serui: reges, & milites; diuites & pauperes; humiles & sublimes.* Si istud diligenter perpendat: *Quæ hic honorant, ibi onerant: quæ hic releuant, ibi grauant. Ista, quæ pro tempore propter Ecclesiæ vtilitatem honori nostro exhibentur, defendent fortè bonam conscientiam: defendere autem non poterunt malam.* Vita, vt toties dictum, Fabula est. In eâ Pontifices, Reges, Principes, tam diu honorantur, quam diu in theatro personam agunt. post siparium, sæpe vapulant: detractis vestibus non sunt amplius, qui videbantur. peracta fabula, postquam insonuit, *plaudite*, qui Rex fuit, fit nonnunquam famulus illius, qui in scena serui sui personam sustinuit. Hæc animi tumorem ponere iubent, vt *Ficus* corporeum sanat. *De fide ad Petr. c. 45. Epist. 203. ad Maxim.*

Ficus inflammationes tollit. QVÆ prætereà plurimum iuuat ad inflammationem, quæ cum quibusdam vlceribus coniuncta est, aut minuendā, aut tollendam penitus. Vt enim videre est apud Dioscoridem, & Galenum, atque adeò, vt inter omnes Medicos constat, caricæ, ficuum species, si ex ijs fiat cataplasma, idcirco vsurpantur. Atque ita sanatum fuisse Ezechiam Franciscus Vallesius existimat. Siquidem, cum Ezechias *De sacra Phil. ca. 9.*

chias proximus esset morti, pronum est credere, illius vlcus, neque benignum fuisse, neque simplex; sed malignum, & complicatum. malignum, ob pessimum succum, quo imbutum erat: complicatũ verò cum inflammatione. Quamobrem à coniuncta inflammatione magis, quã ab ipso vlcere periclitari potuit. Ita enim euenit, vt ob coniunctam inflammationem trahantur partes principes in compassionem, maximè cerebrum: & ob vlcus partium anteriorum cum delirio, posteriorum cum conuulsione, homo moriatur. Hoc pacto, si Ezechiel periclitabatur, accommodatissimè Isaias vsus fuit cataplasmate ex ficubus, ad inflammationem tollendam.

Inflammatio. Libido. Ira.

DVPLEX est animæ vlcus, seu peccatum, quod cum inflammatione coniunctum est: aut potius est ipsa flamma, vel æstus: *Luxuria*, & *Iracundia*. Notum est omnibus, quantoperè æstuet ille, quem accendit libido: quamque ardeat iracũdus. Gelu est Æthna, aut Vulcania pyra ad alterutram flammam. Sed vtriusque præsentaneum est remedium Iudicij memoria.

Libidinosi cur multi.

CVR plurimi frena nunc laxant libidini? Quoniam se latere existimant. Dũmodo in specu cum Didone, aut Ænea: vel in lectis eburneis, aut sub pluma luxurientur, quia cautè agere se putant, nulla castitatis est cura. Si vel cogitationes suas patere existimarent, exhorrescerent. At obuersetur animo ille dies, quando, circumstante & inspectante orbis totius corona, proferentur abscondita tenebrarum; eritne aliquis, tam proiectæ audaciæ, aut infrenis lasciuiæ, vt in animum inducat fœdissimis se commaculare sceleribus? Tunc reuelabitur, ô lasciue! ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, vt comminatur tibi Propheta. Audin'. *Ecce ego ad te* dicit Dominus exercituum, *& reuelabo pudenda tua in facie tua: & ostendam gentibus nuditatem tuam.* Nahum III. 5. *pudenda tua*: id est, opera libidinosa, ac nefaria, quæ nunc pudet confiteri, fœdos cogitatus, inhonesta verba, impudicos tactus, & similia sexcenta. Et ostendam regnis cœlestium, terrestrium, & infernorum ignominiam tuam, tam fabrè, ac studiosè à te occultatam. *Isa. 47. 3.* *Nahũ 3. 5.*

Exprobrationes Iudicii.

DICETVR tibi: *Hæc fecisti, & tacui dissimulans peccata propter pœnitentiam,* Sapientiæ XII. Sed qui tacuit, siluit, patiens fuit, vt parturiens loquetur: *Existimasti, inique, quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam. Si potes, responde mihi, & aduersus faciem meam consiste. Tu fecisti absconditè: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis. Iudicabo te iuxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas: & non parcet oculus meus super te, & non miserebor: sed vias tuas ponam super te, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego Dominus.* Manticam turpitudinum suarum lasciuus nunc à tergo portat: reducet illam Deus in iudicio ante pectus. Modò non videntur quidam, Deo dissimulante, peccare: sed aderit illa dies, in qua omnium facta, dicta, cogitata, quasi in quadam tabula depicta, demonstranda sunt, Deo, Dæmonibus, Angelis, & hominibus vniuersis. *Sap. 12. 24.* *Isa. 42. 14.* *Psal. 49. 21.* *Iob 33. 5.* *Li. 2. Reg. 12. 12.* *Ezech 7. 3.*

Pudor luxuriosorum in Iudicio.

QVANTVS hinc pudor videntibus tam pudenda? *Si nostrûm cuiusquam occultum crimen* inquit Chrysostomus, *in medium delatum hic tantummodò confessi innotesceret, nonne fieret, vt ille interire, ac terram sibi potius dehiscere, quàm tam multos peccati sui testes habere mallet? Quid igitur tum nobis fiet miseris, cùm omnia orbi vniuersa* *Hom. 5 in epi. ad Rom.*

uersa palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum oculis, partim incognitorum subijcientur? Quantum autem cruciet pudor, docuit Adam, subducere se nitens à cõspectu DEI, eò quod nudus esset: ostendit Noe, indignatus grauissimè filio, nuditatis paternæ exploratori: declararunt Virgines Milesiæ, quas nuditatis metus à laqueis sibi inijciendis deterruit, quum plurimæ desiderio vitæ amœnioris, quã spondebat Egesias, spontè in exitium se præcipitassent. Sed quid nuditas corporis ad nuditatem animæ, & tot pudendorum reuelationem? Libidinis igitur comprimendæ, non minus, ac Ficus inflammationis remedium est Iudicij cogitatio seria. Improbi idcirco, quibus nullus huius remedij vsus abominandis scelerum turpitudinibus se inquinant. *Auferuntur iudicia tua à facie eius,* cantat David: *quoniam*; id est, hinc fit, quod *inquinata sint via eius in omni tempore.*

Gen. 3. Gen. 9.

Ps. 10. 5.

IRACVNDIÆ etiam inflammationem sopit *Iudicij recognitio*, efficacior multò, quàm quæ ex ficubus conficitur medicina. Sanè ita Christus Medicinæ nostræ auctor, illi morbo mederi posse docuit. Huc enim spectat tota illa Domini ad Discipulos habita disputatio: vel tanquam legislatoris denunciatio: *Audistis, quia dictum est antiquis:* Non occides: *qui autem occiderit, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Iudicij memoria iracundiã tollit

Matt. 5.

DEINDE verò, emollit è ficubus malagma. Sunt interdum in corpore humano tumores quidam duri, sed sine dolore: hi scirrhi vocantur, vel scirriomata: horum durities ficorum massâ impositâ dispellitur. Quanta est in multis peccatoribus durities? saxea planè: &, quod pessimum, non sentitur: sicut nec grauitas situlæ, quæ aquæ est immersa, quemadmodum cor peccatorum in fœditatis cloacâ. Ad hanc duritiem omninò tollendam opportunum remedium est Iudicij extremi meditatio: quæ tum timorem incutit, quasi imposito emplastro, vel infixo in vlcus aculeo, animum emollit. Confige timore tuo carnes meas, orabat David: à iudicijs enim tuis timui. In vitis Patrum relatum inuenio, cùm è iunioribus, Monachus quidam seniori dixisset: *Crede, Pater, cor mihi oppidò durum est: nec timorem vllum sentio, quid, quæso, facto opus est?* respondisse senem: *Cogita seriò, quid Deo iudici responsurus sis, interroganti, cur peccata tam grauia commiseris?* Ephremus Syrus, sanctitate vir admirabili, ita iudicij memoriâ mollescebat, vt in lacrymas diffluerct: diceres induratam pœnitentiæ rigore niuem, solis radijs liquescere. Idem nihil crebrius, quàm terribilem illum diem in libris suis, & cohortationibus inculcat. De D. Hieronymo quis non legit aliquando, illam, ab ipso toties vsurpatam sententiam: *siue comedo, siue bibo, siue aliquid aliud facio, semper videtur illa tuba terribilis sonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco.* Illius tubæ vel imaginarius sonus tantam habet efficaciam, vt conterat naues & petras. Dat enim Deus voci suæ vocem virtutis, & magnificentiam talem, vt *confringat cedros, comminuatque vitulum Libani*: duros, obstinatos, voluptuarios.

Emollit ficus.

Ps. 118. 120

Ps. 47. 8. Iere. 23. 29.

HVIC adfine est, quod Ficus facultatem habeat admirandam ferocientes in animalibus compescendi, & edomãdi spiritus. Vix credibile est, quod de Tauro ad ficum alligato, & mansuefacto litteris proditur à Plutarcho. Cuius caussam

Ficus ferociã domat.

Plut. symposi. lib. 6. ca. 1.

ſam naturalem eam putant, quod virtus quædam valida, ac vehemens à fico exhalet. Id viſu ſe percepiſſe quidam aſſeuerant. De quo dubito admodum. Sanè conſtat taurum ficui alligatum, quantũuis ferocem, quieſcere, tactumque admittere, & omninò ferociam, quaſi langueſcentem ponere. Acrimoniam plantæ nonnulli cauſſam exiſtimant.

Credite mihi, non eſt quicquam efficacius ad homines, nimium, ob res ſecundas, ferociẽtes, & taurorum in morem, cornibus obuios quoſq; arietantes, continẽdos, quàm ſpiritus ille acer, qui ex iudicij contemplatione tanquam è Fico emittitur. Ad hanc Ficum ſi alliges hominem ferociſſimum, quem nulli funes reuerentiæ, nulla vincula timoris: nõ compedes, aut catenæ comminationũ, aut pœnarum conſtringere potuerunt, manſueſcet illicò, & victas manus dabit.

Iudicij memoria ſpiritus frangit.

Hanc virtutẽ ineſſe Iudicij commẽtationi Paulus Apoſtolus non ignorauit. Qui agens coram Felice Syriæ Præſide, homine vt feroci, ſic laſciuo. Quẽ Druſillam alterius vxorem magicis artibus ad ſe pellexiſſe hiſtorici referunt. De Iudicio ad comprimendos hominis elatos ſpiritus diſputationem inſtituit. *Diſputãte autem illo, de iuſtitia, & caſtitate, & de Iudicio futuro*, vt narratur Actuum Apoſtolicorum XXIV. *Felix tremefactus, reſpondit: Quod nunc attinet vade: tempore autem opportuno accerſam te.* Mirabilis cataſtrophe, vt Iudici formidabilis fiat reus, leoni innocuũ pecus, lupo ouicula. vt ab homine ad tribunal adducto ſententiam audiat Iudex, ac contremiſcat: vt rei præconio pronũcietur in Iudicem pœna. Tantũ valet Iudicij diuini apud infideles etiã commemoratio. Quocirca incredibilis eſt quorundam, qui fidelium nomine gloriãtur, an reuera tales ſint Deus iudicet, peruerſitas, ac obſtinatio; quorum diuini iudicij timore carnes non configuntur. Qui aliis diiudicandis præſunt, interdum æquo ſunt acerbiores, arrogantes, præcipites: his nulla ſalubrior fieri poteſt admonitio, quã, quæ ex Iudicii extremi diſputatione ſumitur: vt meminerint, ſe, non hominis exercere iudicium, ſed Domini. Qui, cùm tempus acceperit, ipſas iuſtitias iudicabit. Hoc fortaſſe fine præſcripſit Chriſtus, quod Petrus adfirmat Actuum X. prædicare, & *teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorũ. Si videris calumnias egenorum*, inquit Sapiens, *& violenta iudicia, & peruerti iuſtitiam in prouinciâ, ne mireris ſuper hoc, quia excelſo excelſior eſt alius: & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij. Et inſuper vniuerſa terræ Rex imperat ſeruienti.*

Act. 24.25.

Deut. 1.17.

Pſal. 74.3.

Act. 10.42.

Eccleſ. 5.7.

Ad Deum Iudicem appellant.

Hinc nonnulli dum in ſe agi ſeuerius exiſtimarent, & contra iuſtitiã, ad Deum Iudicẽ appellatione confugerunt, vt iudicii diuini commemoratione ferociam frangerent, ſiue verã, ſiue opinatã. Ferdinandum IV. Hiſpaniæ Regem, duo perduellionis rei, & condemnati, dum occiderentur, ad tribunal diuinũ appellarũt, vt die trigeſima compareret: quã dum dormire crederetur, in fata conceſſit, ſi vera ſunt, quæ ſcribit Ritius. Ioannes Tuiſo apud Weſtrogothos mandarat capite plecti quendã, qui flexis iã poplitibus: en morior, inquiebat, iniuſtè: teq; voco hac horâ ad tribunal Dei. Quo dicto, iudex ex equo corruit, ac mortuus eſt: vt refert Olaus. Templarios citaſſe Clementem ac Philippũ Pulchrũ Gall. Regem, vt intra annum comparerẽt ad tribunal, vbi ius ſine prauo adfectu adminiſtratur, multorum eſt narratio. Cũ Mechenerus Hersfeldẽſis Abbas, & Burchardus Halberſtadienſis litigarent de decimis, nec conuenire poſſent, appellarunt Iudicis æterni tribunal, amboſq; extinctos ferunt.

Ritius lib. 3. de rebus Hiſp.

Fulgoſ lib. 1. cap. 6.

Olaus li. 14. cap. 20.

Ioa. Stepha. lib. 4. de Iuriſd. Eccl.

Fulg. lib. 1.

Li. Exemp. polu.

Auentin. lib. 4. Ann. Boic.

to minora: vt, ociosa verba: curiosus oculorum iactus: immoderatus risus. Ad has, similesque verrucas tollendas, nihil est Iudicij diuini contemplatione, tanquam succo è fici arbore accommodatius. Cogita, dum inutilia, superflua, ociosa in ore, tanquam carbonem ignitum retinere non posse videris: *De omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die Iudicij.* Senior quidam ex antiquis eremi cultoribus iuuenem effusius ridentem ita compescebat: *Coram cælo & terra censendi, ac iudicandi sumus, & tu rides?* Nimirum, existimabat ridere non posse; certè, sæpè non debere, qui Iudicij meminisset.

Matth. 12.

Sudorem mouet.

ADHAEC, sudorem mouere maturā Ficum naturaliū scriptor asserit; ob idq; auctumno insalubrem esse, quoniam sudantia huius cibi vi corpora, frigescūt. Matura Iudicij contemplatio sudorem elicit: videlicet, vel lacrymarum, ex geminis oculorum orbibus, velut gemmarum profluentem: vel laboris, pœnitentiæque ex ceteris partibus copiosè prosilientem: quid si etiam sanguinis flagellorum vi expressum? Sanè, quem amor ad corporis castigationem spontaneam non allicit, Iudicij horror non difficulter mouebit. Augustinus, dum conuersionem, & pœnitentiam meditaretur, ad Ficum secessit: sub eaque meditatio sudorem copiosissimum illi mouit: *Ego* inquit, *sub quadam fici arbore straui me, nescio quo modo, & dimisi habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile sacrificium tuum:*

Lib. 8. Conf. 12.

DENIQVE & hanc virtutem maturæ fico adscribit auctor idem, quod sitim sedet. At facilius multo, & efficacius concupiscentiæ intolerabilem sitim extinguit Iudicij diligens ruminatio. Quā obrem ad sobriè, iustè, pieque viuendum, vt singularem Medicinam præscribit Paulus Apostolus exspectationem aduentus Domini. *Sobriè,* ait, *& iustè & piè viuamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris N. Iesu Christi.* Et Petrus Apostolus eodem collimans: *Cùm hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse, in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini.*

2. Timo. 4.

2 Petri 3.

VTINAM à vobis impetrem, vel ab vno aliquo è vobis, vt quando grauiter laborauerit, siue verminoso, ac maligno vlcere superbiæ, siue inflammato apostemate luxuriæ; siue gangræna acediæ; siue liuescente cancro inuidiæ; siue pestilenti carbunculo maleuolentiæ; siue inueteratis venialium verrucis, *Fico* à me oblata vtatur: ex eaque tanquam caricarum massa cataplasma conficiat, vulneriique, ac tuberculis suis admoueat. Est enim efficacissima *Medicina, Iudicium Dei extremum.* Quod non in pileo vertitur, aut compede, sed in æternitate, vel pænæ, vel salutis.

NOTAE.

§. I Saias adferri iussit massam ficorū.] *Isaiæ* XXXVIII. 21. Iussit Isaias, vt tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur. *Cataplasmare, est, cataplasma, siue emplastrum è ficubus, conficere, quod vulneri imponatur In Hebræo est:* Contundāt super vlcus: *id est, contusum imponant super vlcus. Itaque vulnus Regis Ezechiæ fuit vlcus, vt vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion, & Interpres Latinus, lib. IV. Reg. XX 7 Certè Hebraicum* שחין *sechin significat vlcus.*

Notat autem ibi Cornelius: Ficus per se vlceri potius obesse, quam prodesse. Licet enim Galenus lib. 2. de Arte curatiua cap. 7. ad eos tumores, qui neque facilè ad suppurationē per-

ueniunt, neque facilè discuti possunt, iubeat vti cataplasmate ex caricis, siue ficubus; tamen alia est ratio, inquit, in vlceribus. Hæc enim extersionem, & desiccationem postulant, non autē discussionem, emollitionem, aut suppurationem. Hæ enim tumorum sunt rationes, non vlcerum. Per accidens tamen, si vlceri accedat tumor, & inflammatio (vti in morbo Ezechiæ fieri potuit) ad eam vel resoluendam, vel suppurandam, valent ficus

Aliqui censent vlcus Ezechiæ non formatū, ac propriè dictum vlcus fuisse, sed apostema, quo tumens corpus interius putrescente pure complebatur. Quod si verum est, potuit pus, siue sanies fictioribus ficubus, atque contusis in cutis superficiem prouocari, ibique excerni. Et sic naturaliter ficus profuerunt morbo Regis.

At vulgatus Interpres Latinus censuit formatum & apertum fuisse vlcus. Vnde vertit, vulnus. *Quocirca ficubus nō erat opus ad prouocādam in cutem saniem. Quicquid sit, certum est, ficus non habuisse tantam virtutem, vt hominē moribundum, vitæ, ac sanitati restituerent, idq; tam citò, vt tertio die adiret templum. Quare miraculum aliquod interueniſſe putandum est, vt docet Vallesius, c. 39. Vatablus, Adamus, alij.*

Sic Christus lutum imponens oculis cæci, eū illuminauit. Sic Sancti olim in eremo oleo à se benedicto quoslibet morbos curabant. An ita fortaſſe, ficus, non tam ex se, & sua virtute, quā quia à Sancto Propheta Isaia adhibebantur, quasi ab ipso benedictæ, & quasi instrumentum DEI, cuius iussu eas applicabat Isaias, subitò sanarunt Regem? Ita suspicatur Cornelius.

FICVS Medica.] *Plinius l. xxiii. c. 3.* Lactis ficulni natura aduersatur crabronū, vesparum, & similium venenis: priuatim scorpionū. Idem, cum axungiâ verrucas tollit. Folia, & quæ non maturuére fici strumis illinūtur: omnibusq;, quæ emolliendа sunt, discutiendaq; præstant hæc & per se folia. Aduersus canis morsus ramorū teneri cauliculi cuti imponuntur. Iidem cū melle vlceribus, quæ cerra vocantur, illinuntur. Extrahūt infracta oſſa cum papaueris siluestris foliis. canū rabiosorū morsus folio trito ex aceto restringūt. E nigrâ ficu candidi cauliculi illinūtur furunculis: muris aranei morsibus cū cerâ. Cinis earum è foliis, gangrenis, cōsumendisq;, quæ excrescunt Fici maturę vrinam cient: aluum soluunt: sudorem mouent: papulasque ob idque auctumno insalubres, quoniam sudantia huius cibi operâ, corpora perfrigescunt.

Iuuenum vires augēt: senibus meliorē valetudinem faciunt: minusq; rugarum. Sitim sedant. Calorem refrigerant. Ob id non negandum in febribus cōstrictis, quas *Stegnas* vocant. Siccæ fici stomachū lædunt: gutturi & faucibus mirificè vtiles. Natura his excalfaciendi. sitim adferunt: aluum molliunt: rheumatismis eius & stomacho contrariæ. Vesicæ semper vtiles, & anhelatoribus, ac suspiriosis. Item, iocinerum, lienum, renum vitijs. Corpus, & vires adiuuant. Ob id antè athletæ hoc cibo vescebantur. Recolligentibus se à longâ valetudine vtilissimæ. Item, comitialibus, ac hydropicis. Omnibus, quæ maturanda, aut discutienda sunt, imponuntur, efficacius, calce, aut nitro immisto. Coctæ cum hyssopo pectus purgant, pituitam, tussim veterē. Cum vino ad sedem, & tumorē maxillarum, & furunculos, panos, parotidas, decoctæ illinuntur. Vtile, & decocto earum fouere fœminas. Decoctæ quoque eædem cū fæno Græco vtiles sunt pleuriticis, & peripneumonicis. Cum ruta coctæ torminibus prosunt. Tibiarū vlceribus cum æris flore. Pterygis cum Punico malo. Ambustis pernionibus cū cera. Hydropicis coctę in vino, & cum absynthio, & farina hordeacea, nitro addito. Aluum sistunt manducatæ. Scorpionum

ictibus

ictibus cum sale tritæ, illinuntur. Carbũculos extrahunt in vino coctæ & impositę. Carcinomati si sine vlcere est, quàm pinguissimam ficum imponi penè singulare remedium est. Item phagedænæ.

CINIS non ex alia arbore magis aciẽ purgat: acrior cõglutinat, replet, adstringit. Bibitur & ad discutiendum sanguinẽ concretum. Item, percussis, conuulsis, ruptis, cyathis singulis, aquæ & olei. Datur tetanicis, & spasticis. Item potus, vel infusus cœliacis, dysentericis. Et si quis eo cum oleo perungatur, excalfacit. Item cum cera. & rosaceo subactus, ambustis cicatricem tenuissimam obducit. Lusciosos ex oleo illitus emendat: dentiumq; vitia cerebro fricatu. Cortex tritus cum oleo ventris vlcera sanat. Crudæ, grossi, verrucas, & thymos, nitro, farinaq; abditis, tollunt.

Plinius l. xv. *c.* 18. Cato perniciali odio flagrans Carthaginis, nepotumq; securitatis anxius, cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodã die in curiã præcocem *Ficum*, ex ea prouincia: ostendensq; Patribus: interrogo vos, *inquit*, quando hoc pomum demptũ putetis ex arbore? Cum inter omnes recentẽ esse cõstaret. Atqui tertium, *inquit*, ante diem scitote decerptũ Carthagine. tam propè à muris habemus hostem. statimque sumptum est Punicum tertium bellũ, quo Carthago deleta est: quamquam Catone anno sequente rapto.

Quid primum in eo miremur? curam ingenij, an occasionem fortuitam, celeritatemq; cursus? an vehementiam viri? Supra omnia quiddam est, quo nihil equidem duco mirabilius: tantam illam vrbem, & de terrarum orbe per cxx. annos vrbis æmulam, vnius pomi argumẽto euersam. Quod non Trebia, aut Trasymenus, non Cannæ busto insignes Romani nominis perficere potuêre. Non castra Punica ad tertium lapidem vallata, portæq; Collinæ adequitans ipse Annibal. Tanto propius Carthaginem Cato admouit.

§ IVDICII vis medica] *Enoch, vt homines in Dei timore contineret, Iudicium Dei popularibus suis prædicauit. Ita Iudas Apostolus in sua Canonica :* De his prophetauit septimus ab Adam Enoch : Ecce Dominus venit in Sanctis millibus suis facere *IVDICIVM* contra omnes, & arguere omnes impios. *Expendit nonnemo septimum fuisse Enoch ab Adam, & Iudicij Vniuersalis Ecclesiasten. Quod ad rem medicam ita transfert.*

MVNDVS graui morbo correptus erat, & in Syntexin inciderat. Septimo autem die solet morbus esse amplior, & vehementius feruere: cui, vt succurratur, recurrendum est ad defensiua medicamenta, & fortiora remedia. Quod autem corde esset æger Mundus, constat ex illo Eccl'esiast. x. *Cor sapientis in dextera illius: cor autem stultorum in sinistra.* Sapiens est, qui salutem suam curat: peccator autem stultus dicitur. Commentatur hic Hieronymus in hunc ferè modum. *Deo gemina sunt manus, bina latera: à quibus stabunt homines vniuersi in iudicio. Ad dexteram: quæ gloriam signat, statuentur agni: in sinistra, tormentorum indice, hædi. Iustus cor suum locat in dextera Dei, quia omne studium suum, omne cordis desiderium est salus sua. Impius ac peccator statuit idem in sinistra: quia, quæcumque facit, vergunt ad damnationem* Igitur septimo ægritudinis die, quando in maximo discrimine versatur æger, Enoch, tanquam efficacissimum *Pharmacum Iudicij generalis* considerationem propinauit. *Didacus Vega in Concio. Dom. I. Aduentus.*

COM-

COMMENTATIO VII.

DE

Iustitia vi Medica.

In quâ declaratur, Mundum esse corpus: in eo, Rempublicam, corpus politicum: Ecclesiam, mysticum. Vtriusque esse diuersas partes. Conuenire vtrique, tanquam corpori animalis, sanitatem. Huius procreatricem æquè, ac conseruatricem esse Iustitiam. Quæ & ipsa sanitas dici possit: cum non minus ipsa, quam hæc, in commensuratione consistat. Quocirca rectè Orbis terrarum Sanitas Iustitia nominatur, tum formaliter, tum efficienter.

Dominica IV. post Pascha.

Paraclitus arguet mundum de Peccato, & de Iustitia, & de Iudicio. Ioannis XVI. 8.

Iustitiam multi laudant, pauci colunt.

IVSTITIAM, quæ haud paullò plures nacta est præcones, quàm cultores, aliqui præstantissimam virtutem vocant, Hespero, ac Lucifero admirabiliorem: Alij Reginam, Caussam, Dominam omniũ: nonnulli Cęli incolam: non nemo Societatis humanę conseruatricem: Ego commendasse satis videbor, si Orbis sanitatem, ac languentium rerum publicarum *Medicinam* eam esse ostendero. Quod, vt omnibus innotescat,

Mundus est Corpus.

PONATVR: Mundum hunc, &, qui in eo versantur omnes, tum magis particulatim, quamcumque Rempublicam, societatem, cœtum, contubernium, siue quouis alio nuncupetur vocabulo, hominum diuersorum congregatio, esse corpus quoddam. Nouum, inquies, hoc est. Imò, vetus. At, insolens saltem, & repudiandum, quippè procul à vero. Falleris. Vsitatum id olim apud Sapiẽtes, & tritum admodum: sed & tutum etiamnum. Non aio, *Mundum* esse *animal*, idq; *intelligens, & sapiens, rationabile, ac consultum.* Quamuis & hoc inter κύρια δόγματα, vt loquebantur, habuerint Socratici, ac Platonici: quos sequuta est Stoicorum schola. Imò, hominis instar, partes illi tribuisse quosdam inuenio. Plutarchus ita eas enunciat (continete risum, aut altius quid concipite) *Stellæ sunt oculi lucentes in facie vniuersi, & orbem suum peragunt. Sol vi præditus est Cordis. vt hoc sanguinem, & spiritum: sic diffundit ex se vegetantem calorem, & lucem. Terra, & Mari Mundus, vt Animal ventre, & vesica vtitur. Luna inter solẽ & terrã, vt inter cor ac ventrẽ, veluti iecur, aut aliud molle viscus est: & respirationes illinc excoctione aliqua & purgatione attenuãs diffũdit.*

NOTÆ.

Non tamen animal rationale.

NOTÆ.

Mundo partes corporis adsignata.

Plutarch. opusc. de fac. in orbe Lun.

EGO

Quale corpus sit Mundus. EGO Mundum solummodò Corpus aliquod esse adfirmabam. Quale? dicis. Varia est corporis differentia, quam Romanus Sapiens suggerit de Naturalibus agens. *Nunquid dubium est*, inquit alicubi *quin ex his corporibus, quæ videmus, tractamusq; quæ aut sentiuntur, aut sentiunt, quædam sint* Composita? *Illa constant, aut nexu, aut aceruatione vt puta, funis, frumentum, nauis. Rursus*, non Composita: *vt arbor, lapis*. Ergo concedas oportet, ex iis, quæ in vnum è multis coëunt, & vniuntur, corporis rationem esse. Alio loco, quædam. *Continua*, esse corpora dixit: vt hominem: quædam *Composita*, vt nauem, domum: omnia denique, quorum diuersæ partes iuncturâ in vnum sunt coactæ: quædam ex distantibus, quorum adhuc membra separata sunt; tanquam exercitus, populus, senatus: illi enim per quos ista corpora efficiuntur, iure, aut officio cohærent; naturâ diducti, & singuli sunt. Tale *Corpus* est *Mundus*.

Sen lib. 2. natur. ca. 2.

Epist. 102.

Ecclesia Corpus. ADDO, nihil magis vsitatum apud nostros scriptores esse, quam Ecclesiam corpus appellare. Quo loquendi genere delectatus videtur Paulus Apostolus, qui non semel eo vtitur. Ad Romanos scribens capite XII. *Sicut*, inquit, *in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum* Corpus *sumus in Christo singuli autem alter alterius membra*. Nimirum, multi ex variis gentibus in vnam Ecclesiam conuenimus: & ita in vnum quodammodo corpus, per eiusdem gratiam coalescimus. Quo fit, vt alii aliorum sint membra. Idem gentium Doctor in priore ad Corinthios, capite XII. *Sicut corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis, cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus Etenim in vno spiritu omnes nos*. Nempe Corpus Christi, quod est Ecclesia, ex pluribus membris constat, quæ vnius spiritus vi in vnum coaluerunt. Iterum ad Colossen. I. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Rursus ad Ephesios IV. *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe*. Ad Ephesios V. denique: *Christus caput est Ecclesiæ: ipse Saluator corporis eius*.

Rom. 12. 4.

1. Cor. 12 12.

Colos. 1. 18.

Eph. 4. 4.

Eph. 5. 23.

Collegia Corpora. SIC apud Iurisperitos quoque. *Collegia* nuncupantur *Corpora*. Quæ qualia sint, explicat Pomponius L. *Verum*. ff. *De vsucapionibus*. Corporum *tria genera sunt*. *Vnum, quod continetur vno spiritu: & Græcè* ἡνωμένον συμφυὲς *vocatur: vt homo, lignum, lapis. Alterum, quod ex contingentibus se; hoc est, ex pluribus inter se cohærentibus constat: quod* συνημμένον *vocatur: vt, ædificium, nauis, armarium*. Tertium, *quod ex distantibus capitibus constat: vt corpora plena non soluta, sed vni nomini subiecta: veluti, populus, legio, lex*. Sic etiam Plutarchus in Præceptis comitialibus, *Philosophi*, inquit, *aiunt* Corpora *quædam ex distractis constare, ceu classem, & exercitum: alia ex compactu, vt domum, & nauem: nonnulla esse vnita, & concreta, vt animalia quæque* Est itaque *Mundus* Corpus ex distantibus seu distractis constans.

Pomponius L. Verum.

Sanitas reipubl. & orbis. IAM verò, & illud statuendum est: vti corporis animalis; ita Reipublicæ, ac totius orbis quandam sanitatem esse. Hoc Sapientis pronunciato euincitur: qui *Multitudo*, ait, *Sapientum sanitas est orbis terrarum*, Sapientiæ VI. Circa quod non est negligendum, quod habet S. Augustinus lib. IV. de doctrina Christiana ca. 5. Non Eloquentium, sed Sapientium multitudinem dici sanitatem orbis terrarum. Quãuis nihil sit salubri suauitate, & suaui salubritate melius. Et quanto magis in Diuinis litteris sermonibusque appetitur suauitas, tanto facilius salubritas prosit. Præterea: *Salus vbi multa consilia*, ait idem

Sap. 6. 26.

Lib. 4 de Doct. Christ. c. 5.

Pro. 11. 14.

in Prouerbijs suis Rex Sapiens. Et Ecclesiasticus: *Synagoga superborum non erit sanitas* Quid autem sit sanitas, Medicorum iudicio, enucleatius à nobis est suo loco explicatum, dictumque: Sanitatem in corporibus, esse commoderationem calidi, ac frigidi; humidi, ac sicci: seu medium quoddam inter hæc pugnātia secundum naturam eius, cui hæc conueniunt. Ex quo illud facilè deducetur: Iustitiæ eam esse vim medicinalem, vt in qualibet Republica. & orbe terrarum vniuerso, non male adtecto sanitatis sit conseruatrix, & in minus benè valentibus procreatrix. Quamuis illam ipsam sanitatem Mundi rectè dixeris cum Cypriano, qui his titulis Iustitiam exornat: IVSTITIA, *pax est populorum: tutamen patriæ: immunitas plebis: munimentum gentium: cura languorum: gaudium hominum: temperies aeris: serenitas maris: terræ fæcunditas: solatium pauperum: hereditas filiorum.* In his autem consistit sanitas orbis terrarum. Qui pessimè haberet, nisi in omnibus suis partibus virtute Iustitiæ conseruaretur.

Eccl. 3. 30. *Lib. 2. Comm 1.* *Valles li. 4. med. ca. 2.*

In partibus Mundi Iustitiæ vestigium.

NOTÆ.

QVOD priscis illis Sapientibus, qui fabulis veritatem inuoluebant vsq; adeò erat persuasum, vt, quamuis fingerent Astræam, sic enim *Iustitiam* appellabant, terras deseruisse, atque in cœlum se recepisse; adfirmare tamen cogerentur aliquam eius vim per mundum inferiorē sparsam etiamnum superesse: alioquin fore, vt omnia in interitum vergerent. Percurre mecum prima quasi membra huius corporis, quæ elementa dicimus. Inter hæc nisi sit Iustitiæ quoddam vestigium, quo æqualitatem seruent, & commensurationem debitam, quæ sequetur confusio, imò totius exitium? Ex elementis, Ignis, quippe leuissimus, supremum locum occupat. Terra, quoniā corporum grauissimum in imo sedem habet. Inter hæc, tam sibi contraria, in medio hærent, quæ minus pugnant. Aër sociatus Igni ob leuitatem: Aqua nexa Terræ ob affinitatem grauitatis. Quamdiu inter has partes viget Iustitiæ præscriptum de æqualitate: vt Ignis alterius ditionem non appetat, nec inuadat, sibi adsignato regno contentus. Aër in vicini elementi locum violentus non irrumpat. Aqua terram contra ius fasque non opprimat: Terra alienam sedem sibi arrogare, & possessorem pellere non conetur, tam diu Vniuersi firma consistet sanitas. Sed finge Ignem in Aquæ, Aquam in Aëris, Aerem in Terræ locum irrumpere, proximum expellere, viciniam omnem turbare, terminos possessionum confundere, hac partium commoderatione turbata, languebunt illicò omnia, & ad certam tendet pernitiem pulcherrimum antè, ac sanitate firmissimum corpus.

Mixta conseruantur per Iustitiā.

Ex elementis, aut ipsorum qualitatibus, vt multi autumant, alia quædam composita progignuntur, quæ Mixta dicimus. Sed nihil vnquam sanum, beneque constitutū exsurget, nisi æqualitatis moderatrix Iustitia, pugnantia inter se conciliet, libraque cōmensurationis adhibita, pro rata portione, tantum cuiq;, quantum eius naturę incolumitas postulat, attribuerit.

Temporum diuersitas iustitia temperatur.

IAM tempestatum illam diuersitatem attende, qua annus distinguitur: Hiemem, Ver, Aestatem, Auctumnum. In his, si, quæ naturæ lege constituta est norma Iustitię cernatur, non orbis tantùm, sed singulorum hominum sanitati est consultum: si mutetur quidpiam, collabascunt vniuersa. Si tellus susceptis commodo tempore seminibus, brumali frigore constricta, & per interualla niue oppor-

opportunè conspersa, ac operta, intus ea foueat: aperiente autem se Vere, ipsa quoque viuifico tepore laxetur, maiali perfusa imbre: tum deinde æstiuo calore fruges, fructus que maturentur: ac tandem auctumni tempestiuitate mitescant: omnia in Mundo sublunari, tanquã in corpore sano accidunt: nulla in illo est intemperies qualitatum: nulla humorum perturbatio: nullus præter naturam status; sed contemperata perbellè omnia: tam procul à morbis, quàm procul ab eorum caussis.

Corporis humani sanitas à Iustitia.

PORRO, Corporis humani sanitatem, nisi Medicatrix adsit Iustitia, non posse consistere Medicorum princeps Hippocrates docuit libello de natura hominis, vbi hunc in modum scribit. *Corpus hominis habet in se sanguinem, & pituitam & bilẽ, duorum generum, flauam, ac nigram: ex ijs omnibus ipsius corporis natura est. ijs fit, vt, & doleat, & benè valeat. Benè igitur valet, cùm ea moderate inter se effecta sunt tũ temperatione, tum potestate, tum copiâ: maximeq; si permista sint. Dolet autem, cum eorum aliquod, aut plus, aut minus est, aut in corpore secretũ, neq; cum ceteris omnibus temperatum.* Ex quibus tanti Medici verbis liquet, in æqualitate, cuius effectrix est Iustitia, sitam esse bonam corporis constitutionem.

Dissidium inter partes corporis. 1. Corin. 12. 14.

IN eodem contemplare varias, quibus integratur, partes. Nam corpus humanũ non est vnũ membrum, vt notat Paulus, sed multa: id est, vnum quid ex pluribus necessariò compactum, & coagmentatum. Est enim corpus heterogeneum, & organicũ, vt cuiuslibet animalis. Quod si autem partes, siue internæ, ventriculus, iecur, lien, cor: siue externæ, pes, auris, oculus, manus, nares, ruptis naturæ legibus, quibus continentur, dissidio, ac veluti intestino bello excitato, tumultuari inciperent, vnumq; alteri, quod ex Iustitiæ quodã præscripto debetur, denegaret, aut alienã possessionem inuaderet; deperiret ilicò sanitatis index, color: extenuaretur macie facies: exsiccarentur ossa: contraheretur cutis: vitiaretur gustus: introrsum recederent oculi: morborum agmen hominem inuaderet, tandemque, interitus.

Menenij Agrippa oratio.

ELEGANTER hoc expressit, quamuis alio fine Menenius, Agrippa apud Titũ Liuium. Nam cum populus in sacrum montẽ secessisset, seditionis caussa: mons is est trans Anienem fluuium tribus ab vrbe passuum millibus: placuit plebẽ, per æqua, per iniqua reconciliãdum ciuitati esse. Missus itaq;, quem dixi, ciuis Romanus, tanquam Senatus Orator, & intromissus in castra, prisco illo atque horrido dicendi modo, nihil aliud, quam hoc narrasse fertur.

Liu lib. 2. Deca. 1. Anno v. c. 260. Coss. A. Virginio T. Vetusio.

» Tempore, quo in homine, non vt nũc, omnia consentiebant, sed singulis membris suum cuique consilium, suus cuique sermo erat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri: ventrem in medio quietũ, nihil aliud, quam datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent: nec os acciperet datum: nec dentes conficerent. Hac ira, dum ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra, totumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse: nec magis aliquam alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo viuimus, vigemusque maturum, confecto cibo, sanguinem. Comparando hinc, quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis, in Patres, flexisse mentes rebellium. Agi deinde de concordia ceptum, concessumque in conditiones. »

Valetudo ad. uersa reip.

MIHI paullò amplior placet comparatio. Vt in corpore membrorum dissidium, ac veluti domesticum, & intestinum bellum, vnde corporis pernities, ac interitus existit, imaginem referat violatæ in qualibet societate Iustitiæ, seditionisque: in qua vna pars alteri eam, quam debet ex Iustitiæ legibus, obseruantiam, officiorumque communionem neget. Ita vt Oculus corporis politici, aut Ecclesiastici, Princeps, aut gubernator quilibet, inferioribus membris prouidere recuset: Manus, sic voco Opifices, ori debitum tributum denegent: Os à stomacho dissideat: Pedes molem corporis sustinere nolint, aut alio transferre: denique, nullum muneri destinatisque à natura occupationibus satisfaciat. Quod si contingeret, quid aliud posset expectari, quam exitiales in Republica morbi, & certus tandem interitus?

Iustitia cur perpetua dicatur. Sap. 1. 15.

EST itaque, vt Iniustitia aduersæ valetudinis, sic Iustitia sanitatis perfectissimæ procreatrix: nisi malimus eam dicere *Sanitatem* ipsam, quæ in contemperatione consistit. An idcirco fortasse Iustitiã, titulò proprio, *perpetuam* appellat Sapiens? *Iustitia perpetua est*, inquit, *& immortalis*, Sapientiæ I. Quia perpetuitatem animæ, vt *Medicina* corpori, & melius, quam hæc immortalitatem donat: cùm mortis caussas omnes, illamq; præcedẽtes morbos auertit. Et sanè, si Iustitiam seruasset homo, nunquam in morbum vllum incidisset, immortalis etiam virtute redditus. At si in omnibus esset *Constans, & perpetua voluntas suum cuiq; ius tribuendi*; quo pacto Iustitiam definiunt Iurisperiti, nunquam vllius Reipublicæ deploraremus excidium.

Necessaria Medicina, Iustitia.

O! quam vtilis *Medicina*, ac necessaria Reipublicæ corpori est Iustitia, siue ad humorum malignorum purgationem, euacuationemque; siue ad meliorum conseruationem, productionemque! Qui improbos dignis afficiunt titulis, eos, Medico schemate, saniem, tabum, pus, pituitam, phlegma, mucum, excrementitiam materiam rectè cognominãt. Siquidem, membra prius sani corporis, paullatim suapte malitiã, corrupto succo salutari, non secus, ac si in phlegmata versi essent, faciunt, quod exitialiũ profluentia humorum, qui stomachum malè solent afficere. Ideò, nisi, vel purgante medicina, tanquam fœda colluuies, per posticam cloacam extremæ ignominiæ eijciantur: vel vomitu, quasi nauseantis stomachi, velut abundantes pituitæ supernè reiectentur, corpus totum paullatim ad extremam perniciem, interitumque perducunt. Excernit autem has sordes præsentaneum Iustitiæ remedium, igne, ferro, nouacula, furca, exilio, excõmunicatione, similibusq; sontium pœnis, quibus pestes istiusmodi è medio tolluntur.

NOTAE.

§. IVSTITIAE præcones.] *Tot sunt, quot Iuris interpretes; præter quos lege Commentatores in lib. V. Ethicorum Aristotelis. Inter quos laudem meretur è Iuris Consultis Petrus Gilkenius. Consule & Iustum Lipsium, in Exemplis politicis, ac Adamum Conzen lib. III. Polit. cap. VI.*

§. MVNDVS Corpus.] *Nempè Symbolicum, Mysticum, Politicum. Hinc plurimæ ducuntur similitudines ad rem medicam spectãtes.*

SICVT *humores in corpore, dum vnus alteri predominari tentat, corpus labefactatur, ac perit: sic in Mundo, dum vna ciuitas in republica, dum vna familia alteri imperare contendit, communis tranquillitas conturbatur.*

Iusti-

Iustinus lib. VIII. Græciæ ciuitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt. Quippe in mutuum exitium, sine modo ruentes, omnes perire, quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Siquidem Philippus rex Macedoniæ, veluti è speculâ, libertati omnium insidiatus, subire regiam seruitutem coëgit.

QVEMADMODVM *in corpore humano, sic in Republica tria sunt membra principalia. Franciscus Vallesius libro de sacrâ Philosophiâ, capite* LXXIV. Tria mihi esse videntur totius Reipublicæ membra principalia: vt & hominis. Ea sunt in Republicâ, *Agricultura, Res bellica, & Litteraria.* In homine *Iecur*: in quo residet facultas naturalis, ad quam spectat omnis nutritio: *Cor*, in quo facultas vitalis, ac irascibilis: *Cerebrum* denique, in quo mens, & tota cognitio. Vides, quæ, cui respondeat. *Agricultura* Naturali, quia alimenta suppeditat ciuitati. *Bellica ars* Irascibili, quia repellit, si quid inferatur violentiæ; aut impedimenti. *Litterarum studium* Facultati cognitiuæ, quia spectat ad Intelligentiam. Porrò, vt præter tria membra, quæ *Principalia* vocantur, sunt in homine alia multo minus principalia, externaque, vt manus, & crura: Ita in Republicâ præter dictas tres partes, sunt aliæ externæ, ac minus nobiles, vt *Mercatura, & Artes mechanicæ.* Ex dictis haud dubiè fit, vt primus honoris gradus debeatur Reipublicæ *Litterariæ*: secundus, *Bellicæ*: sintque duæ hæ viæ ad nobilitatem: post has verò, *Agriculturæ* debeatur honor antiquitatis, & naturæ. Ea enim prima fuit Mundi ars, & maximè naturalis. Quam hoc nomine commendat Ecclesiasticus dicens: *Non oderis laboriosa opera, & iustificationem creatam ab Altissimo.* Manet etiam artes mechanicas suus honor: maximum enim dedecus inertia. *Plura istiusmodi habet Petrus Andreas Canonherius volumine primo in Aphorismos Hippocratis, in nono.*

§. MVNDVS Animal] *Damascenus lib. de Heres.* Stoici Deum statuunt Animum huius Vniuersi: *Corpus* eius ipsum Vniuersum: Oculos verò, Solem, Lunam, Astra: *Legendus I. Lipsius, qui pluscula in hanc rem, quæ exscribere piget, lib.* II. *Stoicæ dissert.* X.

§ MVNDI sanitas, Iustitia.] *Tractauit hunc locum elegãter, ac doctè M. Antonius Muretus Volumine* I. *Oratione* VI. Antiqui Philosophi Elementa dupliciter considerabant: quatenus vnumquodque eorum totum quiddam, atque integrum est: &, quatenus ad compositionem, quasique coagmentationem ceterorum corporũ particulæ quædam illorum assiduè permiscentur, ac permutantur. Tota igitur Elementa, nisi sedes, ac regiones sibi à natura datas, atque attributas obtineãt: si irruere in alienas, & migrare conentur. Si Ignis proximè sibi suppositam, animalem, spirabilemq; naturam depascat, & absumat. Si Aqua non contenta ijs terminis, quos pegit Deus, terram operiat, & obruat; quis non intelligit peritura funditus omnia; & talem quandã confusionem, qualem Poëtæ ante orbẽ conditum fuisse fingunt, consequuturã? Quid, cum partes eorum copulari, ac coalescere ad alia corpora progignẽda, & constituenda oportet, nonne *Iustitia* quadam temperationis illius moderatrice opus est: vt tantum cuiusq; pro rata portione, quantum satis est, admisceatur?

IN illâ etiam quadripartita tempestatum varietate, qua distinctus est annus, idem obseruari posse dicebant. Quæ, cũ ita eunt, vt quædam ipsius naturæ, quasi

lege,sancitum est.Hoc est,cùm & tellus, conceptis seminibus, hiberno frigore adstringitur: & vernis modicis imbribus,ac tepore laxatur: cùm & fruges, fructusq; arborũ æstiuis caloribus propè percoquuntur: & eodem sub auctũnum, remittente se paullatim, ac frangente mitescunt; tum, & saluberrimus annus est, & maxima rerum ad victum necessariarum vbertate ac copia insignis. Cùm contra fit, tum & caritas existit annonæ, & varijs morborum generibus omne genus animalium tentari solet.

CORPORIS humani sanitas nonne *Iustitia* quadam stabilitur,ac continetur? Nam,cum in corpore quattuor sint,quę quattuor elementis proportione respõdeãt:igni,flaua bilis:aeri,sanguis: aquę, pituita:bilis atra, terræ: quam diu hæc, cum æqualitate quadam,inter se permista sunt,valemus,ac vigemus: cùm eorũ aliquod,aut potentius, aut infirmius,aut plus, aut minus iusto est; aut se à communione ceterorum segregauit, confli ctamur varijs morbis, tãdẽq; interimus: vt Medicorum princeps Hippocrates libello de natura hominis docuit.

SED ne ali quidem corpus vtiliter, ac salubriter sine aliqua imagine *Iustitiæ* potest. Nisi enim vis aliqua sit, quæ & siccum,& humidum alimentum, vbi iam coctum,atque confectum,& in succum, ac sanguinem conuersum est, æqualiter distribuat,ac dispertiat: atque id, quod cuique parti aptum, & accommodatum est,& quantum opus est tribuat: neque alias partes tumidas ac redundantes, alias exhaustas, & enectas patiatur, facilè intelligimus hæc tam admirabilis fabrica corporis nostri, quantam deformitatem habitura,&, quam citò ruitura sit.

AVGVSTVS *apud Dionem lib.*LIII. *Orat. in Senatu, cùm beneficia commemorasset, ac bona præsentis status*: Adeò, *inquit*,vt si iterum in fatis sit, Rempublicam nostrã affligi, & ÆGROTARE,optauerit aliquis hoc eam modo turbari, & affligi. *Pulchro colore, cuius similes colligit Iustus Lipsius ad Panegyricum Plinij in Traian. numero* LI.

IVSTITIAM Reipublicæ *Medicinam* appellat Apuleius *lib. de Philosophia. Iuris scientia vocatur Medicina Animæ, textu, iuncta glossa in verbo Nouis de Iure C. animarum periculis de Const. in 6. Vide Tiraquell. De Nobil. cap.*XXXI.*num.*316.

IVLIVS *Mazarinus Prælectione in Psalmum quinquagesimum.* Videtur *Iustitia* similis *Iaspidi*, quod vt hic,ita illa sanitatem efficiat. Hic in corporibus, illa in Republica. Verùm vt lapis iste non ciet sanguinem,nec æstum eius reprimit,nisi argento fuerit inclusus; sic frequenter non communicatur *Iustitia*,nisi muneribus fuerit stipata.

(.·.)

COMMEN-

COMMENTATIO VIII.

DE

Sacramentorum vi Medica.

In quâ ostenditur, non esse in mundo Officinam medicamentariam, in quâ pro omnibus morbis, ac morte sit efficax remedium. Ecclesiam esse Pharmacopolium ditissimum, ac optimè instructum. In ea esse Septem Sacramenta: quorũ quodlibet est alexipharmacum. Horum numerus, ac necessitas deducitur è re medica. Disputatur, An, & quo sensu dici possint Vasa gratiæ, Sanctitatis, Medicinarum?

Dominica XII. Post Pentecosten.

Samaritanus *appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.* Lucæ x.

Taberna Medicamẽtaria.

LVSTRABAM Mundũ hunc sublunarem, vt vocamus, partes eius omnes peruagando, illa mei parte nobiliore, quæ sui semper iuris, adeò libera, & vaga est, vt nec ab hoc quidem corporis carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo vtatur, & in infinitũ comes cęlestibus exeat. Eadem grassabar, mihi haud inusitata hactenus via, per tabernas vniuersi medicamẽtarias. Consilij aũt mei hoc erat, vt inuestigarem, num in aliqua pharmacopæi officina Archiatri alicuius arte paratum, prostaret commune quoddam & efficax contra omnia morborum genera, ipsamq; mortem, medicamentum. In quamcunq; tabernam pedem inferebã, varia ac dispaia offerebantur ab hominibus artis illius peritissimis: quorum infinitum esset, vel syllabum referre. Duo tamen erant vbique summa quasi genera: *Simplicia, & Composita.* sub his alia innumera: Extersoria: sanguinem sistentia: suppuratoria: soporifera: laxantia: mollientia: purgantia: sternutatoria: & sexcenta alia.

Genera Medicamentorum. Simplex. Compositũ.

SED illud ego identidem ingeminabam: num quod proferre possent, morbis omnibus profuturum: quod seruaret sanum, sanaret ægrotũ, ideoq; esset mortis antidotum? Fuit, qui laudaret *Theriacam*, eiusque multiplicem vim, ac virtutem extolleret. Aiebat, eius facultate medica, non solum præsentissima venena discuti, sed etiam dolores capitis, vertiginem, aurium grauitatem: Prodesse epilepticis, attonitis, asthmaticis, sanguinem reiectantibus, arcuato morbo correptis, ileosis, & cœliosis: occurrere eandem ventriculi imbecilli-

Theriaca.

becillitatibus, ac inflationibus; item, maioris intestini cruciatibus: comminuere calculos in renibus: vrinæ difficultati, ac vesicæ exulcerationibus mederi: excutere fœtum mortuum: denique, non inueniri in lue pestiferâ salutarius remedium.

Aquavita Bolus gemmeus. Bezuar. ALIVS quidam proferebat *Aquam Vitæ*, vt vocabat. Alter, bolum ex margaritis, & vnionibus. Nonnemo Lapidem *Bezuar* Indicum, theriaca, in medicandi genere non inferiorem. *Mithridaticum* nominabat postremus, notum etiam extra Pontum antidotum. Cùm sciscitarer, num omnibus morbis mederentur, quæ nominarant, & semper eâdem mortem arcerent? obstupescebant singuli, non ausi hiscere: illudque ingentibus inscriptum pyxidibus, ac narthetijs, digito vno ori imposito, altero extento demonstrabant, monebantque vt legeretur: *Mithridaticum.*

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Me tamen cupido, quæ primo incesserat non deserebat: infirmitatum omniũ auerruncatorium medicamentum, & immortalitatis pharmacum exquirendi ac inueniendi. Quod tandem, Deo immortali laus, & gloria, post longissimam inquisitionem, & defatigationem à me repertum.

Ecclesia Pharmacopolium. NAM dum hæreo, & excrucior, quidam aurem vellicans: quis ille alius, quã bonus Angelus? insusurrat Principis magni haud procul abesse regium & augustissimum Palatium, fabricam ingentẽ, templi instar fornicati, nouis Cœlis ac elementis, quasi contignationibus in sublime erecti. Accedo. in frontispicio vncialibus incisum litteris lego: ECCLESIA CATHOLICA. Ingredior ego, & comes meus: nemine morosius inquirente

Qui genus? vnde domo? quibus huc venistu ab oris?

multa occurrerunt miranda. Nam reuera, septem orbis miracula, Ægypti pyramides Domitij Neronis palatium, vrbis instar, mapalia videbantur, præ hac regia; synagoga vetus, hara. Transcursis leuiter alijs domus huius receptaculis, ad remediorum apothecam festinabam, vt viderem aduersus multiplices morbos, ipsamque mortem efficax medicamentum. Voto respondit euentus: prius me ibi esse, quàm eo iuisse, animaduerto. Ita nimirum volat anima, sideribus velocior, cogitationibus velocior, temporibus velocior: celerrimè illic est, vbi se esse vult: non vt è loco in locum delata; sed tanquam inibi existens. ita mihi euenit.

STABAM in Ecclesiæ Pharmacopolio: in quâ nulla herba, nullum semen, nulla gemma, nullum metallum, quod virtute salutari non sit præditum. Sed rapiebãt maximè Septem loculamenta, in quibus totidem erant solido ex auro capacissima vasa, variis ornata emblematis, & illusa gemmis; quæ sola vnum amplissimæ officinæ latus occupabant. Æstuabam inspiciendi cupidus, sollicitabam lateronem humanissimum, edoceret: num in his desiderata toties, ac frustra quæsita laterent remedia. Annuit ipse, & inscriptionibus prius perlectis: quidquid arcani in iis, aperuit. Fusius ab eo dicta, & explicata, contrahere est animus, vosque compendio mysteriorum facere participes. *Ecclesia Pharmacopolium.*

INSCRIPTIO omnibus communis erat, SACRAMENTVM. Cuique peculiaris, duplex. Vna in orificio: altera in vmbilico. Sequuntur ordine. BAPTISMVS: *remedium morbi hæreditarij.* CONFIRMATIO: *Vnguentum debilium confortatiuum.* *Sacramenta VII. Medicina.* *χρῖσμα.*

EVCHA-

EVCHARISTIA: *Pharmacum immortalitatis.* PAENITENTIA: *Medicamentum Curatiuum morborum lethalium.* EXTREMA VNCTIO: *Extersorium relictarum sordium.* ORDO: *Theriaca contra ferarum morsus.* MATRIMONIVM: *προφυλακτικὸν aduersus concupiscentiam.*

Theologorum consensus.

EST hæc; ne quid insolens adferre videar, nec probatis Doctorum sententijs conforme; Theologorum omnium conceptio: Sacramenta, morborum spiritualium Medicinas esse, seu præsentanea medicamenta. Nam dum agunt de Sacramentorum numero, licet ex Diuinis Scripturarum oraculis, sanctorumq; Patrum testificatione, demonstrent, septenarium eum esse: tamen; quoniam Scholasticorum est, ea quæ fidei fundamento nituntur, ostendere, rationi non repugnare: sed esse illi quàm maximè consentanea, idipsum adductis quibusdam ad rem appositis similitudinibus, alijsq; argumentis popularibus solent declarare: quæ in scholis congruentiæ vocantur. Vt imperitiam suam planè prodant homines contentiosi, dum vel contendunt, vel populo persuadere conantur, has haberi apud nos demonstrationes, hæc fundamenta, quibus Catholicum dogma à scholarum Doctoribus sanciatur.

Septenarius numerus Sacramentorum sumitur è re medica.

ITAQVE in congruentijs, quæ septenario Sacramentorum numero à grauissimis Theologis adferuntur, vel exsertè ponitur: omnia Sacramenta morborum remedia esse; vel, de aliquibus id non siletur. Prima est, quâ vtitur S. Thomas tertia parte, quæstione LXV. Art. I. eandemque habet libro IV. contra Gentiles. cap. 58. & commendat Concilium Florentinum. Sumitur autem ex collatione vitæ corporalis, & spiritualis, ac est huiusmodi. In vita corporea nonnulla requiruntur ad singulorum incolumitatem: alia, ad vniuersæ reipublicæ conseruationem. Priora sunt in duplici differentia. Nam quædam necessaria sunt ex intrinseca constitutione naturæ: quædam non item, sed ex accidenti: nimirum, quatenus remouent ægritudines, aut quid simile.

NOTAE.

E prioribus primum est, hominis ipsius productio, siue generatio: quâ incipit esse, ac viuere: & huic in vita spirituali respondet *Baptismus*, qui à Paulo Apostolo Epistola ad Titum cap. 3. vocatur *Lauacrum regenerationis.* Alterum est augmentum, vt perueniat ad conuenientē quantitatem, ac virtutem. Huic assimilatur *Confirmatio*: qua datur Spiritus Sanctus ad robur. *Sedete in ciuitate, quoadvsque induamini virtute ex alto,* inquiebat Dominus Lucæ vltimo. Tertium est nutritio, qua conseruatur in homine vita, ac virtus. Huius loco est *Eucharistia.* De qua Ioannis VI. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex accidenti autem; quoniam incidit homo in varias infirmitates, necessaria est MEDICINA, cuius vi morbi expellantur, & homo curetur. *Homo,* inquit Doctor Angelicus, *incurrit interdum & corporalem infirmitatem, & spiritualem: scilicet, peccatum: ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate.* Quæ quidem est duplex. Vna est sanatio, quæ sanitatem restituit. Huius vice in spirituali vita, est *Pœnitentia.* Alia est restitutio valetudinis per conuenientem diætam, & exercitium. Huic comparatur *Extrema vnctio*, quæ remouet peccatorum reliquias, & hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Certè, expulso morbo, necessarium est remedium aliquod, quo conualescat corpus, ac pristinas vires recuperet. Nonne per *Extremam-Vnctionem* instaurantur vires, & reliquiæ ægritudi-

nis prorsus curantur? Iam verò ad generis humani, & Reipublicæ cuiusque conseruationem necessarium est, parentes esse, qui propagent vitam corporalem hominum: quod fit *Matrimonio*: eodemque multiplicantur diuino cultui mancipandi. Debent etiam esse principes, ac magistratus: qui in hierarchia Ecclesiastica constituuntur per *Sacramentum Ordinis*.

ALTERA Congruentia; quæ est eiusdem Sancti Doctoris, exhibet Sacramenta omnia, tanquam Medicamenta, contra certas animi ægritudines, quas Theologi defectus vocant: imo contra mortem, quæ est vitæ spiritualis priuatio. Explico id clarius: & per inductionem. *Baptismus* est *Medicina* contra carentiam vitæ spiritualis. *Confirmatio* contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis inuenitur. *Eucharistia* contra pronitatem ad malũ: aut si ita loqui lubet, labilitatem ad peccandũ. *Pænitentia* contra actuale peccatum, post baptismum commissum. Quod est febris quædam interna depascens omnia. *Extrema vnctio* contra reliquias peccatorum: illas nimirum, quę non sunt sufficienter per pænitentiam sublatæ; aut ex negligentia, aut ignorantia relictæ sunt. *Ordo* contra dissolutionem multitudinis, est medicinalis constipatio. *Matrimonium* est institutum, vt remedium concupiscentiam personalem: & contra defectum multitudinis, quę per mortem accidit.

Morbi ac vulnera animæ. NEC minus ad rem nostram facit congruentia, quæ sumitur ex numero morborum animi, eiusque vulnerum, adiunctis virtutibus. Atque ita *Baptismus*, qui respondet Fidei, est præcipuè contra culpam Originalem, tanquam morbum hæreditarium. *Extrema vnctio* respondet Spei, contra papulas peccatorum venalium: aut peccatorum, veluti morborum præcedentium reliquias. *Eucharistia*. Charitati respondens contra malitiam, *Ordo*, Prudentiæ, contra ignorantiam. *Pænitentia*, Iustitiæ, contra actuale, mortale. *Matrimonium*, Temperantię contra Concupiscentiam. *Confirmatio*, Fortitudini, contra infirmitatem.

AEQVE accommodatè colligit Sacramentorum sufficientiam, vt loquitur S. Bonauentura, ex diuersarum Medicinarum consideratione hunc ferè in modum. *Medicina* quædam est *Præseruatiua*, quæ excusat à morbo, sed non liberat: talis est *Matrimonium*. Quædam est *Curatiua*, & illa liberat per gratiam. Variatur autem isthæc secundum triplicem gratiam. Siquidem vna est Baptismalis, & sic est *Baptismus*. Alia pœnitentialis: & sic est *Pænitentia*. Alia finalis: & sic est *Vnctio extrema*. Quædam verò est *Medicina confortatiua*. Duplici autem ex caussa indiget homo confortari: vel propter difficultatem pugnæ, ad quod confert *Confirmatio*: vel propter lassitudinem itineris: & sic est Viaticum, *Eucharistia*. *Ordo* tandem est ad ministrandum vtrumque, & ad confortandum vtroque modo. Aut hoc modo ratiocinare: Cõfortatio infirmi eiusque fulcimentum contingit tripliciter. Nimirum, aut confortatione virtutis; & sic est *Confirmatio*: aut subministratione cibi, & sic est *Eucharistia*: aut fulcimento alicuius subsidij, & sic est *Ordo*. *Medicina varia. In , . Dist. 2. dub. 1.*

ITERVM idem Doctor: *Baptismus* est ad vulnerum curationem. *Confirmatio* ad curationis habitæ conseruationem. *Eucharistia* ad curationis habitæ, & conseruatæ promotionem. Et, quia non omnes qui recipiunt, conseruant semper: ideo

est

est *Pœnitentia* ad reparationem: *Vnctio extrema*, ad ipsius cōsummationem. Deinde sunt duo alia Sacramenta; quorum alterum respicit perfectos, *Ordo*: alterum infirmos, *Matrimonium*. Nonne animaduertitis, quā proprium sit Sacramentis, esse morborum remedia, cum illorum numerus, vel à numero infirmitatum humanarum, vel curandi modo multiplici tam aptè deducatur?

An Sacramenta sint vasa. AT veniet fortasse in mentem alicui dubitare: An Sacramenta sint ipsa medicamina? an potius vasa quædam, seu pyxides, & narthecia, in quibus Medicamenta illa spiritualia contineantur? Hactenus quidem esse ipsa remedia diximus. Num altera sit admittenda dicendi formula, nondum pronunciauimus. Et tamen, ac si id constitutum esset apud Scholasticos, & quidem eo sensu, quem exagitandum susceperat, liberè profert

Caluini calumnia. Ioannes Caluinus. Cùm enim lib IV. Institutionum cap. XIV. §. XIV. scripsisset: *Magno consensu Sophistica schola tradiderunt: Sacramenta legis nouæ iustificare, & conferre gratiam: adiungit* §. XVII. *Interim illud tollitur figmentum, quo iustificationis caussa, virtusq; Spiritus sancti elementis, ceu vasculis, ac plaustris includitur.* Simile quid effutiit

M. Kemnitius. Martinus Kemnitius, qui in examine Concilii Tridētini, edito anno MDLXVI. *Illa, inquit, opinio, quod in ipsis Sacramentorum elementis gratia essentialiter contineatur,* SICVT MEDICINA, IN PYXIDE: *ita vt virtus Sacramentorum sit vel essentia, vel qualitas hærens in corporalibus Sacramentorum elementis, etiam inter Scholasticos scriptores fuit omnibus probata, vt Bonauenturæ, Richardo, & ceteris.*

Imponunt ruditas. EGO sanè annos non paucos audire solitus Doctores Scholasticos, eorumque versare libros, vbi id legerint, quod scribunt Caluinus, & Kemnitius, ignorare me fateor: Cum contrarium Scholasticorum Phœnix, Thomas Aquinas, definierit. Is enim in summa, tertia parte, quæstione LXXXII. Art. 3. quærens: *Vtrum Sacramenta noua legis contineant gratiam?* Licet dicat gratiam esse in Sacramentis: siue vt in signo: nam, Sacramentum est signum gratiæ: siue vt in caussa: Sacramentum est caussa instrumentalis gratiæ. Tamen ad primum argumentum apertè negat, gratiam esse in Sacramento, vt in vase, provt vas est locus quidam: ac proinde, nec vt Medicinam in pyxide. Quocirca caussas iustificationis in Sacramentis, vt in vasis Catholici non includunt: sed Sacramenta ipsa caussas iustificationis faciunt.

Qualitas operatiua physica Sacramentorum. AT enim, præter gratiam, quam Sacramenta efficiunt, est quædam virtus, quæ elementis ipsis inhæret: quam ego physicam esse opinor, licet id plurimi negent, per quam Sacramenta operantur: an illa autem, saltem in iis, vt in vasis continetur? Ne id quidem Scholastica dicendi accuratione concedendum est. Vt enim rectè S. Thomas, vas est locus mobilis, ex lib. IV. physicorum. Esse autem in loco, non conuenit accidenti, qualis est ista virtus. Quod si dicere placet, contineri, tanquam in pyxide, aut vase, quidquid inest alteri, & ab eâ continetur, senties quidem, vt multi; sed modum loquendi Doctoribus probatum non sequeris. Simpliciter, Sacramentum inuisibilem gratiā continere dicit Hugo, nec male. *Lib. de Sacr. cap. I.* At populariter, qui Sacramenta tanquam capacissima quædam vasa diceret, in quibus, quam plurima latent arcana plurimis incognita, repræhensionem Scholasticam non meretur.

Sacramenta vasa gratiæ. Non me sanè fugit vsurpatum apud nonnullos, olim fuisse hunc loquendi

modum, vt dicerent: Gratiam, quæ est *Medicina animæ*, in Sacramentis, tanquam vasis contineri. Verùm quod obseruat S. Thomas, tunc *vas* non accipitur, vt est locus, sed vt est instrumentum. Siquidem vsitata Sacræ-scripturæ phrasi pro omni instrumento *Vas* ponitur. Hoc pacto, sagittæ dicuntur *Vasa mortis* psalmo VII. quia sunt caussæ instrumentales mortis. *Vasa iniquitatis bellantia*. Genesis XLIX. Hoc est instrumenta bellica, seu arma iniquè vsurpata. Hoc schemate haud malè dixeris. Sacramenta esse vasa gratiæ; siue, vasa sanitatis spiritualis; quoniam sunt caussæ instrumentariæ vtriusque: si tamen inter illa est discrimen aliquod. Addatur istud: Quidquid alterum continet, haud ineptè *Vas* denominari posse: atque ita Sacramenta Vasis nomen non respuent: cum in ijs gratia ac sanitas, tanquam in caussa medicinali contineantur. Quomodo autem singula non solùm ad singulorum morborum curationem valeant, sed pro omnibus sint efficacia remedia, cum de ijs sigillatim agemus, demõstrabitur. Pertinent enim hæc ad particulam vnam illarum commentationum, quas Therapeuticas inscripsimus.

NOTA.

Psal. 7. 14.

ADMIRANTIS est illa Prophetæ Ieremiæ interrogatio: *Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi?* Haud aberrabis, si dicas cum præclaris interpretibus, Ecclesiam Catholicam esse Galaad: quia in monte posita est. Ciuitas, ac in ea est aceruus testimonij: siquidem hoc significat *Galaad*, veteris, ac noui Testamenti; Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum: montem testium vocat Paulus Apostolus. In hoc monte floret Christus, vera Terebinthus, de qua apud Ecclesiasticum ipse: *Ego quasi* Terebinthus *expandi ramos meos*: illa nimirum, sub qua Iacob Idola defodit, & obruit. Per Christum enim idololatria fuit sublata, ex cuius corpore terebinthina Resina pretiosissima defluxit, quando ab ea Sacramenta legis nouæ instituta sunt, & copiosa illis indita fuit gratia, quæ manare non cessat nobis ad salutem necessaria.

Ieremiæ 8. 22.

Hebræorum 12.
Eccl. 24.
Gen. 35.

Necessitas Sacramentorum.

IAM EXEO, quod omnia vniuersè Sacramenta medicam vim habent, tanquam optima remedia, multa acutè colligunt Theologi. illud inprimis. Postquã homo per peccati malignitatem, sanitate orbatus ad extrema ferè redactus fuit, debuisse Sacramenta institui, quibus deperditam suam vim recuperaret. Quæ est collectio S. Thom. tertia parte, quæst. LXI. Art. 1. vbi docens, necessitatem Sacramentorum inducendorum: *Ratio*, inquit, *sumenda est, ex statu hominis, qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus. Ibi autem debet* Medicinale remedium *adhiberi homini, vbi morbum patitur: & ideo conueniens fuit, vt Deus per quadam corporalia signa homini spiritualem* Medicinam *adhiberet. Nã si spiritualia nuda illi proponerentur, eius animus applicari non posset corporalibus deditus.*

Ante peccatum Sacramenta haud necessaria.

Ex eodem principio deducit, ante peccatum, Sacramenta non fuisse necessaria. Siquidem *Medicina* non est necessaria nisi ægroto, secundum illud Matthæi IX. *Non est opus sanis Medicus*: At Sacramenta sunt quædam spirituales Medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuerunt necessaria ante peccatum. Illud etiam opportunè inferamus. Vt optima remedia maximè perniciem adferunt; nisi aptè sumantur: ita Christi Sacramenta salutaria maximè rectè sumentibus, lethalia sunt accipientibus indignè:

indignè. Hoc nixus fundamento Greg. Nyssenus lib. de Baptismo: *Compositus*, inquit, *est homo, & non simplex: atque idcirco duplici, coniunctoq; similia medicamenta adhibita sunt: corpori quidem, quod apparet, aqua, quæ sub sensum cadit: animæ autem, quæ visum effugit, spiritus, qui non apparet: qui fide vocatur: qui ineffabiliter accedit.*

Hæc tandem est vniuersalis Ecclesiæ persuasio, quæ toties formulis loquendi vtitur, quibus Sacramenta sanitatis spiritualis remedia esse testatur. In sacrificio Missæ Dominica VII. & XIX. post Pentecosten, *Tua nos, Domine,* Medicinalis *operatio, & à nostris peruersitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ sunt recta perducat.* Dominica XX. *Cœlestem præbeant nobis hæc mysteria, quæsumus Domine,* Medicinam, *vt vitia nostri cordis expurgent.*

15. Iunij post commun. In festo SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ: *Repleti, Domine, benedictione solenni, quæsumus, vt per intercessionem Sanctorum Martyrum* Medicina Sacramenti, *& corporibus nostris prosit, & mentibus.*

30. Iunij post comm. In Commemoratione Sancti Pauli: *Perceptis,* Domine, *Sacramentis, Beatis Apostolis interuenientibus deprecamur, vt quæ pro illorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad* Medelam.

18. Octob. Secr. In Festo S. Lucæ, optimi corporis, & animarum Medici: *Donis cœlestibus da nobis, quæsumus, Domine liberâ tibi mente seruire, vt munera, quæ deferimus, interueniente B. Euangelista tuo Luca, &* MEDELAM *nobis operentur, & gloriam.*

NOTAE.

§. SACRAMENTVM Alexipharmacũ [Ἀλεξιφάρμακον.] *Peccatum, more pestilentis auræ, naturam vniuersam corruperat. Et hac, quasi desperatâ salute, vehementer, at frustra vociferabatur,* Hominem non habeo: *donec spes recuperandæ valetudinis desuper affulsit. Nempe, quando Deus per Sacramenta legis Mosaicæ adduxit illam ad cognitionem morbi, & eminus conspiciendi remedij virtutem dedit, ac promisit cœlestem* Medicum. *Proprium fuit officium illius legis, non sanare; sed adferre morbi notitiam: non mederi: sed festinare ad* Medicum: *non iustificare, sed ostendere gratiam. Et quia per illam ducebamur ad agnitionem Christi, ideo per Apostolum nominatur* Pædagogus *noster in Christo. Et quia non poterat conferre iustitiam,* Elementum infirmum. *Ad nos denique accessit, ille tantoperè exspectatus* Protomedicus *animarum; & re in collegio trium personarum diuinarum deliberatâ, apportauit* Medicamenta *nouorum Sacramentorum. Quæ nihil secundum naturam suam ad sanitatem & salutem conducerent, nisi ipse ea vulneribus hominum opportunè applicuisset: sicut massa ficorum imposita plagis Ezechiæ, non ex se virtutem habuit sanandi; sed ex manibus Isaiæ Prophetæ.* (margin: 1. Cor. 4. Gala. 4. Lib. 4. Reg. 20.)

§. SACRAMENTA vasa gratiæ.] *Vas, pro instrumento vsitatissimum. Ezechielis* IX. I. Vasa interfectionis. *Matth.* XII. 29. *Marci* III. 27. Vasa, *quæ fortior diripit, sunt inferiores Dæmones, quibus Beelzebub vtebatur, vt ministris, ac instrumentis, aut pro hominibus, quos adiutores habebat, aut sub captiuitate detinebat. Sic* Vasa Psalmi, *sunt instrumenta musica. Psalm.* LXX. 21. Vasa Cantici. *Amos* VI. 5. Vasa transmigrationis, *itinerantium supellex Ezechielis* XX. 3 Quidquid ex pelle confectum. *Leuitici* XIII. 48. *dicitur* vas pellis. LXX. *ta* Omne vas operarium pellis. *Pari modo ijdem, cum textu Hebræo sumunt pro omni ferramento* III. *Reg.* VI. 7. *& reddunt;* omne vas ferreum. *Pro monilibus, Isaiæ* LXI. 10. Vasa *dicuntur mures aurei,* 4. *Reg.* VI. 8. *Linteum vocatur* vas, *Actuum* X.

Ad Hebraos IX. 21. Vasa ministerij *appellatur omnia illa, quibus Sacerdotes in ministerio tabernaculi vtebantur: etiam vestes. Corpora quoque humana cũ dicuntur munda, qua mulieribus non sunt commista.* 1. Reg. XXI 5. *Quo pacto* 1. *ad Thessal. monet Apostolus, vt quisque* vas suum possideat in sanctificatione. *Denique, homines integri, siue prædestinati, qui vocantur aurea & argentea vasa, & vasa in honorem siue reprobi, qui* vasa lignea, *fictilia, & in contumeliam.* II. *Tim.* II. 20. *Aut iusti & iniusti.*

Adeo latè patet Hebraum, כלי Cheli, *& Græcum* σκεῦος. *Imò latinum,* Vas, *pro omni vtensili sumi, obseruat Budæus lib. de Asse. Actuũ* IX. 15. *vocatur Paulus,* Vas electionis, *id est,* Vas electum, probatum, coctum, vt vas in fornace. *S. Hieron. epist.* CIII. *& in cap.* VIII. *Oseæ sic appellatum putat, quia* vas legis, *& scripturarum armarium futurus. Simili de caussa, Gregorius* IX. *Antonium Patauinum* Arcam Testamenti *nominabat.*

S. Thomas Aquinas insumit totum suũ prologum in Pauli Epistolas circa declarationem vasis electionis. *Et examinat istud etiam ad idem propositum:* vas auri solidum ornatũ omni lapide pretioso. *Eccles.* 10. *Et ait, auro designari sapientiam: soliditate, caritatem: ornamento ex omni lapide precioso, virtutes ceteras. Denique disputat, quæ fuerit dicti* vasis *constitutio, repletio, vsus, fructus. Lege Bellarm. l. 1. de sacram. c. 4. li.* II *c. 26. Suarez, Vasquez, Valentia, Coninck, Tannerum, Hurtado, alios de Sacramentis disputantes.*

COMMENTATIO IX.

DE *Baptismi vi Medica,* Seu *Aquis medicatis Ecclesiæ.*

In quâ demonstratur, quattuor esse illarum fontes; Baptismum, Pœnitentiam, Gratiam, Verbum. In his cõsideratur, *Primò,* Effectus: qui est Viuificare, Sanare, Illuminare, Pulchritudinem conferre. *Secundò:* Vsus, qui habetur, Potione, Lotione, Insessione, *Tertiò:* Quantitas. *Quartò:* Præparatio ad earum vsum. *Quintò:* Tempus, quo vtendum. *Sextò:* Personæ, quibus sunt salutares. *Septimò:* Quid post vsum faciendum. *Octauò:* Qualitas, & color.

Dominica I. Post Pentecosten, seu Trinitatis.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matt. XXVIII. 19.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Piscatores descenderant, & lauabant retia. Lucæ v. 2. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Psalmo L. 9.

Si qua

SI, quâ accuratione piscatores in hodierno Euangelio, in stagno Genezareth lauabant retia; quâ industriâ fullones in mundãdis pannis occupãtur; quâ sedulitate mulierculæ faciem, manusque colluunt: si quam studiosam, exquisitam que nitirandę cutis solicitudinem, atque operam passim illi, quibus de cultu externo prima est cura, adhibent: denique, si qua diligentia, *Medici*, ægris suis, aqua, siue acidula ad prostratum stomachum releuandum; siue fontana dulci ad refocillandum, siue balneari ad extergendum, siue thermali ad perpurgandum subuenire solent: Eadem (humanum dico propter infirmitatem vestram) in detergendis animæ sordibus, haud paulò magis abominandis, vterentur ij, quibus de spiritu curando seria deberet esse cogitatio, sponderem equidem, neque Iordanis molliter defluendis vndis, neque reside Genezarethici stagni aqua munditiem maiorem retibus, neque borith, fullonum herba, apparentem magis candorem vestimentis; neque nitro, cerussave elegantiorem fæminis, neque medicato vllo fonte constantiorem ægris sanitatem, quam animis ipsorum, cum summo splendore optimam valetudinem accessurum. Quod secus euenire dolemus, & pudendæ quorundam negligentiæ est adscribendum, cum tanta sit aquarum salubrium copia. De quibus nunquam commodius, quàm hodierno die agemus, quo Christum in nauicula, Petrum in stagno, discipulos piscantes, rete in aquis sumus contemplati. Itaque, cum omnia, ad rem medicam spectantia, in Ecclesia reperiri demonstremus, aquarum medicinalium non est omittenda consideratio: nam illarum virtutè multorum salus constat. Nescimus, inquis, quas tu aquas, quam puritatem, quem splendorem commendes. Scietis, spondeo, si os, oculos, aures, non vagis curiosæ mentis imaginibus ludi, ac in diuersa rapi sinatis: sed officij memores, affectus pij attentione animum ad ea, quæ dicentur, accommodetis. Quocirca accommodato ad rem præsentem exordio hunc in modum commentemur.

AQVAS, aut sapor, aut, quę in ijs accidunt mira, aut vtilitas insignes reddit. *Quædam enim oculos*, inquit naturalium scriptor, Seneca, *quædam neruos iuuant: quædam inueterata, & desperata à Medicis vitia percurant. Quædam medentur vlceribus; quædam interiora fouent potu: & pulmonis, ac viscerum querelas leuant. Quædam supprimunt sanguinem. Tam varius singulis vsus, quam gustus est:* Quocirca magno in pretio, vsuque frequenti apud Medicos corporum est *Aqua*: siue, quæ de cœlo ruit, & *Pluuia* dicitur: siue, quæ ex terræ gremio spontè erumpit, & *Viua* nuncupatur: eaque, vel *fontana*, quæ plerumque dulcis, & in eruptione est frigida: vel *balnearis*, quæ calida plurimum, aut telluris genio, aut fornaculis humana industria constitutis: cuius in corporis lotione, ac fomento magna est commoditas, ac fructus: vel *thermalis*, quæ, vt est quorundam opinio, spontè calet, & sæpè potabilis est, sudandi vsibus opportuna: vel *medicata* frigida, quæ in sanorum etiam potum cedit, & ægris est salubris. Quod quartum genus non ignorabilis æui nostri *Medicus* à superioribus diuellit.

Aquarum vtilitas & differẽtia in re medica. Sen. li 3. nat. cap. 1.

Aquarum diuersitas.

VT autem, singulari prouidentia Dei, quatenus naturæ est parens, & mundum

Prouidentia Dei in aquis salubribus. mundum hunc inferiorem gubernat, in omnibus penè regionibus aquæ medicatæ prosiliunt: vt naturale sit omnibus, ac obuium, ad præseruandos sanos, curandos ægros remedium. Ita, eiusdem paterna curâ, quatenus ordinis transnaturalis est conditor, factum animaduertere licet, vt non minus sit ab aqua medicata, corporeis illis longè præstantiore, ad animarum sanitatem procurandam subsidium in Ecclesia.

In Ecclesia, vt Paradiso. QVAM quidem dum attentus considero, terrestris illius Paradisi, adeò ab omnibus celebrati, species quædam augusta mentis oculis obuersari mihi videtur: tum, ob alias permultas illius amœnissimi horti proprietates, quæ integram commentationem desiderant: tum, quod rei præsentis est; quia fons ille, quattuor maximorum amnium genitor, oculos, animumque rapit, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum: & inde diuidebatur in quattuor capita: *Primo* nomen fuit Phison: *Secundo*, Gehon: *Tertio*, Tigris: *Quarto*, Euphrates. Quid tibi Christus crucifixus videtur in vmbilico Ecclesiæ? mihi *Fons* videtur in paradiso, irrigans vniuersam terram. *Fons signatus*, cuius

NOTÆ.

Turbabit vitreas nemo profanus aquas.

Vena vitæ. Fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem.

Zachar. 13.

Plaga, sitis, morbi, pro hinc exeste, scaturit

Plena saporatis vena salutis *aquis.*

Fons hortorum, Puteus aquarum viuentium.

Cant. 4.

Secla perennantes puteo quis sufficit vndas?

Ductus inexhausto tullius oceano.

Diuisus in quattuor capita, tanquam noua sanitatum maria, parum enim esset, dicere, flumina.

Primo, nomen est BAPTISMVS, verè Phison, ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι, à parcendo, seu seruando: aut à פוש, *Phos* quod est, crescere, vel multiplicari: seruat Baptismus, vt Arca, perituros: est crescens, crescere faciens, & multiplicans, sacramentum regenerationis. *Baptismus Phil. allegor. Baptismus Phison.* *Secundò*, POENITENTIA, *Gehon*: quasi venter sordibus lutoq; plenus, quæ ab hominibus ablata proijcit in profundum maris. *Pœnitentia Gehon.* *Tertio*, VERBVM DEI, Tigris à velocitate: cum volet viuificum Verbum, ignis instar, omnia penetrans: est etiam ignitum Dei eloquium. *Verbũ Dei Tigris.* *Quarto*, GRATIA, Euphrates, dictus, vt Ambrosius adnotauit, ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν, à lętificando, quod circumiacentem agrum, restagnationibus suis adeo lætum fæcundumque reddat, vt sequente anno sponte restibilis fiat seges, impressis tantum vestigio seminibus. Gaudij, fœcunditatisque origo est Gratia, qua, quæ plena fuit, ostendit toti mundo, quam fœcunditatem adferat. *Plin. lib. 18. cap. 15.* Verè, verè, *paruus* Fons *creuit in flumen maximum, & in aquas plurimas redundauit*: quæ medicatarum omnium, siue balnearium, siue thermalium, siue fontanarum, virtutem ad sanitatem cõferendam ac conseruandam continent, ac infinitis partibus superant. *Esther 11.* Nihil ad illas in orbe nostro celebres acidulæ, Carolinæ, Piperinæ, Spadanæ, Sualbacenses, Kissingenses. nihil per mundum sparsæ thermæ omnes, & balnea. Ad harum itaque considerationem philiatros omnes & hydrosophos inuito: ac plus aliquid in ijs, quàm in omnibus alijs, quæ è terrâ prosiliunt, eos reperturos spondeo.

Primus effectus vitam dare. Ac imprimis contemplari iuuat salutarium istarum aquarum effectus admirandos. Quorum PRIMVS est, quod vitam tribuant, virtute nulli ex aquis medi-

medicatis, quæ à Medicis nostris celebrantur, concessa. Quocirca *Aqua viua*, aut *vitales*, vel *vita* dici possunt. Et *Baptismus* quidem, ac *Pœnitentia*, eam ob caussam Sacramenta dicuntur mortuorum, quod penitus extinctis primam vitam largiantur: cum reliqua sint viuentium. Gratiæ autem tam proprium est vitam dare, vt illa præsente, anima mori nequeat, aut manere mortua. Verbum verò diuinum & ipsum vita est, & viuificat vniuersa. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius virtus eorum.* *Psal. 32. 6.*

CVM Christus Dominus Samaritanam erudiret, illaque miraretur, à se peti aquam ab homine Iudæo, respondit Dominus: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi.* AQVAM VIVAM, id est, viuificantem: seu, vitam in se continentem. Quo loco licet per *Aquam viuam* intelligant aliqui Spiritum sanctum. Quod colligunt ex cap. VII. Ioannis, vbi Christus ita loquitur: *Qui credit in me: sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent Aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Alij idipsum accipiant de gratia Spiritus-sancti, quæ est semper viua, nunquam pigra: nullibi stagnans: vbique mobilis: omnia purgans, ac lauans. Nam vt rectè Theophylactus: Gratia *Spiritus efficit, vt anima semper ad bonum moueatur; nouos semper disponens gradus, quibus ascendat.* Nonnulli doctrinam Euangelicam, siue verbum diuinum interpretentur: Quia *viuus est sermo Dei*, vt ad Hebræos cap. IV. Paulus Apostolus pronuntiat. Nonnemo quoque Christum ipsum designari putat: Alij tamen Baptismi aquam arbitrantur denotatam. Nam & viua est, & illam qui bibit, non sitit iterum: quia, qui semel est baptizatus, iterum baptizari non potest.

Ioa. 4. 10.

Ammon. Theodoretus in ps. 1. Hebræ. 4. 12. Marius Victorin. lib. 1 contra Arium.

Vt exponit Ambrosius, siue Maximus, homilia de eleemosynâ, Augustinus sermone XCII. de Tempore, Prosper lib. 1. de promissionibus capite XXXIX.

IDEM ostendit finis principalis, tum Baptismi, tum Pænitentiæ, tum Gratiæ, tum Verbi diuini. Baptismus est viuificatio per modum regenerationis. Atque idcirco definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Quæ finitio sumitur partim ex Ioannis III. partim ex Paulo ad Ephesios V. & sensus est: Baptismum esse signum externum viuificans hominem per aquæ aspersionem, vel ablutionem. Sic Christus quasi modo genitos infantes, vt Petrus loquitur, è sacro latice nos educit. Gratia viuificat, peccati mortem perimendo. *Cùm essemus mortui propter delicta, conuiuificauit nos per gratiam suam.* Christus iustificat Pœnitentia, demortuam animam resuscitando. Sed nihil horum fit sine verbo Dei viuificatorio.

Baptismus viuificat. *Catechis. in Rom.* *1. Petri 2.* *Colos. 2.*

DE his Aquis, sed Baptismi potissimùm, accipio illud Ezechielis ca. XLVII. *Et conuertit me ad portam domus: & ecce Aquæ egrediebantur subter limen domus ad orientem.* Existimant Medici fontanam illam aquā esse optimam, quæ orientem spectat, ab alto per arenam, terram liberam, vel petram fluens. Qualis haud dubiè est baptismatis, è viuâ Petrâ Christo, eiusque altissimo amoris penetrali protuberans. Sequitur in Propheta, *Sanabuntur aquæ*, attactu purissimæ carnis ac viuificæ Saluatoris in Iordane, dum ipse à Ioanne fuit baptizatus: *& omnis animâ viuens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet.*

Aqua orientalis Baptismus. *Ezech. ca 47. 1.* *Godefr. Steeckius l. 2. med. c. 21* *Ver. 8.*

INGENIOSA est illa Tertulliani obseruatio libro de Baptismo: Primas in corporeo mundo aquas produxisse animantes viuas: primas in mundo spirituali viuas edere animas. *Ordinato*, inquit,

Aqua traductrix Viuentium

per elementa mundo, cum incola deo, animalium primis aquis praeceptum est, animas proferre: primus liquor, quod viueret, edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquae animare nouerunt. Nos pisciculi, [illegible] *in aqua nascimur: nec aliter, quam in aqua permanendo, salui sumus.* Hoc miantur nisi illi, qui oculis fidei orbati sunt, illudque vsurpant Naamani: *Numquid non meliores sunt* [illegible] *Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in ijs, & munder?* Sed mundi aquę, *lauacra sunt, Baptismata esse non possunt*, inquit Ambrosius: *caro non in ijs lauatur, non culpa diluitur. Quemadmodum impossibile omnino erat*, scribit Chrysostomus, *per mare rubrum transire, nisi miraculo via fuisset facta: sic à priore vita ad caelum conscendere sine* MEDICATIONE BAPTISMI *non possumus*. Maxima itaq; necessitas est harum aquarum, nec vis minor, quam frustra in nitrosis, aluminosis, atramentosis, sulphureis, bituminosis, aereis, ferreis, huius mundi quaeras.

4. Reg. 5. 12.

Ambros. lib. 2. de sacram. cap.

Homil. 4. in Matth.

AQVAS multas mortem adferre legi. Nam, & in Beroso, Taurorum colle tres fontes sine remedio, sine dolore, mortiferos prodit Plinius. Et, in Arcadia fontē esse, cuius haustus interimat: in Bœotia puteū pestilentem, cuius liquor mors fit haurientibus, author est Solinus, ex M. Varrone. Apud Gelopes Thraciae fontē reperiri, cuius aqua pellucida inopinatò interimat, Aristoteles scribit. Lycū fontem, in Leontinis, tertio die occidere Plinius asserit. In Sepusio Poloniae pestilentem aquam, & halitum, auramq; spirare, cuius non modò gustu, sed & flatu animalia quaeuis intereant, Cromerus narrat. Quae vitam homini dederit aquam medicatam, nullibi, praeterquam in Ecclesia, reperies.

Aquae mortiferae.

Plinius l. 2. ca. 103.

Cap. 12.

Arist. de Admir. c. 116.

Lib. 31. c. 2.

Mar. Cromer lib. 1. [illegible]

Hic mundo moritur diuino fonte renascens
Fitq; nouus vitā, qui sepelitur Aquā.

ALTER Aquarum istarum effectus est SANARE morborū genus omne. Quod [illegible] significatum est in Piscina probatica, quae erat Ierosolymis; apud quam Christus paralyticum, qui triginta octo annos habebat in infirmitate, sanauit. In eam enim quicumq; prior descendisset, sanus fiebat, à quacumq; detineretur infirmitate: nullo morborum discrimine, nullo ęgrotantiū: secùs, quam in medicatis aquis, quę corporis infirmitati prosūt, solet accidere. Quosdā sanāt salsę, quibus dulces obsunt: alijs nitrosę, quarū magna est acrimonia, conducunt: nonnullorum sulphureae sunt optimum remedium; pro aquarum diuersitate, ac virtute varia.

Secundus effectus sanare.

Ioan. 5.

QVAEDAM enim sunt tenues, quaedam pingues: quaedam alunt: quaedam sine vlla ope bibentis transeunt: quaedam faecunditatem adferunt. Quaedam frigidis; quaedam calidis: quaedam leuibus; quaedam grauibus medentur: nullae omnibus, sicut nullae cunctarum sunt virtutes. Salsae in potu calefaciunt, desiccant, adstringunt. Nitrosae, quibus maior acrimonia, obstructa aperiunt: valdè detergent: humores crassos incidunt: digerūt: lotione scabiem curant. Aluminosae sanguinis sputum cohibent: fotu podagricorum defluxum inhibent: stillicidio caput siccant, & confirmant: defluxus tollunt. Atramentosae, & quae vitriosum quid adiunctum habent, si vel tantum extrinsecus adhibeantur, scabiei, leprae, fistulis occurrunt, suntque salutares: sed phthisicis infestae: pulmonem exedunt: pectus exasperant: aliaque adferunt incommoda. Sulphureae calidae, ac siccae à frigiditate dolores, & conuulsiones mitigant: pectus emolliūt: subueniunt asthmaticis: caput interim grauant. Bituminosae calefaciunt: siccant: coagulatū sanguinē dissoluunt: dolores sedant: fomen-

Aquarum varia virtus.

Sen. lib. 3. nat. ca. 2.

N 2

ro emolliunt: membra rigentia laxant: enernata perfuso humore roborant. Æreę desiccant: constringunt: tenuis humoris in oculos defluxus absumunt: articulos defluxui obnoxios confirmant. Ferreæ insignem penetrandi dissecandiq; crassum humorem in liene obtinent: ideoq; lienibus obstructis, tumidis, scirrhosis, renibusq; calculosis commendantur.

Typus Baptismi. Piscina probatica. VERVM nullæ sunt, quæ omniū facultatibus sunt prædita. Hæc est medicatarum in Ecclesiâ aquarū prærogatiua, quę contrarios, maximeque inter se distantes morbos expellunt. Vna est *Probatica Piscina*, in cuius vndas, qui se immergebat, sanus fiebat *à quacumq; detinebatur infirmitate*, Piscina Baptismi erat figura. Cōparationem habet D. Chrysost. homilia xxxv. *Quemadmodum aqua Piscinæ illius natura non sanabat per se, sed duntaxat cū ab Angelo moueretur: ita & in nobis non simplex aqua operatur sed cum spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.* Aliam figurę commendationem habet S. Ambrosius l. 1. de Spiritu sancto c. 7. *Quid in hac typo angelus, nisi descensionem Spiritus sancti significabat qua nostris futura temporibus, aquas sacerdotalibus inuocata precibus consecraret?* Eleganter, vt solet, & ad rem nostrā commodatè Tertullianus libello de Baptismo: *Piscinam Bethsaidam Angelus interueniens commouebat: obseruabant, qui valetudinem querebantur. Nā si quis praeuenerat descendere illuc, queri post lauacrū desinebat. Figura ista* Medicinæ *corporalis spiritualem* Medicinam *canebat: ea forma qua semper carnalia in figura spiritualium antecedunt Hic mos Dei est: eligit infirma, vt cōfundat fortia: infirmum mundi elementum, vt languorem omnium fortissimum sanet.*

Typus Pœnitentiæ. NEC minus Pœnitentię Symbolum esse potest, quam Baptismi, Piscina. Hanc dum Angelus Domini, Sacerdos mouet, quicumque in eam descendit, sanus fit à quacumq; infirmitate, post baptismi animationē, contracta. Sed neutra animat, vel sanat sine VERBO, vel ablutionis, vel absolutionis. *Verbi.* Clarè Augustinus tractatu LXXX. in Ioannē: *Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat: nisi faciente Verbo? non quia dicitur sed quia creditur. Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, fit Sacramentum.* Mundatio nequaquam fluxu, infirmoq; tribueretur elemento, nisi sanctificaretur verbo. Verbo, vt mundare possit, conseruatur baptismus. Verbum autem, tanquam signum, sequitur GRATIA sanans. *Gratia.* Hinc vita in homine, ac perfectissima sanitas animæ.

Sanitas corporea per Baptismum. QVAM Deus corporea sanitate concessa, nonnunquā stabilire est visus voluisse. Pulchrū est exēplū, quod accuratè narrat Socrates in historia l. VII. ca. 4. *Socrat. l. 7. hist. c. 4.* Iudæus, qui à multis annis paralysi confictatus in lecto decubuerat, cùm omnia curationū, ac medendi genera, omnesq; Iudaicas preces, ac vota expertus, nihil inueniret remedij, tandem ad Baptismū Christianorū confugit, per certo habēs, Christi, tanquam veri *Medici* adiumento se ad integrā valetudinem restitutū fore. Quæ res Attico Episcopo quamprimū significata fuit. Ille igitur Iudæum fidei articulis instituens, & spem in Christum illi annuncians, iubet ad baptisterium deportari in lecto. Iudæus paralysi oppressus, simul ac baptismum sincera fide recepit, & ex lauacro baptismatis fuit elatus, confestim à morbo liber pristinam sanitatem recepit. Quæ caussa fuit, vt gētilium non pauci ad baptismum suscipiendum conuenirent. *Tripar. l. 2. cap. 4. Theoph. An. 450. Niceph. lib. 14. cap. 12.* Idem habent Cassidorus in historia tripartita, Theophanes apud Anastasium bibliothecarium, Zonaras in Theodosio Iuniore, ac Nicephorus in historia lib. XIV.

Constantinum morbo per Baptismum liberatum.

CONSTANTINVS Magnus, nonne aquis Baptismi à lepræ morbo fuit liberatus? Auctor, Damasus. Zonaras enarrata Constantini lepra, acceius curandæ studio, præscripto ex infantium sanguine balneo: relato quoque somnio, quo Petrum ac Paulum sibi adsistere viderat: A somno, ait, expergefactus Imperator Siluestrum reuerenter accersiri iubet, à quo arcanis nostræ religionis instruitur, baptizatus & à sanctissimo balneo sanus ac integer ascendit.

Clodoueus lib. 2. hist. 31.

CLODOVEVS Rex Francorū, vt scribit Gregorius Turonensis, popoſcit se à Remigio Pontifice baptizari: procedit, velut nouus Constantinus ad lauacrum, deleturus lepræ veteris morbum, sordentesque maculas gestorum antiquorum recenti latice deleturus.

Theodosius. Soc. li. 1. c. 6. Cass. histo. tripar. lib. 9. cap. 6. Nic. l. 12. c. 6.

THEODOSIVS etiam senior, ab Acolio Thessalonicensium Catholico Episcopo baptizatus, æger esse desijt: vt habet Socrates, Cassiodorus, Nicephorus.

Votum Baptismi sanat.

AT cuiusnam aquæ virtus est tanta, vt si æger ad illam non possit deportari, vel adrepere, desiderio tamen illius, ac potiundo voto sanetur? Audistisne vnquam, aquarū Kissingensium, quas medicatas in Franconia habemus, aliquem earum desiderio hic Herbipoli consistentem, sanatum? Dicite, quæso, si vnquā vel tenuis eius rei rumor, in vulgus, cui tamen omnia sunt credibilia, emanarit. Tacetis. Scio quamobrē: tam enim hoc est inauditum, & insolens, vt cachinnū mereretur, cui vel in mentem veniret. quid si lingua proferret? puerili ferula esset cohibendus. Et tamen nonne obstupescas? hoc sæpe vsu venit in aquis, quarum vim medicam prædico.

Baptismus luminis.

SI quis hæreditario generis humani morbo obnoxius, si quis vulgari, ac Patrio, si quis aliis, ac plurimis ad extrema redactus, dum non est facultas baptismi suscipiendi, voto huius sanitatem recuperat. Siquidē substituitur *Baptismus flaminis*, Baptismo fluminis: votum aquæ salutaris, absolutioni reali: Quod corpori quoque sanitatem aliquando attulisse non ignoramus. Narrat Sophronius in Prato spirituali, Andream Abbatem in Palæstinæ eremo vidisse Hebræum lethali oppressum morbo; quo inualescente, cum haud dubiè siti, inediâ, ac febri periturus fuisset; spiritu Dei tactum, rogasse comites, vt illum baptizarent: eos annuisse: sed cum eo loci arenæ plurimum, aquæ nihil reperiretur, Abbatem Theodorum baptizasse hominem glareâ & dum pronuntiaret formulam: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus-sancti*, caput arenæ immersisse: moribundum autem illicò sanatum, & mirâ cum alacritate, ac florido aspectu, quod reliquū erat itineris, peregisse, comites post se relinquentem; donec veniret Ascalonem, vbi consilio habito, in Iordanis vndis verum baptismum accepit. *In Prato cap. 176.*

Timore confugientes ad Baptismum eo sanantur in Pra. c. 198.

IMO tanta huius aquæ vis est, vt etiam timore ad illam cōfugientibus profuerit. Scribit idē, qui anteà, Sophronius, in persona S. Athanasij. *Audiui aliquando à senioribus nostris, quod B. Petro Episcopo, & Martyri, cùm facta esset mortalitas, & plerique ad baptismum, mortis timore, confugerent, apparuerit Angelus humana specie dicēs: Quādiu huc mittis marsupia ista signata quidē, inania autē prorsus, nihil habentia, ac vacua?* Nimirum signum baptismi habebant, sine vera fide: ideoq; ad spiritualem incolumitatem minimè, ad corporalem aliquam peruenerant.

Baptismus oculos curat.

SANANT igitur morbos omnes hæ Aquæ. Sed, *quadā aqua*, inquit Seneca, *oculos potissimū iuuant*. Quāuis omnes de quibus agimus, omniū partiū morbos perfectè

sanant,

sanant, singulare tamen est in Baptismo, quod ophthalmiā tollat, cæcosq;, licet à natiuitate, illuminet. Idcirco Greci Baptismū vocant, φώτισμα, *Illuminationem.* Quæ denominatio est apud S. Dionysiū Areopagitā opusculo de Eccles. hierarchia cap. 2. Nazianzenus autē, oratione, quam scripsit in S. Baptismum, ob eandem caussam, illud Sacramentum appellat *splendorem animarum: carnis abiectionem: spiritus affectationem: vitæ in melius mutationem: figmenti instaurationem: lucis communicationem: tenebrarum depulsionem: peccati diluuium: mentis perfectionem: lauacrū sordium:* videlicet, ęgritudinum omnium.

Baptismus illuminatio.

ACVTE Augustinus & eleganter, mysticè tamen loquens, ait, cœcum illum natum, de quo historiam texit Ioannes Euangelista, cùm à Christo est inunctus luto, factum quodāmodo catechumenum: cùm illuminatus, fuisse baptizatū. Est Baptismus Sacramentum fidei: Fides autem est lumen Dei, aut actuale in adultis, aut habituale, tum in ijsdem, tū in infantibus. Sic Illuminationem videtur Baptismum nominare Paulus Apostolus, difficillimo illo loco, epistolæ ad Hebræos scriptæ, cap. VI. Vbi ita legimus: *Impossibile est*, (intellige, valdè difficile: aut etiam absolutè, Impossibile, loquendo, de liberali remissione totius culpę, ac pœnæ, iuxta modum, quo conceditur in Baptismo: & impossibilitate, post legem à Deo latam, inducta) *eos, qui semel* ILLVMINATI *gustauerunt etiam donum cælestę, & prolapsi sunt,* rursus *renouari* ad pœnitentiam. Ob eandem caussam *Illuminari* dicuntur per anticipationem, qui ad Baptismum disponuntur, ac, vt loqui solemus, catechizantur. Sic intellige istud Pauli ad Hebræos X *Rememoramini pristinos dies, in quibus* ILLVMINATI *magnum certamen sustinuistis passionum.* Hinc D. Cyrillus catecheses suas de Baptismo nūcupat *Catecheses illuminatorum.* Peccatum autem omne, ac signatè, originale, sunt ipsissimæ tenebræ, quæ in Baptismo dissipantur. *Fuistis*, ait Paulus, *aliquando tenebræ*: id est, tot obsiti peccatis, ita inuoluti criminum caligine, vt in abstracto videremini planè tenebræ ipsæ: *nunc autem lux in Domino*: abluti, sanctificati.

Qui baptizatur, illuminatur. August. Tract. 44. in Ioann.

NOTAB.

Heb. 6. 4. 5.

S. Tho. epist. ad Heb. & 3. p. q. 84. art. 10. Instin. lib. 2. q. 96 ad gent.

PECVLIARIS & illa est his Aquis virtus, quod, cum sanitate, eximiam quandam pulchritudinem, &, supra, quā satis explicari possit, elegantiam addant: adeò, vt si oculis corporeis cerni possit his aquis mundata anima, admirabilem ipsa sui amorem excitaret. Quod quidem, addita corporis venustate, Deus aliquando ostendere voluit. Exemplo sit Cassanes Tartarorum Regis filius, qui deformis, quàm qui maximè, Baptismo elegantissimus effectus est. Vti narrat B. Antoninus III. parte, titulo XX. cap. VIII. & IX. nec non Ambrosius Senensis Ordinis Prędicatorum *Si animam ornare vis,* inquit Chrysostomus *sicut corpus solet, appone adiutorium, quod ex precibus est: & peccatorum confessionem, & continuis lacrymis faciem tuam lauare non cesses. Nam sicut faciem corporis tui cotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens fœda appareat: sic & animæ curam habe, cotidie lacrymis eam abluēs calidis. Hac enim aqua maculæ deponūtur.*

Aqua sacra ornant.

Marty. 10. Mar. Homil. 22. in Gen.

AQVARVM corporeaum aliquæ exterius solùm prosunt, internè nihil efficiunt. Aquarum sacrarum de quibus nos agimus, potestas admiranda est in ablutione quarumuis sordium, ac curatione quarumlibet infirmitatum, siue internarum, siue externarum. Laborant multi impetigine; quæ exterius in corpore est infectio, & asperitas summæ cutis, cum non leui pruritu: interius in anima, vel

Aqua sacra exterius & interius iuuant.

appetitu altero, est titillatio illa, quæ à sensualitate ducit originem, & interna omnia depascitur. Aliquos infestat fera scabies, quæ in carne est cutis asperities cum furfureis squamulis: in spiritu autē, est vanitatis adfectus, & inconstantiæ. Sunt multi fœdis infecti maculis ex lasciuia, auaritiæ sordibus, ebrietate, alio peccatorum luto, vel corrupto sanguine. Lepra, papulæ, vari, superbiæ, impudentiæ, iracundiæ plurimos dehonestant. Quod pro his omnibus efficacissimum remedium? Aquæ medicatæ, quas Ecclesiæ balnea continent, Baptismus, Verbum, Pœnitentia, Gratia: quarum aspersione, vel immissione, vel ablutione, quidquid noxium, tollitur.

Ad has anhelat Dauid. AD has ideircò Aquas anhelabat Dauid Rex, dum petebat sibi deleri peccatum, conscientiam lauari, mundari mētem, dealbari animam. Audi ex intimo adfectu supplicantem. *Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Asperges me Domine hysopo & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.* (*Psalm. 50.*) Agnosco, ait Princeps, & humillimus, & conscientiæ suæ scrutator solertissimus, me turpissimè animo commaculatum: sordes mentis deturpatæ fœdissimas non ignoro. Legales thermas si adeam, corpus abluent, sed ad intima nō penetrabunt. *Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarū, ita desiderat anima mea ad te* DEVS. Ad fontē illum purissimum anhelo, in quo Aqua Spiritus mixta est Filij Dei sanguine. Hac ablutus munditiem perfectam consequar: ij saq; niue fiam candidior: sine vlla spiritualis lepræ macula in conspectum cœlitum me dabo: absq; contagio morticinij, cadauerisque comparebo, liber ero post eiusmodi aspersionem à reatu percussionis Diaboli: & post ablutionem, designatam tot in lege præscriptis baptismatib. vestimentorum, vasorum, locorum, totius corporis ab omnium peccatorum sordibus mundatus. Certè his tot ablutionibus à Dauide designari potissimū Aquam baptismalem Catholicorum est sensus. Qui hoc etiam notant: Dauidem ob precium sanguinis Christi, quod Baptismus continet, aliaque Sacramenta Ecclesiæ gratiam consecutum, & veniā, ac sanctificationem fuisse adeptum. Atque hanc veritatem fuisse Regi manifestatam, ijs verbis illum significasse: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Præclari omnes medicatarum aquarum effectus, qui varijs in eodem psalmo formulis explicantur: quibus innectuntur verba *Delendi, Lauandi, Mundandi, Dealbandi.*

Delere peccata maculam. DELE, inquit Rex magnus, *iniquitatē meam.* Si originalia attendas, dicere posses, *extingue, induc, absterge, euerte, perde, destrue.* O Aquas criminum deletrices! Delendæ sunt nobis illæ maculæ, quæ tot commissis peccatis susceptæ, nullo delebiles lixiuio, nullis amnibus inducendæ animæ partes omnes defœdarunt. Nullum est ad hunc effectum in mundo balneum. Ad Aquas Ecclesiæ medicatas est recurrendum. Illæ perfectissimè delent, quod aliæ, ne attingunt quidem. Delendi verbum emphaticum, quibusdam innuit incisum, velut in ære chirographum mortis, adiunctâ causâ, quæ sunt peccata: siue peccatum scriptum *stylo ferreo, & vngue adamantino*; de quo Ieremiæ XVII. (*Ierem. 17. a*) Mihi denotat stigma animæ inustū vngue Cacodæmonis. Sunt enim peccatores omnes stigmatici. Hanc notam, hos lethales apices vnius delere potest mortis, ac peccati detriumphator, in cuius insignibus legitur: *Ego sum, qui deleo iniquita-* (*Isai. 43. 25.*)

quita-

quitates propter me, & peccatorum suorum nō recordabor, Isaiæ XLIII.

Delet, non radit. DELET omninò, non radit tantùm, quod est in superficie. Quidquid inuenit, quamuis altissimè impressum stigma, aufert. Delet mercator de rationū suarū libro, quando vel remisit quippiam gratis, vel debiti solutionem recepit. Scriptum erat contra nos *chirographum decreti*, vt loquitur Paulus, epistola ad Colossenses secunda: & scriptum in frontibus nostris: sed illud deletum esse pronuntiat idem Apostolus: haud dubiè, Aqua medicatâ Gratiæ, ex sanguine Christi deriuatæ. Delet scriptor errores & maculas obliterando, & obducendo. Quàm multæ in pectore nostro hærebant maculæ, characteribus à manu diuinâ impressis, inuidiâ maligni superfusæ. Quam multi errores in tabulâ intellectus à Spiritu nequam inserti passim occurrebant. Deleuit omnes manus scribæ velociter scribentis Aquâ medicatâ Baptismi. Delet Pictor ex imagine, quæ minus probantur. Pulcherrimam Diuinitatis imaginē in anima pinxerat diuinus artifex: Sed multa de suo adiunxerat infernalis corruptor: deleuit ille, quidquid est vitij, aquis Pœnitentiæ. Delet iudex rei, quam absoluit caussam, sententiamque iam scriptam. Scripta erat contra nos damnationis sententia stylo Iustitiæ: Bonitas, & Benignitas Saluatoris interuenit, & absolutione impetratâ induxit, quæ scripta fuerant, Aqua Gratiæ. Delet nubem Sol, aut ventus: delet lutum is, qui calcat, & subigit. Perfectius delet culpam Sol Iustitiæ. *Deleui*, inquit ipse, *vt nubem, iniquitates tuas, &, quasi nebulam, peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te*. Id Messiæ est proprium: de quo Daniel: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem Sanctam tuam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*.

Coloss. 2. 14. — Isaia 44. 22. — Dan. 9. 24.

DVM peccamus, scribere videtur Deus, vt ex Iobo discimus, *amaritudines* contra nos. Illę autem non delentur, nisi medicatis istis *Aquis Verbi diuini, Pœnitentiæ* ac *Gratiæ*, interueniente merito Passionis Christi, in qua fluxit copiosè & aqua & sanguis ad thermas Ecclesię adimplendas. Audistis haud dubiè exemplum dignum memoratu, quod scribit Cæsarius de Parisiensi studioso, cuius peccata scripta, cum illa ore fateri, prę lacrymis, ac singultibus nequiret, non potuisse etiam legi ab Abbate S. Victoris: quod omninò deleta essent diuinitus. Vulgatissimū est quoq; chirographum Theophili sanguine scriptum sed eadem singulari Dei gratia, sine literarum notis redditum.

Deus scribit amaritudines. Iob 13. 26. — Li. 2. c. XX.

VERVM non sat videtur fortasse alicui malitiam peccati deletam, obliteratum æternę damnationis reatum, remissam pœnam perpetuam desiderabit ablui residentes sordes, condonari temporales pœnas, reddi animam planè mundam. Hoc quoque faciunt Aquę medicatę Ecclesię, quarum est LAVARE. Vt rectè Dauid pœnitens, postquam precatus fuit: *Dele iniquitatem meam*, obsecrare potuerit: *Amplius laua me ab iniquitate mea*. Iisdem cōuenit MVNDARE. Quocirca ordine subdit: *& à peccato meo munda me*. Non est illicò immaculata tabula, quamuis deleti in ea sint fœdi characteres. Ablatis etiam maculis, non idcircò nitor restituitur: alia igitur lotione, & mundatione est opus. Quàm non præstiterunt piacula, lustrationes, lauacra, baptismata mundi, ac legis etiam veteris: quæ sordes animæ non detergebant, sed erant ad *carnis emundationem* duntaxat, vt Paulus disputat, Hebræorum IX. Habituræ erant vim mundandi, ornādi,

Lauare. — Mundare. — Heb. 9.

que animam Aquæ medicatæ Ecclesiæ. Quas præuidisse Dauidem putat S. Ambrosius. *Ambr. l. 2. apol. Dan. cap. 8.*

PVLCHRA est similitudo Vrbani Papæ, qua rem hanc illustrat. Sicut super deletas litteras, quædam ab ipsis litteris remanet turpitudo, per quam adhuc perpendi possint delatarum vestigia, & significatio litterarum, nisi ipsæ litteræ, ac litura penitus eradantur. Haud secus, deleta in anima iniquitas, relinquit deformitatem, per quam à Deo, qui est inspector cordium, ac conscius secretorum: nec non ab illo, qui est improbus hominum accusator, potest adhuc perpendi, quanta fuerit iniquitas, nisi post deletionē amplius abluatur aquis: Aquas Ecclesiæ Piscina subministrat. Nobis curandum est, vt post deletam peccati maculā, amplius lauemur, quod fit, dum in gratia crescimus, ac virtutum incrementa comparamus. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, monet Ioannes Apostolus. *Apocal. 22. 2.*

PORRO, noua virtus est Aquarum istarum, quod DEALBENT. *Quibusdam fluuijs vis inest mira*, inquit Seneca. Alij enim sunt, qui poti inficiunt greges ouium: intraque breue tempus, quæ fuère nigræ, albam ferunt lanam: quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bæotia amnes duo efficiunt, quorum alteri ab effectu, Melas nomen est. Vterq; ex eodem loco exeunt, diuersa facturi. Auctores nouos habeo, esse in Cappadocia Aquā, qua epota, equis nec vlli alteri animali, color mutatur, & spargitur albo cutis. Verùm hæ similesque aquæ bestiarum fortasse lanam mutabant, non pellem hominum. Quod si horum cutem dealbabant etiam, certè, animam non attingebant. Solæ aquæ medicatæ in Ecclesia *corpus tangunt, cor abluunt*. Aliorum fontium aquæ detergunt sordes duntaxat, substantiæque nonnihil absumunt, elegantiam internam externamque non conferunt. Baptismus, Pœnitentia, Verbum Dei, Gratia candorem secum adferunt, vel priorem augent, merito Agni, in cuius sanguine *dealbantur stolæ* animarum. Ater color non recipit tincturam, industria humana. Gratia diuina facit, vt pellem suam mutet Æthiops, fiantque *Nazarei, candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo.*

Dealbant. Sen. lib. 3. nat. cap. 25. Plinius lib. 2. cap. 103. Arist. lib. 3. de hist. animal.

Apoc. 7. 14.

Thren. 4. 7.

HANC mundandi, & dealbandi virtutem, quæ est in aquis medicatis Ecclesiæ, explicat nouo dicendi genere Isaias cap. 1. his verbis. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Sensus est: si peccata Christi sanguine rubuerunt, vt innunt Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Basilius; vel iuxta expositionem magis receptam: quamuis peccata difficillimè eluantur, vt istiusmodi colores solent: tamen aquarum medicatarum attactu eluētur facillimè. Certè loquendi illo modo indicatur, peccata grauissima, & maximè tetra, ac inolita elui, ac penitus deleri, permundarique animam. Rubro autem colori peccata nostra conferuntur, inquit Basilius, quod sint ......, *elephantiases*, siue *lepra animarum*. Et Diuus Ambrosius. *Si fuerint peccata vestra, sicut Phœnicium*, vt niuem, dealbabo: id est, si cruenta, si tetra, mundabo, & super niuem dealbabo: hoc est, anima summam munditiem, & albedinem cum puritate coniunctam adquiret. Nihil in corporibus niue candidius. Tale fuit Christi vestimentum in transfiguratione, cui similes erimus illi conformati.

Peccata, vt coccinum. Isa. 1. 18.

Tert. lib. 4. in Marc. cap. 10. Cypr lib. 3. cap. v t. August. lib. 1.. in Faust. cap 24. Basil in as.. et maio. inter. 10.

Basil in Isa.

Matt. 17. 2.

SVPER *niuem* dealbant Aquæ Christianæ: quoniam, vt obseruat Innocentius *Super niuē*

tius

tius Papa, candor niuis non intenditur, nec remittitur. Candor per gratiam inductus non remittitur: nam peccato mortali totus interit: nec remittitur, per veniale: potest tamen semper: dū in vita mortali sumus intendi, & augescere: vel, vt D. Ambrosius exponit: quia nix quā uis sit candida, citò sorde aliqua nigrescit, atque corrumpitur. Quod etiam contingit gratiæ. Meritò de hac pulchritudine, Aquis medicatis inducta, ait idem Sanctus, mirari filias Ierusalem, quærendo: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Canticorum VIII. Et illud obseruarunt viri præclari, comparatione ex niue, & lanâ; quæ intus sunt albæ, & extra, excludi dealbationem in modum parietis, & sepulchri: id est, hypocrisin, & ceremonialem solùm iustitiam, item, extrinsecam illam, ac per modum imputationis, vt perperam loquuntur sectarij, qui denominationem à Iustitia Christi comminiscuntur.

Lib. 4. de sacr. cap. 2. Ambr. l. cit. in psal 118. ser. 14.

Cant. 8. 5.

Act. 23. 3. Matt 23. 26

Baptismus super niuem dealbat.

CETERVM, tum Baptismi, tum Pœnitentiæ, & ab vtroque productæ Gratiæ, ac tandem diuini Verbi virtute, effici hanc perfectissimam dealbationem mundationemque nimis, quàm certum est. De Baptismo enim imprimis versum illum psalmi quinquagesimi Expositores sacri intelligunt. Quem cum Sauinianus Tricassinus Martyr legeret, & sensum eius percipere summoperè peroptaret, atque ea propter in cinere, & cilicio iacens, Deum precaretur, malle se mori asserens, quàm illius sententiam non percipere, ab Angelo responsum accepit: si baptizaretur, niue candidiorem euasurum, & quod quærebat intellecturum. Posteà, cùm baptizatus esset, audiuit denuò: *inuenisti, quod quæsiuisti hactenus.* Ita refert Petrus Natalius. Huc facit etiam exemplum filij Cassani Tartarorū Regis, de quo superiùs facta est mētio. Nimirum, qui aquis siue Baptismi, siue Pœnitentiæ abluuntur, ex piceo in lacteum colorem, vt rectè Hieronymus, id est, in candorem vitalem, sanum, succulentum, quamuis anteà fuerint Æthiopes, mutantur.

Aquilinus lib. 7 ep. 134

Hoc autem neque herbis vllis, neq; aquis medicatis alterius generis fieri posse Ieremias iam olim edixit. *Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua, dicit Dominus Deus.* Solebant nitro in sui nitidatione vti mulierculæ, vt auctor est S. Athanasius *a*, & Isidorus *b*. Vndè nitrum in mūdo muliebri ponit Aristophanes, & Iulius Pollux. Eo abradi tubera, tollique pustulas & næuos colligimus ex alijs. Herbam autem *borith* recentiores vertunt saponem, aut herbam saponariam. S. Hieronymus, herbam fullonum. Negat itaque Propheta, vllis herbis, quantumuis purgatiuis animæ sordes mundari: ac si dicat; Tametsi summam lotionis curam, & studiosam, exquisitamque mundandi solicitudinem, atque operam adhibueris, nō mundaberis, nisi balneo aquarum medicatarum fueris vsus. *Nitrum nostrum*, inquit Hieronymus, *& herba fullonum* Pœnitentia *est Ecclesiasticus etiam sermo, qui increpat, & arguit, & corripit delinquentes mordaciorū nitri habet similitudinem.* Et Theodoretus: *Hac prophetica sententia docemur: Quæ, secundum legem sunt asperiora, non procurare liberationem à peccatis, sed sinceram* Pœnitentiam, *& auersionem à nequitia*: addo, sacrum Baptismi laticem, Gratiam, ac Verbum Dei. Quo pacto interpretari licebit verba illa Iobi: *Si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint, velut mundissimæ manus meæ*, humano videlicet

Nitrum. Herba borith.

Ierem. 11. 22

a l. de Virginit.

b l 16 etymol. cap 2.

Aristo. in Thesmoph. Pol. lib 7. onom c. 21. Ouid. l. de medicam. faci. Drogi. init. de Pass D.

S. Hieron. Malach. 3.

Iob. 9. 30.

P

licet iudicio; *tamen sordibus intinges me: & abominabuntur me vestimenta mea. Neque enim viro, qui similis mei est respondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri.*

Gentilium de ablutione corporea persuasio.

SCIO existimasse gentilium quosdam, ablutione corporis, ablui sordes animi, vt Macrobius alicubi scribit: & Cicero primo de legibus: Vbi & castimoniam aspersione præstari asserit. Sed fallebantur. Alijs ad id aquis opus erat. Frustrà Æneas, cùm se violatum nosset, & multa cæde pollutum, aiebat:

Virg. lib. 2. Aeneid.

Tu genitor cape sacra manu, patriosq; penates
Me bello à tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Verè superstitionis suæ hominibus cecinit Ouidius:

Lib. 2. fast.

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Solis aquis Christianis illa virtus inhæret.

Vsus aquarum medicatarum.

VERVM, hanc virtutem non exerunt, nisi vsurpentur. Siquidem effectus, quos enumerauimus, non nisi per vsum conferuntur. Aquarum autem medicatarum vsus est varius. Nam vel bibitur aqua, vel parti affectæ applicatur: idque, vel leuiter lotione, vel diuturna mora, & insessione, vt fieri consueuit in balneis. Tribus omninò modis ad corpus eius, qui baptismo mundandus est, Sacramenti aqua peruenire potest, *Immersione, Aspersione, Effusione.* Quilibet sufficit ad perfectæ sanitatis consecutionem: nec alio hic opus potu. Verbum Diuinum, & aure ebibi, & animo absorberi, & hauriri mente rectè dicitur. Vtinam plurimi, sicut aquam, non iniquitatem, sed gratiam biberent decumanis poculis, non ad decem vncias, sed millenas libras. Pœnitentiæ tanquam balneo, insidendum est. Debet enim esse quotidiana: &, habitu saltem, per totam vitam, continuata. *Quotidie tundendo pectus,* vt scribit Augustinus, in oratione Dominica dicimus: *Et dimitte nobis debita nostra; quia pœnitentia bonorum, & humilium, pœna quotidiana est. Sicut faciem corporis tui quotidiè abluis,* inquit Chrysostomus, *ne qua fortè macula faciei inhærens sola appareat: sic & animæ curam habe, quotidie lacrymis eam abluens calidis. Hac enim aqua maculæ deponuntur.* Idem alibi: *Tametsi quotidie pecces, quotidie pœnitentiam age.* Aurea sunt illa Aurelij Augustini: *Altera pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est.* Primò, *quia vitam æternam, incorruptibilem, immortalemq; nullus desiderat, nisi eum vitæ huius temporalis, corruptibilis, mortalisq; pœniteat.* Deinde, *quamuis quisquam se glorietur, sic habere corpus edomitum, vt mundo crucifixus ab omni opere malo in seruitutem redacta membra castiget: intelligat sibi omnia hac præstita esse, non à se existere. Non solum ergò, propter ipsam mutabilitatem, & ignorantiam, & propter diei malitiam: sed etiam propter puluerem mundi huius, quotidianam debemus agere pœnitentiam.*

S. Thom. 3. p. q. 66. ar. 7.

Epist. 108. ad Seleucian.

Hom. 21. in Gen.

Hom. 3. de Pœnit.

Hom. vlt. ex quinquag.

Quantitas aquæ sumenda.

AD vsum spectat *Quantitas* aquarum medicatarum. De qua præscribunt Medici accuratè. Nam tam parum sumere posses, vt nihil ad sanitatem conduceret: tam multum, vt obesset quàm plurimum. Norunt, qui biberunt acidulas, mandatum sibi fuisse à Doctore, vt viginti, aut pluribus diebus, quotidie vnam dosim decem vnciarum, manè; totidem, circa Vespertinas horas, sumerent:

rent: indè singulis diebus augendo quantitatem, quattuor vncijs, donec ad maximam mensuram, quàm corporis, ac ægritudinis ratio exigit, quæ plurimum est vnciarum triginta, sit ventum. Si semel tantummodo sumatur, in maxima licèt quantitate; si sæpius in modica, nullum: certè, non perfectum habet effectum. At verò Aquæ nostræ spiritum viuificantes, mundantes, ornantesque, tantæ sunt præstantiæ, vt modicissimum quid, semel etiam sumptum, perfectissimè sanitatem inducat, &, si culpa nostra non interueniat, conseruet. Nimirum, singulæ particulæ eiusdem sunt virtutis, cuius omnes: paruæ haud minorem ad sanitatis procurationem vim habent, quam maximæ.

Quantitas gratiæ ac Pœnitentiæ.

Res mira, vera tamen, &, quæ dubitationem non admittat: Minimum quod sic Gratiæ: tantillum, v. c. quanta est millecupla pars vnius guttulæ, si animam attingat, sordibus, ac vlceribus inquinatissimam; coopertam lepra peccati, quam densa nix solet cadere, dum hyeme ningit; turpitudine omni fœdam, supra quam dici potest, aut cogitari: virtute illius minimi abcedent vlcera, delebuntur maculæ, recedet deformitas, lauabitur, mundabitur, dealbabitur: puritate cum cœlitibus certare poterit. Tanti est, non dolia, non libras, non vncias, ex hisce acidulis, sed vel guttulam hausisse. Eandem esse vim in Verbi Diuini, vel apice, aut iota, nemo potest ambigere. Dicitur, & fiunt, eius virtute, omnia.

Quantitas Verbi Diuini.

Quantitas Pœnitentiæ.

Per Pœnitentiæ aquam, an idem contingat, hærebit fortasse dubius non nemo, si audierit, tantum debere esse dolorem, tam magnam contritionem, & Pœnitentiam, vt vel excedat crimina, vel certè æquet: vt S. Ambrosius definit, Virginem lapsam instituens. *Quam magna deliquimus, tam granditer deflendum*, inquit Cyprianus. *Alto vulneri alta conuenit* Medicina. Verum enimuerò, qui in Theologiæ contemplationibus non fuerit omninò rudis, mecum sentiet: Neque in tempore, seu duratione moram: neque in intentione, gradum vllum certum requiri ad veram contritionem: ideoque, nec ad perfectam pœnitentiam. Quamobrem, si sit dolor de peccatis propter Devm summè bonum offensum: & voluntas pluris æstimet detestationem criminis, quàm cuiuscumque mortalis boni consequutionem, aut alterius mali euitationem, (Quod est, *dolorem esse appretiatiuè summum*, etiamsi minimus sit, si conatum voluntatis spectes) & licet in infinitum decrescat, modò maneat essentialiter contritio: id est, medicata sacri fontis aqua, integram valetudinem restituet.

S. Ambr. ad Vir. lap. c. 8.

Cyp. serm. ad lap.

Quantitas aquæ baptismalis.

De Baptismi aquis, quæ ablutione salutem conferunt, maior aliqua est dubitandi ratio: An in eo gutta vnica vim medicam habeat, plenumque conferat effectum. De quo ambigit magnus æui nostri Theologus. Quia gutta aquæ non est aqua, si minutissima sit, per modum abluentis. Cuius contrarium opinantur esse verius, alij Theologiæ Magistri: quibus cum sentire licet: dummodo aquæ stilla sit sensibilis, vt accidit in consecratione panis, & vini, sub qualibet sensibili quantitate. Auctorem producere possum non ignobilem Hispanum, qui scribit, hodieque in Germania, dum baptismus celebratur, guttam duntaxat affundi. At vtrum Iber ille oculatus eius alicubi testis fuerit:

Valent. T. 4. disp. 4. q. 1. p. 2.

Vide Henriquez lib. 2. de L... cap. 21 Fran ... ria ... de Sacram. § 15.

ritunam totam Germaniam non peruagatum sum certus; an tantum auditione acceperit, & dubiæ narrationi certam fidem facere voluerit, ignoro. Planè mihi persuadeo vniuersè in Germania plus aliquid semper adhiberi. Nec guttam solummodò effundere Germanos parochos, qui Herbipolensem Episcopen curant, & theologicas nostras de Baptismo scholas annis superioribus exceperunt, sine ambiguitate pronuncio. Tamen quando Apostoli baptizarunt, siue *quinque millia* virorum, Actuum IV. siue *tria millia*, Actuum II. si illud aspersione est factum, vt D. Aquinati placet, verisimile admodum est, ad multos non nisi guttulam medicati laticis pertingere potuisse.

P. 3. q. 66 Art. 5. ad. 4

CERTE, cum Machtildis, vt illam aliqui appellant, ex Comite Hennenbergio vno partu protulisset CCCLXIV. proles, quas Otho Antistes Vltraiectinus sacro fonte omnes expiauit, à multis non nisi stillicidium fuisse exceptum est verosimile. Et vos ego, si omnes simul aspergillo, aquam dispartiendo, baptizarem, plures non nisi guttularum portiuncula aliqua aspergerem. Et tamen ratus foret baptismus, modò cetera non deficerent. Illud etiam satis tritum est apud Theologos: si obstetrix baptizet moribundum infantulum signo crucis impresso in fronte, digito aqua madefacto: modò frons pueri verè in ea parte, quæ attacta est, aqua irrigata fuerit, integrum baptisma esse.

Repetitio aquarum salubrium.

IAM, quod repetitionem earundem aquarum spectat: Licet Gratiæ, Pœnitentiæque repetitio ad cuiuslibet noui morbi accessionem requiratur: Verbum Dei repeti possit frequenter: Baptismum tamen nec debere, nec posse iterari est extra controuersiam. Plus itaque virtutis ad sanitatem spiritualem vnica ex his aquis guttula, quam integri fontes acidularum ad corporalem continent. Hos ergo fontes, tanquam vbera Ecclesiæ, contemplari licet. Siquidem si DEVS, Philone Hebræo Scriptore, terræ fontes, tanquam vbera hominibus concessit, quibus rigarentur, & humanum genus lactaretur: quanto magis id de his Sacramentalibus, ac Verbi Diuini, ac Gratiæ fontibus censendum? *Accedamus* igitur, monente Apostolo, *cùm vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.*

Heb. 10. 22.

AT enim antequã ad aquam medicatam accedatur, notum est, quam solicitè præscribant Medici, vt talis fiat PRÆPARATIO, quæ vim aquæ salutaris non impediat. Animaduertunt enim multos earum vsu spectatum fructum non consequi, cuius caussa est, præparationis defectus. Requiritur autem imprimis *Euacuatio* à prauis humoribus, eorumve reliquijs. Accedunt multi ad Baptismum, si sint adulti: aliqui Pœnitentiæ actus exercere cupiunt: ad Verbum Diuinum properant: exoptant Gratiæ vsum: sciunt enim hos esse fontes medicinales: sed non consequuntur sanitatem, quam alij, quoniam præparationem debitam non præmisere. Ante Baptismum dispositio necessaria est dolor, saltem attritionis, licet non desint, qui præparationis loco, requirant contritionem, si non omninò veram, certè opinione accedentis putatam. Sed sufficere attritionem docent Theologi communiter, in quartum librum sententiarum distinct. XIV. & XVII. ac S. Thomas tertia p. qu LXXIX. art 3. & qu. LXXX. art. IV. Certè dolore aliquem debere

Præparatio. *Euacuatio.* *Nauar. Manu. c. 1. n. 38.*

Act. 2. 38. debere præcedere, insinuat S. Petrus Actuum secundo, illa sententia: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum.* Quam præparationem, qui non adhibuerunt, sed eius loco fictionem, ijs diuinitus fons baptismi exsiccatus aliquando fuit, vt in iudicium esset, non in mundationem.

ANABAPTISTA quidam Iudaicæ perfidiæ nebulo, cum e baptismatis ficta simulatione magnum se questum facere animaduerteret, sæpius illud iterabat. At tandem cum lacus baptisterij aqua oppletus iterationi baptismi pararetur, inscio baptizante, diuina virtute subito exhausta fuit: deindeque rursus oppleto baptisterio, aqua iterum euanuit. Quod scribunt Socrates, Cassianus, ac Nicephorus. Idem accidit baptizatore Deuterio Ariano verbis istis: *Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto.* Disparuit enim illico aqua, vt habet Nicephorus, & Platina in Anastasio II. qui perperam Barbam baptizantem fuisse asserit. Fictè igitur, ac cum infidelitate accedens, virtutem curatiuam non percipit. Optima quoque ad pœnitentię opera exercenda, perfectamque contritionem concipiendam præparatio, in peccatorum euacuatione, quæ per sacram Confessionem fit, consistit. Quæ est etiam ad gratię diuinę susceptionem, & vsum Verbi deifici parasceue.

Soc. lib. 7. ca. 17. Cass. Trip. l. 2. cap 14. Nic. lib. 14. cap. 17. Nic. lib. 16. c. 35.

Tempus vtendi aquis medicatis. IAM verò, non omne tempus anni ad vsum aquarum, quæ prosunt corpori, expedire censent rei medicæ periti. Quod earum vis, quippe limitata, non æquè semper vigeat: sed certo, ac determinato tempore, & gustum magis afficiant, & in corpora humana vires validius exerant. Corpora quoque diuersis temporibus diuersimodè sint adfecta: neque semper ad virtutem hauriendam idonea: debilia ac resoluta sub maximis feruoribus: in magnis frigoribus densa, ac solida. Quocirca præscribunt *Medici* ad vsum salutarem, tempestatem calidam, ac siccam: & quatuor ferè menses æstiuos. sic Medici numerant, ac diuidunt. Quatuor enim menses æstas Medicorum habet, ab exortu Pleiadum, seu Vergiliarum, qui correcto Kalendario incidit circa x. Maij, vsque ad exortum Arcturi circa x. Septembris. At virtus infinita aquarum spiritualium, nullum sibi certum tempus anni deposcit.

Hora bibendi acidulas. DIEI quoque horam diligenter obseruandam monent *Medici*, quæ videlicet sit haustui medicinali commoda: dum vacuus est ventriculus manè, & à meridie, concoctione absolutâ: alioqui noxam subiret æger. Tempus quodlibet ad vim aquarum spiritualium percipiendam est accommodatum. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia,* quæ in baptismo, pœnitentiæ Sacramento, aut Verbi diuini vsurpatione confertur. Quam primum aliquis materno ex vtero egressus est, his aquis potest ablui, & vitam, sanitatemq; recipit, nulla alia temporis opportunitate spectatâ. Imò si infantuli caput abluatur, adhuc in matris vtero, pronuntiatâ integrè formâ baptismi, vitalem effectum in animam transfundi asserere non dubitauit Gabriel: & Patronos huius opinionis inuenit. Securius sentiunt, qui arbitrantur, aquarū baptismalium non esse capacem infantem, nisi in lucem, saltem συνεκδοχικῶς, editum: tum autem omne tempus ad medicarum aquarum virtutem esse opportunum.

Gab. in 4. Dist. 4. Q. 1. Ar. 3.

DVRVM, inquies, est: hominem corpore constantem, & anima, quamuis in aluo maternâ delitescentem, ab hoc aquarum salubrium remedio excludi.

cissat, sani, ægrique nullo discrimine: optata vniuersis Aqua.

Hic animaduertendum opportunè, quod *Medici* præscribunt: ne vel in ipso Aquarum medicatarum vsu, vel post illum, impressa recens vis, immoderato victu impediatur, vel restinguatur. Præclarum monitum. Accepisti animæ viuificatricem, & sanantem gratiam, baptismi, pœnitentiæ, verbi diuini efficaciâ O homo! *si scires donum Dei*, & quid est, quod accepisti, non statim inordinato victu, intemperantiâ, voluptatum ingurgitatione, sanitati contraria ebrietate, luxuriâ carnali: quam potissimum post aquarum istiusmodi potum vetant *Medici*, tam præclaram virtutem tibi gratuitò communicatam restingueres: teque, vix sanatum, illicò perditum ires. Qui sanitatis corporeæ est amans, integro mense eandem continentiam colit, quæ à Medico ad aquarum vsum fuit præscripta. Et salutis amator æternæ, eandem legem sibi non præscribat? Vel pauculis saltem diebus, post Sacramentalem gratiam acceptam sibi à peccatorum ingurgitatione temperare non poterit?

Id autem ideo præscribunt *Medici*, quoniam experientia probatur, medicamentum penetrare paullatim magis ad intima, & vires suas non vno tempore exerere: sed interiecto dierum aliquot interuallo, facere, quod in ipsis balneis nō potuit. Simile quid, post vsum Aquarum medicatarū animæ, Baptismi, Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum accidit. Omnium virtute datur illicò sufficiens gratia ad animæ sanitatem; tamē posteà conferuntur auxilia diuersa, quibus homo benè operetur, & sanitatem spiritualem confirmet, ac roboret. Quæ is nequaquam accipit, qui statim post vsum, intemperantia ac prauis moribus, se ijs indignum, ac incapacem reddit.

TANDEM harum Aquarum consideranda esset *Qualitas*. Sed verbulo id indico tantùm. Dulces-ne sunt an amaræ? Dulces omninò, sed non nisi à ligno. Cū populus Israeliticus non posset bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ, ostendit Dominus Mosi lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, Exodi xv. Audi Ambrosium: *vbi Aqua crucem Christi acceperit, vt caleste Sacramentum incipit esse dulcis & suauis: & meritò dulcis, in qua culpa reuocatur*. Quam dulcis, in qua nullus amaror! quæ amaritudinem omnem abstergit! Cuius sunt coloris? *Purpurei*: sed à Christi sanguine. *Ideo legisti*, inquit idem S. Pater, *quod tres testes in baptismate vnum sunt*, Aqua, *Sanguis & Spiritus, quia si vnum horum detrahas, non stat baptismatis Sacramentum*. Quid est enim aqua sine cruce Christi, & sanguine? Elementum commune, sine vllo Sacramenti effectu. Quantæ sunt Deo agendæ gratiæ, quod incredibili beneuolentia in Ecclesia reliquerit perpetuos fontes Aquarum saluberrimarum: quibus si nos immergamus, lauabimur, mundabimur, super niuē dealbabimur.

Qualitas.

Exo. 15. 25.

Ambr. l. 2. de sacr.

NOTAE.

LEGENDI, *Gabriel Fallopius de aquis medicatis: Oribasius de medicinalibus collectionibus: Hippocrates lib. de aere, aquis, & locis: Boccacius l. de lacis. Godefridus Sthegius, libello de fonte medicato Kissingensi, in Franconiâ. Henricus Heerius in obseruationibus de Aquis Spadanis.*

§. AQVAE *medicatæ Ecclesiæ sunt* AQVAE VIVAE *ad emundanda corda infecta vitiorū leprâ. Viuentibus enim aquis erat purificādæ domus infecta lepra, Deo iubēte*: Asperget domum septies, purificabitq; eā aquis viuētibus: *Circa quā Aquarū denominationē lusus sunt non eruditi quorundam, qui lucubrationes*

Leuit. 14. 51.

suas

suas dedicarunt CLAVDIO AQVA VIVA *Societatis* IESV *Praeposito Generali Lege Praefationem Ioannis Salas Tom.*I. *&* II *in Primam secunda S. Thomae.*

1.Timoth. 11.8. §. HIS *aquis abluendae manus ante orationem, vt praecepto Pauli Apostoli satisfiat, mandantis*, Leuare, puras manus sine ira & disceptatione *priore ad Timotheum secundo*. Puras, *inquit, non à sordibus corporeis purgatas: sed puras à rapinis, libidine, caede, sanguine: ablutas aquis* Gratiae *ac Poenitentiae*: Ne erubescant leuari ad Deum, *inquit S. Augustinus, in psalmum* LXII. *& Tertullianus lib. de orat. cap.* II. Quae ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire? Quando & ipsis manibus spirituales munditiae sunt necessariae, vt à fallo, à caede, à saeuitia, à veneficijs, ab idololatria, ceterisque maculis, quae spiritu conceptae, manuum opera transfiguntur, purae alleuentur.

CERTE, *Gentiles solenni praefatione, eos, quibus pura non essent manus, à sacris arcere consueuerunt. Clarissimè Liuius lib.* XLI. Cùm omnis praefatio sacrorum, eos quibus non sunt purae manus, sacris arceat.

Quod ipsum habet Lucian l. de Sacrif. Puras autem manus, non tam à sordibus & illuuie, quam à caedibus ac sanguine mundas intelligebant. Sic Seneca in Thyest. Act. 1 *sce* 1.

Moneo, ne sacra manus
Violata caede: neue furiali malo
Aspergat aras.———

Et apud Herodotum, qui homicidio manus polluerat, vir dicitur pollutis manibus. *Legendus Barnab. Brisonius L. de Formulis.*

§. [BAPTISMVS, Aqua medicinalis.] *Augustinus sermone* x. *De verbis Apostoli*: Portantur ad Ecclesiam paruuli, etsi pedibus currere non possint; alienis pedibus currunt, vt SANENTVR.

Legendus Simon Maiolus in Canicularibus Colloq. duodecimo, titulo LACVS. *Vbi inter reliqua*: Si aliquibus aquis mundantur vlcera, refrigerantur nimis calida, aut calefiunt nimis frigida; seu etiam exsiccantur humidiora; non tamen omnibus aegritudinibus medentur, vt aquae *Piscinae probaticae*. Quam idcirco DEVS commune omnium infirmitatum voluit esse remedium, vt typus esset aquae medicatae *Baptismatis*, qua omnia delentur crimina: & quandoque salus etiam corporis obtinetur.

Egregiè Chrysostomus Homil. XXXV. *in illud cap.* v. *Ioannis.* Quis, *inquit*, hic curationis modus? Quod per hoc nobis mysterium significatur? Non temerè haec, nec sine caussa facta, aut dicta sunt: sed futura nobis tanquam imagine ac typo describũtur, ne res nimium incredibilis, & inexpectata, accedente fidei virtute multitudinis animos offenderet. Quęnam igitur haec descriptio? Futurum erat *Baptisma* maximae potestatis, & gratiae purgaturum peccatum: ex mortuo viuum redditurum. Et illius quidem aqua natura nõ sanabat: siquidem semper sanasset: sed duntaxat, dum ab Angelo mouebatur. Ita & in nobis non simplex aqua operatur: sed cum spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.

NOTAT *Bellarminus lib.* IV. *de Sacramento Eucharistia cap.* XIX. *ad* 3. *In Baptismo applicari merita Christi per modum lauacri ad abluendas maculas peccatorum.* IDEM, *Concione* VIII. *in Domin* IV. *Aduentus, docet, duplex à Christo institutum esse* Baptisma: *vnum aqua frigida vel potius tepida, attemperata; alterum feruentis. De quibus commentatur hunc in modum.* Percipite rem istam, hoc enim est caput praecipuum totius controuersiae inter Catholicos, & Lutheranos: Priori baptismate lauantur ij, qui veniunt ex infidelitate, & tunc Deus mitissimè, & liberalissimè agit, & omnia simul dimittit, cul-

rit, culpas videlicet, & pœnas, tam æternas, quàm temporales: quanquam enim relinquuntur eis fames, & sitis, & ægritudines, & penuriæ, & aliæ afflictiones, atque incommoda, quæ omnes patimur; tamen ea non propriè pœnæ dici debēt, cùm non infligantur intuitu peccatorū, quæ planè, ac perfectè in baptismo dimittuntur; sed solum ad certamen fidei, & meriti incrementum relinquantur, vt B. Augustinus ait: *Vt per illa erudiantur, & exerceantur perficientes in agone iustitiæ.* At verò, cum homines iam priori baptismate absoluti, negligenter, & dissolutè viuunt, & Deo ingrati iterum maculas cōtrahunt, tum Deus restringit nonnihil manum, & sacerdotibus dicit, si rursum ad vos pro MEDICINA peccatorum venerint isti, quos semel lauistis, non amplius eos lauabitis baptismo aquæ frigidæ; sed adhibete balneum feruētis aquę, & eorum pellem diligenter excoquite, vt aliàs sint prudentiores, & maiori vigilantia caueant flagitia. Hoc est Sacramentum Pœnitentiæ Auditores, baptismus laboriosus, baptismus lacrymarum, balneum aquæ feruentis, quod requirit gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos pœnitentiæ, preces, ieiunia, & alia id genus opera.

At hæretici quidem rem istam non intelligentes, neque considerantes Baptismi & Pœnitentiæ discrimen; sed in vtroque DEVM æquè liberaliter ægere sibi persuadentes, nescio quam sibi fingunt Resipiscentiam, & vitæ mutationē, suauem ac delicatam, quæ nullam habeat contritionem, & satisfactionem annoxam pro præteritis. Sed via regia est, quam Ecclesia Catholica tenet, & quam semper Patres, ac Doctores orthodoxi, ac probati docuerunt. *Audite B. Cyprianū*, Orare, (*inquit in sermone de lapsis*) oportet impensius, & rogare; diem luctu transigere, vigiliis ac fletibus noctes ducere; tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare; stratos solo adhærere cineri; in cilicio volutari, & sordibus. *Audite B. Gregorium Theologum*, Recipio, *inquit, oratione secunda de Baptismo*, recipio pœnitentes; sed si lacrymis rigatos video. *Audite Ambrosium, quibus verbis Lapsam virginem ad seriam pœnitentiam exhortatur*; Lugubris, *inquit*, tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda, amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt, defluant oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt, pallescat facies, quæ quondā viruit impudicè. Denique totum corpus iniuria maceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quod malè sibi de pulchritudine placuit: Cor verò sit liquescens, sicut cera, ieiuniis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilās, quare sit ab inimico subuersum. *Audite Theodoretum, quas leges pœnitentiæ in Epitome diuinorum decretorum Ecclesiam habere dicat*; Sunt, *inquit*, medicabilia etiam, quæ post baptismum fiunt vulnera; medicabilia autem, non vt olim, per solam fidem (*baptismo videlicet*) remissione; sed per multas lacrymas, & fletus, & ieiunium & orationem, & laborem commissi peccati contemperatum: qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidē didicimus.

§. SANITAS corporea per Aquam.] *Exempla sunt plurima, tam in Aqua Baptismi, tum, qua vtimur in Ecclesia, à Sacerdote benedicta. Petrus Iarricus tom 2. Thesauri rerum Indicarum, In Brasilia*, Brasilius authoritate inter omnes suos maximè præstans, leprâ cum scateret, nulla ratione sanitati restitui poterat. At, qui illum inuisebat sacerdos, recuperandæ valetudinis spem in-

iniecit, modò in Deum fidem conijceret, qui non lepram modò pellere, & saluté corporis, sed & animæ dare poterat. Aperuit quoque, Ecclesiæ illum suæ non animarum solummodò sanandarum, sed & corporum interdum potestatem reliquisse: declarataq; prius *Aqua* in Ecclesia *benedicta* vi, & energia, eadem leprosum abluit. Et ecce mox vt ablutus, Naamanis Syri Iordanis vnda immersi instar, omnis lepræ, Deo auxiliante, abijt contagio *Post hanc corporis sanationem, animæ etiam, per Baptismum, consequutus est, cum tota familia: eiusq; exemplo, alij duo proximi pagi.*

§. AQVÆ medicatæ Ecclesiæ quatuor flumina Paradisi.] *Zoroastres cum animum alatum esse diceret, interrogatus à discipulis, quo pacto volucres animos sortiri possent?* Irrigate, *inquit*, alas aquis vitæ. *Interim sciscitantibus vnde has aquas peterent? per parabolam more suo respondit: Quattuor amnibus Paradisus Dei alluitur & irrigatur: robis salutares aquas inde haurietis. D Ambrosius flumina Zoroastris quattuor virtutum totidem, Sapientiam, Iustitiam, Fortitudinem. Temperantiam intelligit. Lib. de Parad. Lege Philon. in Alleg. & Nicolaum Caußinum lib. 1. historicarum parabolarum. vbi plura de Fontibus, & Aquis suppeditat.*

§. BAPTISMVS illuminat.] *Celebrant Varro, ac Plinius Lib. XXXI. cap. 2. Aquas fontis eiusdem in Sicilia. quas qui bibunt, subtiliores consequuntur sensus, interius illustrati.*

Solinus cap. IX. In Sardinia fontes sunt, qui oculis medentur, & corrigendis valent furibus. Nam quisquis Sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Vbi periurium non est, cernit clarius. Si perfidia abundat, detegitur facinus cæcitate: & captus oculis admissum facinus fatetur.

Isidorus Lib. XIV. *cap 6.* Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes; furibus cæcitatem, si Sacramento dato oculos aquas huiusmodi tetigerint. *Hæc superstitionem sapiunt: illud diuinitatem Baptismi. Quod Othilia Virgo Sancta, quæ claruit circa annum Domini* DCC. *Cæca à natiuitate, in Baptismo visum accepérit. Baronius in Martyrol.* XIII. *Decemb. Ado, Molanus ad Vsuardum. Consule Exempla catechistica Antonij Dauroultij: Marsilium Columnam in Hydragiologia, Lorinum in psalmum quinquagesimum, versu 9 Barnabam Brissonium in formulis lib. 1. Iulium Mazarinum Discursu in Psalmum* Miserere. LVIII. *ad illa:* Asperges me Domine hyssopo: *qui est, de duobus doctrinæ fluminibus ad emolumentum Iudæorum, & Paganorum.* LIX. *De duobus alijs doctrinæ fluminibus ad irrigandum hæreticos, & Catholicos.* LX. *De Ecclesiasticis Sacramentorum fontibus, vnde cælestes aquæ diuinæ gratiæ hauriuntur* LXI.

De aquis, quæ per hos canales ad nos redundant.

COMMEN-

COMMENTATIO X.

DE

Eucharistiæ vi Medica.

In quâ exhibetur Eucharistia, tanquam Cæna magna, in quâ omnia sint Medicinalia. Nec esse morbum vllum, cui per Eucharistiam non possit fieri medicina, docetur. Sed potissimum, illam valere ad curandam Cæcitatem Intellectus: sicque esse Collyrium pro oculis: & inualetudinem Affectus. Quibus profligatis, duodecim languores, quibus miserum in modum affligitur genus humanum, expellit. Atque ita hominem plenissimè sanitati restituit.

In festo Corporis Christi.

Qui manducat hunc Panem viuet in æternum. Ioan. VI. 60.

Dominica infra octauam Corporis Christi.

Homo quidam fecit Cœnam magnam. Lucæ XIV. 16.

Eucharistiæ alogia.

EVCHARISTIA augustissimum est, angusto licet frugis illibatæ circumuallatum tegmine, religionis Christianæ Sacramentum: quod, siue à materia diceris, cũ antiquo vate, *Frumentum electorum*: cum Ignatio, *Panem Dei*: cum Tertulliano, *Conuiuium Dominicum*: cum Basilio, Nazianzeno, Niceta, *Cœnam mysticam*. Siue ab via, vt Lucas, *Communionẽ*, *κοινωνίαν*; Vt Areopagita, *Synaxin*; vt Cyprianus *Panem*. Siue ab effectu, ex Chrysostomo, *Fontem bonorum omnium*; ex Damasceno, *Carbonem ignitum*; Ex Africanis Patribus, & Augustino, *Vitam*: ex Doctore Deifero, *Pharmacum immortalitatis*: Ex Græcis, *Metalepsin*, id est, *Participationem*, vt vertit Billius; *Assumptionem*, vt interpretatur S. Thomas; *Transmutationem*, vt ego nunc explico, nominaueris. Siue à re cõtenta, *Corpus & Sanguinem Domini*, secundum Theodoretum: &, per antonomasiam, *Sacramentum*, *Mysterium*, *Consummationem*. Siue ab ipsa significatione, vt *Viaticum*, ex Concilio Nicæno, Carthaginiensi, Tridentino: *Mysticam benedictionem*, siue *Eulogiam* ex Ephesino, siue denique ex Symbolis; Vt è sacris paginis, non nemo Patrum, *Esculentam cœli plantam*, quam *Manna* dixerunt Hebræi; & *Aquatilem Petræ sequelam*, quam spiritualem potum indigetat Paulus: *Ambrosiam*, *Nectarque* appellarent Poetæ: Psaltes Regius, *Calicem salutarem*: siue aliis quibuscumque nominibus nuncupaueris: Idem est animæ omnium nostrûm, quâ languentis,

& familiæ dulcissimum pabulum; in quo diuina gratia, quasi visceratione quadã fruimur; quã anhelantis, & sitibundæ inexhausta suauissimi liquoris scaturigo.

Homilia hoc tempore de Eucharistia disseramus.

DE hoc mihi hodie vobiscum, Adolescentes cari, iucũdissima est futura sermocinatio: sermocinationem voco, quia Homiliam, in vestri gratiam paraui, ad normam Patrum veterum, ne quis orationem exspectet, aut declamationem ad perpendiculum Rhetoricum, quod Theologo esset tantum non dedecorosum. Homilia itaque de Sacratissimo isto mysterio, hac horula dissertabo. Tum, quia nondum eius octauam festiuitatis excessimus, in qua toties auribus vestris insonuit; *Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis.* Tum, quia non videor mihi dulcius, & ad animæ, seu meæ, seu vestrorum omnium consolationem, magis apposite disputare posse, quam illa de re, quæ nisi summum rerum humanarum amatorem leniret, nescio profectò quid iucunditatis homini diuinis debito, ad hilaritatem posset accidere. Tum, quia hanc esse *Cœnam* illam magnam arbitror, de qua in Euangelio hodierno tam magnifice disseritur. Tum, quia, cum toto hoc anno Auditoribus meis Theologis in Schola, Eucharistiæ arcanum, per aridas (vt opinantur nonnulli) & quibusdam insipidas, spinosasque contemplationes, ad subtilitatem Theologicam cucham; religioni mihi penè ducebam, hac oblata opportunitate, ne vel semel quidem ad inflammandum adfectum de eodem disputare.

Christi latentis innocentia.

TV DEVS æterne, qui sub azyma albicantis illius orbiculi placentula, absconditus, vt in amoris sella, suauiter nidularis: sed splendes infinitis partibus lucidius, & radios vibras, quam sine nube solaris orbis, adfulge: nam Tibi linguam, Tibi stilum, Tibi vocem, Tibi latera, Tibi quidquid est virium in corpore hoc, animoque consecrauimus. Attendite.

Eucharistia Cœna cœnis omnibus maior.

EVCHARISTIAM dum audio, lego, vel contemplor, intelligentiæ meæ oculis obuersari facio CAENAM. Sed CAENAM verè Magnam, omni sanè cæna Cereali magis opiperam: omni Recta magis dapsilem: omni Pontificali magis splendidam: omni Augurali magis lautam, omni Saliari magis opimam: omni Triũphali magis regiam: omni Nuptiali magis iucundam: omni Natalitia magis dapalem: omni Populari magis sumptuosam, omni Capitolina magis instructam: omni Feriali magis publicam: omni Ambulatoria magis parabilem: omni DEŨM Cæna, quam extulit antiquitas, magis apparatam. Vno verbo. Cænis omnibus magnis, quas celebrauit vetustas, maiorem.

IN EVCHARISTICA Cænâ, omnia medicinalia.

SED nihil in hac CAENA me capit adeò, rapitque, quàm quod in quolibet missu, vel ferculo, quidquid mensæ infertur, sit MEDICINALE. Promulsis ad irritandam orexim est alexipharmacum. Obsonium omne est præsentaneum morborum remedium: panis ipse præstantissimum antidotum: tragemata, bellaria, secundæ mensæ, cupediæ sunt totidem medicinalia amuleta. Malè dixi. Quidquid apponitur, est PANIS. Sed PANIS, qui anticænii, obsoniorum, cupediarumque rationes in se omnes continet: vt Græca originatione, à πᾶν, id est, Omne, dictus videatur, quod suo stringat ambitu omnia. Est enim vnus, & omnis cibus, vnum & omne, cunctorum morborum remedium: Iam

DICITE

DICITE mihi, (animæ dilectæ) si quis Æsculapij illius pullis, qui inualetudini cuicumque aptissima se medicamenta præscribere posse profitentur Podalirius, aut Machaon, quamuis fortasse Vespilionis officium sæpiùs, quam Apollinis, vel Hipocratis exercuerint, si quis tamen ex ijs morbidum & de sanitate sua diffidentem, aut pænè, vel verè depositum inuitaret gratuito ad cœnam, vel in ędibus malè sic adfecti adpararet, in qua facillimum esset, certissimumque morborum incurabilium remedium. Sponderet se delicatissimum appositurum bolum, margaritæ ad instar, vel vnionis, aut carbunculi, & ne saxulum imaginaretur æger, vel quid durius, adorea ex subacta farina liba, nec aliud dentibus terendum polliceretur. Adiungeret: candidissimam illam frugis triticeæ sphærulam in vnius buccellæ orbicularis formam constipatam, sublaturam illicò diutinos capitis & inueteratos dolores: perempturam extemplo cephalæam: sedaturam vertiginem: fugaturam delirium, insaniam, phrenesin: curaturam in oculis, suffusionem, glaucoma, lippitudinem: dissipaturam destillationem, defluxum, catharrum, purgaturam pectus, refrigeraturam iecur, redintegraturam pulmonem: sedaturam odontalgiam, & dentium dolorem acerbissimum: remedium allaturam tussi: siccaturam hydropem: complanaturam tubera: ablaturam scabiem: interpretaturam tabem, quid hæreo? restituram vitam.

AD talem, dico, Cœnam, si inuitaretur morti proximus, essetne, qui se excusaret? qui dilationem peteret, qui fastidium, nauseamque, tam optati & medicinalis obijceret cibi? Nos sumus infirmi omnes, cara pectora, qui nos mutuo iam intuemur, non est, quod vllus sese excipiat. Morbos quilibet suos, suos quilibet patitur manes, Magister & Discipulus; Confessarius & Pœnitens, Superior & Subditus, Concionator & Auditor.

Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille est
Qui minimis vrgetur. ———

Meos ego morbos habeo, & magnos, & multiplices, alios me saniores iudico. Hunc vexat cephalalgia superbiæ: illum inflat hydrops auaritiæ. alium exedit tabes inuidiæ: multos detinet torpor acediæ: plerosque deformat lepra luxuriæ. alios excæcat ophthalmia ignorantiæ: plurimos adfligit vanitatis scabies: neminem tamen esse mortalium sat scio, qui valetudinem ita integram habeat, vt non egeat remedio. Quod quidem in Cœna magna omnibus proponitur, & ad eam inuitantur, alliciuntur, trahuntur, immò, & rapiuntur: Sed nulli se excusant? stultorum infinitus est numerus.

Villa, Boues, Vxor cœnam clausêre vocatis,
Mundus, Cura, Caro cœlum clausêre renatis.

A Cœna Eucharistica retrahũt plurimos
Ambitiosus honos, & opes, & amica voluptas.

Sed quid ex Auditoribus meis, quorum plerosque nec honorum ambitu, nec opum affluentia, aut habendi cupidine, nec voluptatum illecebris transuersos agi omninò mihi persuadeo. An fortasse nobilissimi remedij, vniuersalis, & admirandæ efficacię ignoratio? quam vtinam dispellam, inflammemque, saltem in aliquibus, ad eius frequentem vsurpationem adfectum. Aio, non esse morbum animæ, qualem, qualem, quãuis mortalis habeatur, & incurabilis, cui medi-

medicina non poſſit fieri facillimè ab Euchariſtiæ pharmaco. Infinitum eſſet ire per omnia morborum genera. Quare ad duo capita, vt ſumma quædam genera, reuoco vniuerſa. Prius habet morbum intellectus, quam cæcitatem appello, cuius ſunt plurimæ appendiculæ: poſterius eſt adfectus inualetudo, quam Concupiſcentiam voco, cuius pænè innumerabiles ſunt ſpecies. His adiungatur, Mortis plaga: quæ tria ſi perſanentur ab Euchariſtiæ medicamento, nihil excogitari poteſt cuius illa non ſit præſentaneum remedium.

Cæcitas humana. COMMVNIS hominum morbus, ſed infeſtiſſimus ſapientiæ cultoribus, eſt cæcitas, non corporis, ſed mentis, quam ignorantiam dicimus. quis illo non laborat? ignorantes naſcimur, viuimus, morimur. & quantum laboratur à quibuſdam, vt hoc oculi vitium emendetur? legimus, ſcribimus, ſtudemus, ſed eſt in quibuſdam tantus ſtupor, vt irritus videatur eſſe ad hanc ophthalmiam curandam omnis conatus. Sed ego remedium tibi porrigo, mi Adoleſcens, vel in Cœna adpono, facile, præſentaneum, efficax. Deſideras per Grammaticorum dumeta inoffenſo pede, iter facere, Labyrinthum tot adoleſcentibus inextricabilem euadere; minutiſſimas illas tricas, & inexplicabiles nominum, verborumque nodos, vt diſſoluas peruidere? In votis habes lauro coronari, per amæna, ſed longè Poëtarum ſpatia, in Parnaſſi iugum contendere, excellens non verſificator, quod mendiculorum eſt, ſed Poëta; & vates haberi? In optatis tibi eſt in artium diſciplinarumque amœniſſima, quæ Oratorem excolit, decus conſequi? Per Dialecticorum ſalebras, Phyſicorum valles, Mathematicorum crepidines, Metaphyſicorum præcipitia, Iuriſprudentiæ colliculos, Medicinæ latè patentes campos, Theologiæ faſtigia ad ſapientæ arcem pænè inacceſſam attolli: breuius, & clarius. Optas illuſtratis mentis oculis, politus Grammaticus, amænus Poëta, facundus Orator, acutus Logicus, expeditus Phyſicus, ſubtilis Metaphyſicus, Mathematicus ſublimis, experientia clarus Medicus, prudens Iuriſperitus, eximius Theologus, non minus eſſe, quam audire? Collyrium oculis impone Euchariſtiam. Hæc luminis interioris vitium auferet, intelligentiam illuſtrabit, ad omnem diſciplinam eiuſque abdita percipienda aciem acuet. Ad huius amorem, deuotionem, frequentationem, Te, qui litteras amas, & eruditionem, excito, & exſtimulo.

EST Chriſtus in Euchariſtiæ Sacramento *Collyrium*, quo glaucoma in intellectus oculo curatur; quo tenebræ mentis diſsipantur quo lumen diſciplinarum accenditur. Et hanc cauſſam inter tot alias aſsignat S. Thomas, cur inſtitutum ſit à Chriſto, humani generis extremè laborantis, & infirmi, Medico diuino Euchariſtia, nempè, vt ſit cibus medicinalis ad perſanandos mentis oculos: additque, idcircò comparari cibo dulciſsimo, & morbis ſanandis idoneo Melli. *Collyrium Euchariſtia*

SANE Mel præclarum eſt hoc titulo Euchariſtiæ ſymbolum: de quo Sapientem loquutum arbitratur Doctor Angelicus Prouerb. XXIV. 13. *Comede fili mi Mel, quia bonum eſt.* Mel corpus Chriſti dulce ſignificat, inquit melleus ille meus Magiſter Thomas ſubdit autem; *Hoc bonum eſt, quia tenebras mentis illuminat.* Præclara expoſitio, ſed myſtica, qualem in Homilijs Patres ſequi ſolent. Itaque in adhortatione Sapientis, Mellis nomine Chriſtũ deſignatũ accipimus: ſed mellea *Mel Euchariſtia.*

lea tectum, & inuolutum placentula. Placuit hæc comparatio Magno Patri Augustino, qui ænigma obscurissimum à Samsone propositum dulcissimo Iam accommodat. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Iud. XIV. 14. cuius solutio fuit. *Quid dulcius melle, quid fortius Leone?* ipse autem sic enarrat *Quæstio ipsa, quæ continet;* De edente exiuit cibus, & de forti est egressa dulcedo: *quid aliud significat, quam Christum à mortuis resurgentem? De edente vtique, id est, de morte, quæ cuncta deuorat, atque consumit, exiuit cibus ille,* qui dixit, *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, quem humana exacerbauit iniquitas, eique aceto & felle amaritudinem propinauit: atque ab eo dulcedinem gentium, vita dulcedinem conuersa, suscepit. Et sic de mortui Leonis ore, id est, de Christi morte* qui accubans dormiuit, vt Leo, apum, id est, Christianorum examen processit.

De forti egressa dulcedo.

AD hunc modum interpretor, & illustro lautissimum illud edulium Sponsi, de quo in Epithalamio sacro Canticorum VI *Comedi fauum meum cum melle meo.* Fauus sacrosanctum Iesu corpus mihi significat, in alueari purissimo apiculæ immaculatæ, id est, vtero Virginis Mariæ fabricatum. Quam expositionem insinuat insignis Canticorum interpres Alanus, qui, *Sicut,* inquit, *fauus est mel latens in cera, ita anima Christi latuit in cellula carnis;* adiungamus nos; ita corpus latet in cellula Eucharistiæ. Quod mysterium confirmant LXX. Expositores Hebræi, qui illo Canticorum v. legunt; *Manducaui panem meum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte.* Panem verterunt, prophetico Spiritu, vt solent, ad mysterium Sacramenti, & sacrificij nouæ legis respicientes. Mel est nectar Spiritualis dulcedinis, quod ex hoc fauo liquatur, effluitque; *Comede fili mi hoc mel, quia bonum est.* Ita de me se sentit sponsa Ecclesia, quæ his diebus toties intonat ad aram sacram; *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.*

CHRISTVS in Eucharistia, *Medulla est mellis.* Iactabatur veteri prouerbio, de re maiorem in modum sapida dulcedine imbuta, MELLIS MEDVLLA. Quod profectò nulli melius, quàm illi conuenire posse arbitror, qui se dat in cibum, cibat *nos ex adipe frumenti.* Psalm. LXXX. 17. quod Hebræus legit, *ex delitijs tritici.* Hanc *Mellis medullam* ama, mi Adolescens, formula antiqua medullitùs, animitus, flamma penita, & intellectu illustraberis.

Medulla mellis.

PVLCHERRIMVS, & amabilissimus adolescens Ionathas, Saulis filius, vt est 1. Reg. 14. cùm extendisset summitatem virgæ, & intinxisset in fauum mellis, & gustasset parumper, *oculi eius,* inquit Scriptura, *sunt illuminati.* Cùm oculis corporeis, mentis quoque oculos illuminatos, in arcano sermone innuitur: Et Hebræa habent: *viderunt oculi eius.* Non erat quidem cæcus Ionathas, aut luscitiosus, sed ex inedia, labore, fatigatione, lucem penè amiserat, vt dicere posset:

Vbi sum? fugit lux alma, & obscurat genus
Nox alta: & æther abditus tenebris latet.
———Sonitu suopte
Tinniunt aures & gemina teguntur
Lumina nocte.

Catull.

has nebulas mellis dulcedo, & alimonia discutiebat. Ah quoties ex inedia spiritualis pabuli, quia non auditur, vt debe-

debetur, Verbum Dei, dum panis ille cœlestis frangitur: quia non frequentantur Sacramenta, quia nihil animæ salutem spectans, aut raro legitur: ex laboriosissimo peccandi opere; ex fatigatione, & lassitudine cursũ in via iniquitatis sequuta, lucem pænè amittit meus Adolescens: vt parum in rebus, ad animæ salutem spectantibus, videat, nihil pænè in disciplinis altioribus intelligat; ad omnes speculationes sit pænè truncus, & caudex. Quid remedij? intinge, mi adolescens, considerationis virgulam in suauissimum fauum mellis Eucharistici, illudque comede spiritualiter, adfectu; corporaliter, ore, suo tempore, & deuotione debita, oculi tui illuminabuntur. Certè, Mel oculorum vitia corrigere, & prodesse visus claritati, ignorare non possunt Galeni discipuli, ex eius de simplicibus medicamentis libro.

Butyrum & Mel comedet Emanuel. Isa. 7. 15.

SAPIENTISSIMVS Propheta Isaias, vt persuaderet Emanuelem, seu Messiã futurum illuminatissimum mente, ac ingeniosissimum, argumento vsus est à comestione Mellis desumpto, *Butyrum & Mel comedet*, quare? *vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Quæ cum sit interpretatio S. Thomæ, placet. Abulensis Episcopus in libro peculiari, de Emanuele, vult significari, Christum, secundùm humanitatem, futurum valdè prudentem, & intelligentem, huiusque indicium adijci, comestionem Mellis ac Butyri; quod hoc cibo soleant homines reddi valdè acuti, & intelligentes. Quod si tanta est efficacitas alimenti mellei ad corporeos oculos curandos, vt extinctum ferè lumen reaccendant; quantam esse, par est credere, ad mentis lumina illustranda illius pabulum mellis, cuius corporeum vix vmbra esse potest? Ex hoc melle Collyrium, arte medica parandum est, de quo Apocal. III. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.*

PRIMVM ergò fontem morborum exsiccat Eucharistia, dum tollit ignorantiam, sanat intellectum, illuminat mentis oculos, & singulari, excellentique modo illuminat. Nã in hoc Sacramento totá illuminandi vim SOL Iustitiæ, tanquam amoris nubecula inclusit, vt quo eius radij constipantur arctius, eo feriant vehementius. Accurrite Adolescentes, virtutis, & eruditionis auidi. *Accedite & illuminamini.* *Sol Iustitiæ in Euchar.*

INGENS fuit olim cupiditas seculi sapientum adeundi mensam SOLIS, quam vocabant, eiusque fruendi delitijs. De quorum vno, Hieronymus, Epistola ad Paulinum; Apolonius, siue ille magus, vt vulgus loquitur, siue Philosophus, vt Pythagorici trahũt, intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Messagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit: & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos, de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palęstinos, reuersus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret. *Mensa Solis*

HANC autem Solis mensam, ita describit Herodotus. Est in suburbanis pratum omnium quadrupedum, assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere: ad eamque, vbi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem è terra reddi assiduè indigenæ dictitant. Quocirca Cœlius Rhodoginus in suis antiquarum lectio- *Herod. li. 3. Edulia in Solis mensa. Lib. 29.*

lectionum, docet, diuitum domos, omni rerum copia adfluentes expolitasque inopum necessitatibus, atque alimentis, rectè dici *Solu mensam*.

Eucharistia verè mensa Solu. EGO nulla allusione facta ad fabulosam illam, appello MENSAM *Solu*, EVCHARISTIAM, in qua, æternus Sol, lucidissima illa panis candidissimi tortula, multo splendidius, quam radiorum diademate circumdatus, postquam omnes ad eam accedentes, Deo ipso opiparè saginauit, apophoretorum loco, ardentes fidei, sapientiæque faculas distribuit, & in hostes ignea tela iaculatur.

Mensa Militaris rotunda. DE hac *Mensa* est illud: *Parasti in conspectu meo Mensam, aduersus eos, qui tribulant me*. *Psal.22.5.* Quæ bonis est Mensa protectionis, & illuminationis: impijs fit *in laqueum, & in retributionem, & in scandalum*. *Psal.68.23.* Proditur à quibusdam, olim Mensas quasdam apparatas ab exercitus Imperatore, ad quas milites duntaxat strenui admitterentur, & *Rotundas* appellãt *Mensas*. Quod institutum Francisc. Sansorinus, de origine Equitum, tribuit Arcturo, Anglorũ Regi. Rotunda est Mensa Solis nostri, in qua rotundus quoque cibus, *Panis Angelorum*, Psal. LXXVII. siue, vt Hieronymus reddit, *fortium*: adeoq; non nisi strenuis Christi militibus apponendus. *Psal.77.25* Sed meminisse oportet, velle lautissimum cõuiuatorem Christum, vt *Lux*, à Solis Mensa hausta, ita *luceat coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est*. *Matt. 5. 61.*

Psalm 61. Dominus illuminatio HVC si accedas, exclamare potes, *Dominus illuminatio mea*. Si suscipias dignè, quod in ea apponitur, diuinæ splendor lucis, cuius ibi est domicilium, discussa ignorantiæ caligine, mentem serenabit. Eucharistiæ fulgore fides augetur, & nutritur, ea verò intellectus illustratur. Acutè S. Thomas: *Christus est Verbum Dei, id est, vera lux in carne humana, quasi in lucerna, qua illuminatur fidelis anima*. Nisi lucernam appellare placet, Velamen illud sacramentale, quod tanquã cornu, Solem iustitiæ continet: &, in quo Christus, qui est *lux vera*, tanquam in lucerna fulgurat. *Psa.131.16.* De quo per Psaltem ipse Dominus: *Paraui lucernam Christo meo*. quamuis lucerna Christus totus fuerit, à Verbo Diuino per hypostasim illuminatus.

Christus in Emaunte. *Accedite ad me* Sapientiæ amatores, & *illuminamini*. Hic lux mundi habitat. *Psal 36.5.* *Ioan 8.12.* Hic Dominus *illuminat abscondita tenebrarum*. *1. Cor.4 5.* Hic fons vitæ scaturit. In huius *lumine lumen vidimus*. *Psalm.35* Auditum vobis sæpè non dubito; Discipulorum in Emaus euntium oculos, non ante fuisse apertos, quàm Dominus panem fregisset, id est, vt graues Auctores exponunt, Eucharistiam confecisset, & administrasset. *Apud Maldonat.* Quod de oculis corporis multi accipiunt, qui tunc ad cognoscendum Dominum illuminati fuerint. *Luc.24.30.* D. Thomas verò, Chrysostomum pro se adducens, de mentis oculis existimat esse intelligendum, quibus Eucharistia lumen solet accendere, aut facem ad rerum difficillimarum cognitionem præferre. quod ego certissimum esse mihi persuadeo.

Ingeniosissimi benè affecti erga V.S. ATQVE ideò, ijs potissimum, qui litteris dant operam, huius venerabilis Sacramenti frequentationem dignam suadeo: Et vtinam tenerrimum in omnibus erga hostiam Sacrosanctam affectũm excitare possem, quam vellem! quam me totũ impenderem! Vnicũ illũ sat magnũ prælectionum, exhortationumque fructum arbitrarer. Sanè, licuit mihi animaduertere, ingeniosissimos quosque, & iudicio, memoriaque reliquis omnibus superiores, Eucharistiæ potissimum dulcedine, eiusque suauissimo cibatu capi. Ad illam itaque, mi Adolescens, quin

aliquâ disciplina optas excellere, vt confugias, tibi sum auctor. Si quid accuratius pangẽdum, agendumque, vbi famę, aut memoriæ res agitur precibus ac votis prius Christum in Eucharistia latitãtem adora, illi necessitates tuas committe; tenebras fatere, pacem posce, Deo luminum supplica, & nunquam non illuminatus recedes, felicemque successum omnis sortietur litteraria expeditio.

S. Thomas Aquinas.

EXEMPLO sit S. Thomas ab Aquino, cuius ingenium, vt orbis miratur vniuersus; ita effusam in hoc Sacramentum animi pietatem omnes suspiciunt: Huius vnius commentationibus, & quod mireris in Theologicæ disciplinæ, grauissimo Doctore, rithmis, odis, antiphonis, cantiunculis hoc festiuo tempore, non Basilicæ tantùm vbique omnes, sed per totam Christianitatem, fora quoque, plateæ, solitudinesque personant.

S. Aloysius Gonzaga.

NEC silentio prætereundus est, cum de cultu Eucharistiæ ab ingeniosissimis excogitato, adhibitoque agitur, adolescens præclarissimus Aloysius Gonzaga, cuius felicissimi in cœlum transitus hodierna die anniuersaria apud nos colitur memoria. Huius tam eximius erat in Christum Eucharisticis opertum exuuijs adfectus, vt vnum id in gratiæ loco à Deo expeteret, vt, vel intra octo sanctissimæ Eucharistiæ dicatos dies, vel memoris pijque aduersus Christi Domini pœnas animi declarandi caussa, feria sexta moreretur. Vtrumque diuinitus illi obtigit. Nam cum octauus eorum, qui sacræ Eucharistiæ solennibus sunt celebres, dies esset in exitu, iamque feria sexta ineunte, nocte, qua inter XII. & XI. Kal. Quinct. intercedit, felicem illam vitam cum hac mortali commutauit.

[illegible]

IAM verò, persanato intellectu, eadem *Medicina*, morbum prauæ Concupiscentię tollit, sicq; voluntati, & corpori medetur. Ob quam caussam S. Thom. symbolum Eucharistiæ FICVM, cibum magnæ Cœnæ, & fructum medicinalẽ esse existimat; Et adducit, quod est in Ieremia Propheta Cap. XXIV. 3. *Quid tu vides Ieremia? & dixi, Ficus bonas, bonas valdè.* Ficus bis dictæ, dulce corpus Christi significant; *Dei & hominis.* Hæ *bis bonæ sunt valdè, quia mentem & carnem à morbo concupiscentiæ sanãt.* IV. Reg. XX 7. Cũ grauissimè ægrotaret Rex Ezechias, Deo iubente, accessit ad illum Isaias Prophetá, qui Medici functus officio, *adferte,* inquiebat, *massam ficorum*, quam cùm tulissent, & posuissent super vlcus Regis, curatus est. Mira res: admoto cataplasmate, ex ficubus, vel caricis contusis ad sanitatem esse Regem perductum. Quis hoc naturaliter, ex arte Medica factum esse sibi persuadeat? scio quidem, caricas, vt videre est, apud Dioscoridem, & Galenum, & inter Medicos constat, vim habere extergendi, & calefaciendi, ordine primo, aut etiam initio secundi, cùm partiũ tenuitate, ac proinde discutere posse tumores paratos discuti, & emollire scirrhos, & ad suppurationem perducere. Sed non idcircò videtur illa ficorum massa Isaias sanitati potuisse restituere Regem, qui laborabat vlcere pessimo, quod adglutinationem postulat. Itaq; mysterium quod later, eruamus, *Vlcus* Regis est *carnis concupiscentia:* Vlcus profectò, neq; benignum, neq; simplex: sed malignum, & complicatum, quod plurimos ad mortem perducit. *Massa ficorum*, est *Corpus Christi*, cõtinens dulcedinem multorum bonorum, ad medicinam prauorum desideriorum. Et habet sanè *Eucharistia* magnam similitudinem cum cataplasmate fieri solito ex ficubus ad tumores curandos. Nam, vt chirurgi nostri

Massa ficorũ Isa. 38.

Vide Com. 6. & ad illam notas.

nostri dicunt, massa illa cõficitur ex carne dulcissima ficorum, aut caricarũ, cum farina tritici, vel hordei, quæ mixta, parti malè adfectæ adponuntur. Adhibetur ad Eucharistiam triticea farina, vel eius medulla, sed in Domini corpus cõuersa. Estque suauissima Caro Saluatoris, verè ficus ob incomparabilem dulcedinem. Bonum enim ficus est dulcedo: vocaturque fructus suauissimus. Quod encomium Eucharistiæ est proprium.

Duodecim Languores.

DE duobus mortis actum est: Intellectus cæcitate, & Adfectus inualetudine. Ex ijs verò, quasi vniuersalibus, sequuntur alij magis particulares, quibus tamẽ fere omnes vrgentur, plus minusq́;, pro hominum conditione. Hos ad XII. reuocare possumus, sequuti Doctorẽ Angelicum, qui illos languores nominat, & ita colligit. *Quia parentes primi peruersis à Deo pomi gustu corrupti, multas infidere miserias suo generi, necessarium fuit* Medicamento Saluatoris *miserijs subueniri. Miseria autẽ humanæ vniuersim sunt tres generales, scilicet;* Vincula culpæ, Defectus Gratiæ, Mortis plagæ. *In qualibet autem harum trium miseriarum generaliũ, intelliguntur quattuor mala specialia: quasi XII languores speciales, ad quos curandos ordinantur XII. Dominici corporis effectus, siue fructus.* Vt optimè Eucharistiæ conueniat, quod habetur Apocal. XXII. *Ostendit mihi Angelus lignum vitæ, adferens fructus duodecim per singulos menses*: id est, ad curandos nostros duodecim languores. *Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis.*

S. Thom. Opusc. 58 à cap. 21.

Morbus vincularius.

PORRO, primus morbus generalis, vel vt loquitur S. Thomas, Miseria est vinculorum. *Vincula culpæ*, inquit ille, de quo Psal. 118 *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et Manasses in Oratione 2. Para. 36. *Incuruatus sum multo vinculo ferri.* Ligatus est manus, & pedes peccator, imò membris omnib. vt ea ad bonũ mouere nõ possit: sed sunt vincula quæ in oculos nõ incurrunt, vt quorundã, qui lecto adfixi, sicut Clinici, qui in nullã partem se cõmodè transferre valẽt Qui morbus, à Medicis appellatur, vel *Letargus & Veternus*, quo sensus omnes ita ligantur, vt inexpugnabilis oriatur dormiendi necessitas: vel *Apoplexia*, qua motu sensúq; illicò priuatur homo. Ex hoc, tanquam fonte prosilire quattuor languores concipit S. Thomas. *Et quattuor mala, siue languores*, inquit, *sunt quasi vincula culpæ quibus stringuntur animæ*: scilicet, Dæmonis tentatio: fomitis repugnatio: cordis macula: Creatoris offensa. Contra quæ valet fructus Virginis, scilicet, corpus Saluatoris.

Podagra. Chiragra. Arthritis.

Verminatio

PRIMVS iste languor, qui à Dæmonibus procreatur, rectè appellari potest, medico vocabulo, *Verminatio.* A qua quidã dicuntur *Verminosi*, quod illos vermes infestẽt. Pueri vermibus scatere, & malè habere solẽt: sed hi solũ ventri molestiã creant. At vermes isti spirituales, sinistri genij, & Dæmonia, oẽs sensus obsident, intus, & foris hominẽ excruciã'. Vt mihi cacodæmonũ, nostris actionibus interuenientiũ, nosq́. cõtinuò infestantiũ multitudinẽ cõsideranti homines oẽs, pænè energumeni, & obsessi videãtur: vel ædificia quædã, in quib per sensus oẽs. tanquã per fenestras, simiarũ in modũ, prospiciũt. Sunt vermes isti nobis in oculis, auribus, lingua, manib. pedib. circũstant nos, & velut indagine cingũt. *Induite vos*, clamat Paulus *armaturã Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli. Multæ sunt insidiæ dolosi*, inquit Eccl. scilic. diuersissimis vijs, multisq; modis nos tentat. *Vigilate*, hortatur Petrus Apost. quia *aduersarius vester Diabolus circuit tanquã Leo rugiens, &c.*

Eph. 6.

Eccl. 11.

1. Petri 5.

QVOD remedium cõtra fœdissimum hũc, & periculosissimum morbum? non aliud, quam bolus Eucharisticus: hoc vermes momento temporis intereunt

Fumus ... Expisce.

Fallor, nisi hoc mystico sensu significare voluerit Angelus *Medicus*, qui paruulo Tobiæ, post captum piscem, varias partes, varijs morbis vtiles designans, addebat, *Si cordis particulam super carbones posueris, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum*. Audite simplicem, & simul ingeniosam magni Theologi explicationem. *Flumen in quo pisces sunt, significat mundum: piscis ille magnus, gentem Iudæorum; cor piscis, quasi membrum nobilissimum, & ex quo vita procedit, beatam Virginem: particula cordis significat* Corpus Saluatoris *de Virgine sumptum Hoc carbonibus est imponendum: hoc est, fidelibus, accensis igne amoris, donandum: tunc fumus eius; id est, Virtus Spiritualis, fugabit tentationes Dæmonum.* *Exurgat* DEVS *& dissipentur inimici eius*.

Episc. Tob. 4. Thom. opusc. 58. cap. 21. Psal. 66, 2.

SECVNDVS languor ex primo illo generali morbo manans à D. Thoma vocatur FOMITIS Repugnantia: quæ est incentiuum quoddam vitiorum omnium: de quo Paulus ad Galat. v. *Caro concupiscit aduersus spiritum*. Rom vii. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*: quod exponens Augustinus *Video*, inquit, *aliam legem, id est, fomitem peccati in membris meis*, vt in *oculo*, ad concupiscendum; in *manu*, ad malefaciendum; in *lingua*, ad maledicendum; in *pede*, ad vias iniquitatis percurrendum: in *corde*, ad suspicandum; *repugnantem legi mentis meæ*, id est; *Legi Dei*. Magnus est iste languor: morbus acutus & pestilens. Ego *ignem Sacrum* vocare soleo, vel communi magis vocabulo, ardentissimam febrem, si verum est, quod Celsus asserit: Febrem à feruore dici, quòd nihil aliud sit, quàm *calor natiuus, in ignem conuersus*: aut: *Immoderatus calor, præter naturam in corde existēs*, hinc Hispanis, *Febris* dicitur *calentura*.

Febris ardens.

HIC morbus non nisi refrigeratione, & medicinis refrigerantibus leniri potest; Hinc à febricitātibus, vt immodicè æstuantibus, quæruntur fonticuli, vmbræ, flumina Sed nulli sunt fontes magis limpidi, nullæ vmbræ magis amænæ, nulla magis salutaria flumina, quā quinque venæ, perpetuò scaturientes Christi in *Eucharistia*. Psal. LXVII. *Selmon mons Dei; mons pinguis*. *Selmon* interpretatur *vmbra*. Mons Dei, est Christus: Mons pinguis, consitus oliuis, verè oliuarum. Christus idem est *vmbra nostri* refrigerij: quia vt Glossator exponit, de corpore Christi manat *Vmbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiua vitiorum*, id est, febrilem ardorem, & carnalem concupiscentiam. Virgini Matri dicebat salutans Angelus: *Virtus altissimi obumbrabit tibi*. Vmbra fit de corpore & lumine: Lumen, est Verbū Dei: corpus, est caro Christi. Accessit lumen corpori, id est, Verbum carni. *Verbū enim Caro factum est*. Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigeriū percipit, quasi de vmbra gratiæ, quæ de ipso fluit. Idem est Ros, qui refrigerationi non minus, quam vmbra seruit. *Ego quasi* Ros, *& Israel germinabit quasi lilium*. Oseæ XIV.

Christus vmbra. *Ros.*

TERTIVS languor dicitur à Theologo *Macula cordis*: Sumus enim ab ortu omnes maculati, quia in peccatis concepti. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato*? inquit Sapiens Prou. xx Et Eccl. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Est apud Medicos inter morborum genera *Macula*: quo laborant, qui innata aliqua macula, nota, vel næuo deformantur, qualis ab omni peccato, tam originali, quam actuali imprimitur. Vis hanc *Maculam* exteri? *Si laueris te nitro, tamen maculata es in iniquitatibus tuis coram me*, inquit Deus. Ierem. II. Alio itaque vtendum medicamine, quo se purgatum refert Isaias cap. VI.

Macula cordis. *Medicamētum purgans & extersiuum.*

Volauit

Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulit de altari, & dixit: Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Lapis iste præcisus de monte sine manibus, & sumptus de altari, significat *Corpus Christi*, ait S. Thomas, & dum eo os cordis tangitur, peccatum veniale mundatur; Estque *Sacramentum Eucharistiæ*, totum quantum quantum, *extersorium*, & *purgatorium*. Gregorius M. *Dominus dedit nobis* Sacramentum salutis, *vt qui cotidie peccamus, & ille iam mori pro peccato non potest, per hoc remissionem consequamur.* Nec mireris, me Eucharistiam per *Calculum* indicatum dicere apud Isaiam: nam est illi inditum hoc nomen etiam alibi Apocalyps. II.17. *Vincenti dabo* Manna *absconditum: & dabo illi* Calculum *candidum: & in* Calculo *nomen nouum.*

Vibex. Cicatrix. QVARTVS languor primum morborum generalem comitans, appellatur à S. Thoma, *Offensa Creatoris*, de quâ est illud Deuter. IX. *Memento, ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum.* Quanto autem maior est culpa, tanto maior est contra peccatorem ira diuina. Zachariæ 15. *Ego iratus sum parum, ipsi autem adiuuerunt in malum.* Augustinus. *Iustitia Dei non finit esse dedecus culpa, sine decore vindictæ.* Hoc malum si Medicè exprimendum est, nominari potest, *Vibex*, vt enim Vibex est signum verberis; vel vestigium in carne remanens, ex vi verberis: aut *Cicatrix vulneris siue crusta*, aut, *victurum in cute punctum*, quæ post vulnus, aut corporis læsionem supersunt; ita peccato transacto, imò ipsa maculâ deletâ, manet nescio quid, *Reatum* vocant Theologi, iræ diuinæ & offensæ præcedentis signum. Et huic remedium est ab *Eucharistia*. Prouerb XXI *Munus absconditum*, nimirum, sub velamento Eucharistico, *extinguit iras.* Leuit. II. *Si de craticula fuerit oblatio, simila conspersa oleo, tollet memoriale de ipso, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino.* Panis in craticula coctus & oblatus, aspersus oleo, Christus est in cruce pro nobis passus, & totus vnctus Spiritu sancto. Huius Sacrificij memoriale est *Hostia*, quæ offertur in memoriam Passionis Dominicæ: Hæc super altari adoletur, id est, accenditur, quando in corde fideli, cum feruore desiderij ac deuotionis suscipitur. Hic odor suauitatis est Domino, vt ob eius gratiam remittat iram suam, & nos sibi reconciliet, & ad æternam pacem perducat.

Insania. Vacuitas. S. Thom. Opusc. 58. cap. 22. Inanijs oppleta sunt atq; aranea. SECVNDVS morbus generalis est *Defectus Gratiæ*, quem appellare possis *Paralysin*, quod hominem reddat sensibus pænè omnibus, id est, viribus ad operandum bonum destitutum. Sed hic quatuor secum languores trahit vehementes, ac periculosos.

Lippitudo. PRIMVS, est defectus cognitionis sui, quo plurimi laborant, & in aliquibus est mera *Cæcitas*; in alijs, *lippitudo* in nonnullis, *suffusio*; in quibusdam, *obtenebratio*; qui quæ non sunt, vident, aut videre videntur; vt muscas volantes, festucam in alienis oculis, nebeculam circa pupillam. Iam in orbe condito statim *Tenebræ fuerunt super faciem abyssi*; (*Gen. 1.*) quia ab initio cor hominis sui ignorantiâ fuit inuolutum, *Prauum est cor hominis, & inscrutabile; quis cognoscet illud?* (*Ier. 17.*) *Delicta quis intelligit?* (*Ps. 18. 13.*) quibus scilicet, vel alios peccare feci, vel aliorum peccatis consensi. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* (*Matt. 7. 3.*)

QVO remedio hôc oculorum vitium curandum? *Eucharistia. Comede fili mi mel, quia bonum est.* Prouerb. XXIV. Mel est sapientia Dei increata, in dulcissimum nobis

bis cibum præparata. Hoc bonum est, ad spiritualem *Medicinam*, quia illuminat mentem. 1. Reg. XIV. *Vidisti quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustauerim paullulum de melle.* Isa. VII. *Butyrum & mel manducabit omnis qui relictus fuerit: vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Ps. XXVI. *Accedite ad eum & illuminamini*: scilicet ad cognitionem Vestri.

Frigiditas immodica.

Secvndvs languor est ex defectu caloris natiui, & vocari potest *Frigus*: nimirum Caritatis orbitas, quem languorem prædixit Christus, Matt. XXIII. *Quoniam superabundauit iniquitas, refrigescet Caritas multorũ.* Ecclesiastici XLIII. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ex aqua.* Hic languor deprehenditur ex indiciis quibusdã, & signis exterioribus. 1. Ioann III. *Qui habuerit substantiã huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatẽ patientẽ, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Ieremiæ IX. *Vnusquisq; à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo nõ habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet; & vir fratrẽ suũ deridebit, & veritatem nõ loquetur.* Prou. X. *Pondus & pondus, Mensura & Mensura. Vtrumq; abominabile est apud Deũ.* Quo loco Glossator: *Diuersũ pondus, & diuersam mensurã habet in domo suã, vt aliter sibi, aliter proximo metiatur, qui in suis semper actibus, quæ laudentur; in proximi, quæ vituperentur quærit: & qui in temporalibus sibi maiorem, proximo minorẽ mensuram dare studet; quia defectũ dilectionis habet.* Expellitur hoc nociuum frigus, & caloris natiui, id est, Caritatis vis restauratur igne illo diuino, qui ex Eucharistiæ fornace flãmas iaculatur, Isa. VI. *Angelus tulit calculum de altari, & tetigit os Isaiæ.* *Calculus* est *Carbunculus* sic dictus, quia ignitus vt carbo, & significat corpus Domini de altari sumptum, & Caritate inflammatum, quia accendit amore corda fidelium.

Ignis in Eucharist.

Inappetentia.

Tertivs languor est *Inappetentia* cibi necessarij, ac salutaris. Vt in morbis corporalibus est stomachi deiectio, ita & in animæ inualetudine, qua laborant illi, quos, Theologi, defectũ in sapore spirituali habere dicũt. Hier. XXXI. *Omnis qui comederit vuã acerbam, obstupescent dẽtes eius.* Gregorius. *Quid est vua acerba nisi peccatũ? Vua quippe acerba, est fructus ante tẽpus. Qui enim præsentis vitæ delectatiunculis satiari desiderat, quasi fructus ante tẽpus comedere festinat. Sed qui vuã acerbam comedit dẽtes eius obstupescunt; quia, qui præsentis vitæ, & mundi delectationibus pascitur, interni sensus eius ligãtur, vt iam spiritualia sapere nequeant.* Præclara huius rei figuræ est, Numer. XI. in populo Israelitico, qui cũ in Aegypto, carnibus, allijs, ac cepis, fuisset satiatus, postea in deserto, similia concupiscẽs, panẽ cæleste, id est, Manna dulcissimũ cũ nausea, respiciebat. 1. Corinth. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei.* Augustinus. *Animalis dicitur carnalis homo, qui fertur dissoluta lascivia animæ suæ.*

Gustu Euchar. tollitur.

Inappetentia spirituali qui laborant, inuitantur à Psalmista ad Cœnam magnam Magni Patrisfamilias: *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* *Psal. 33.* Pulchrum & elegans est Encomium Iosiæ Eccles. XLIX. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij, in omni ore, quasi mel indulcabitur.* Iosia, qui interpretatur, *Fortitudo Domini* significat Christum, inquit Glossa. Memoria Christi, id est, Sacramentum corporis Dominici, quod in memoriam sui iussit consecrari, opus est odoriferum, veri pigmentarij, id est, Spiritus sancti, qui composuit de pretiosissimis speciebus, scilicet de Carne Virginali, & Sapientiâ Dei. *Hic quasi mel in ore cordis indulcoratur; si virtus eius in salutem humani generis piè cogitatur,* inquit S. Thomas,

Notæ.

Thomas, qui illud etiam adducit Cantico II. *Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi*, atque ita exponit: *Primò*, fidelis anima Christum desiderat, æstuat spiritu & siti. *Secundò*, vmbram desiderij in spe fructum obtinendi sentit. *Tertiò*, sedet, exspectat, orat, vt se totum ad reficiendam & viuificantem fructus infundat. *Quarto* infusam eius dulcedinem suauiter gustat

Opusc. 58. c. 22.

Cur quibusdam minime dulcis Eucharistia.

DICIT fortasse quispiam, sæpe sæpius diligentissime me ad sacram Communionem præparo, & corpus Domini percipio: nihil tamen, vel perparum solatij, ac spiritualis dulcedinis percipio. RESPONDET Angelicus Doctor, & diligenter notanda est obseruatio ijs, qui anguntur animi, dum post accuratam Confessionem, aliaque Synaxeos præambula, suauitatis internæ sunt expertes. Cibum Eucharisticum *Medicinam* esse hominis. Est autem periti Medici non vno eam modo adparare, & adponere omnibus. Quibusdam illam præbet dulcem palato; aliis amaram palato corporis sed suauem palato mentis: Vt quamuis non gutturi tamen benè sapiat rationi: quippe quæ sanam mentem delectat.

Medicinalis bolus diuersimode conditur.

SIC Dominus dat semper suum Corpus, dulce fidelibus, sed non omnibus eodem modo. Hinc est, quod quidã dulcedinem istam sapiunt per adfectum, & ardentiori delectantur deuotione: alij eandem dulcedinem sapiunt, per intellectum; & sufficienti reficiuntur vtilitate, in eo, quod credũt, & intelligunt per hũc cibum sanctum veram vitam obtineri. Igitur quamuis non sapias dulcedinem Domini priori modo; nẽpe adfectu dulcissimæ suauitatis: tamen sapere poteris posteriori, intellectu plurimæ vtilitatis

Dulcedinẽ Eucharistiæ valere contra tria mala quæ sunt in mundo. S. Thom. Opusc. 58. cap 19.

IAM verò, QVARTVS languor, est *Lassitudo* quædam virium animi, quem *torporem, marcoremq́*, diceret Medicus. Et oboritur in virtutis officijs, vnde fit, vt deficiant paullatim à benè cæptis, qui eo occupantur. Deprehendit illum Paulus Apost. in suis Galatis, quos acri idcirco admonitione exstimulandos indicauit; *O insensati Galatæ, sic stulti facti estis, vt cum spiritu cæperitis, nunc carne consummemini?* Prou. II. *Relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas.* Luc. VIII. *Qui supra petram, hi sunt, qui cum audiunt Verbum, cum gaudio suscipiunt, sed radicem non habent, scilicet, stabilitatem firmæ voluntatis, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Cant. VI. *Mane surgamus, & videamus si floruerit vinea, flores fructum parturiunt.* Glossator benè. *Non est intuendum, si vinea floret; sed si flores ad partum fructuum conualescunt: quia scilicet, non est mirum si quis bona inchoat, sed valdè mirabile est si intentione bona in bono opere perseuerat.*

Lassitudo membrorũ.

Ad Galat. 3. 1.

Torpor Panis Eucharistici tollitur.

Vis torporem eijcere, firmare mentem, in bono perseuerare? ad *Cœnam Magnam* frequenter te confer, & bolum confortatiuum sume. *Panis cor hominis confirmat*, Psalm. CIII. Quis ille panis? *Eucharisticus*, quia corpus Christi fideles suos in bona vita confirmat finaliter. III. Reg XIX. Comedit Elias panem, quem Angelus ei ministrabat, & venit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb. *Horeb*, interpretatur *Mensa*. Mons igitur iste, est mons mensæ Dei: & significat societatem cælestis gloriæ. Itaque *Panis*, qui est *Corpus Christi*, confortat nos in bona vita, & bono opere quadraginta diebus ac noctibus, id est, toto tempore præsentis pœnitentiæ, vsque ad Montem & Mensam Dei, hoc est, quousque veniamus ad altitudinem securitatis, & satietatem dulcedinis æternæ gloriæ.

Præ-

Quatuor fructus Eucharistiæ.

Præclara profectò animæ *Medicina*, quæ intellectum ad se cognoscendum illuminat; Voluntatem siue Adfectum in dilectione DEI inflammat: Memoriā spirituali dulcedine delectat: totum hominem in bono confirmat. Quos Medicinæ huius fructus contemplatur S. Thomas in facto Prophetæ Elisæi, IV. Reg. 4. *qui incubuit super puerum, posuitq́, os suum, super os eius, & oculos, super oculos eius, & manus super manus eius, & calefacta est caro pueri.* Per *puerum*, inquit, *Fidelis anima*; Per Elisæum *Dominus*, significatur: qui, sicut sigillum ceræ, sic se coniungitur animæ, oculos suos, super oculos eius ponit, quia intellectum illuminat: carnem calefacit, quia adfectum Caritate inflammat: os super os ponit, quia gustum memoriæ dulcedine spirituali delectat: manus super manus ponit, quia in bono opere vsque in finem conseruat, & sic totum hominem perficit, vt ad finem ęternum perducat.

QVID posset accedere ad Medicinæ huius efficaciam? Sed est quidpiam adhuc, quod magis admireris. *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.* cantatur à pueris in triuio. Verè, si de Medicina corporali intelligatur; falsò, si de *Magna Cœna* medicinali ferculo, quod est, vt B. Ignatius loquitur, PHARMACVM IMMORTALITATIS, & valet contra mortem ipsam. ô Medicamen incomparabile! Itaque

Mortis plaga. S. Thom. Opusc. 58. cap. 23.

QVARTAM, à peccato inuectam calamitatem, considerat Theologus *Mortem*, aut eius plagas: & quattuor omninò sunt, vt Compleatur duodenarius languorum numerus.

Debitum Mortis æternæ.

PRIMA plaga, eaque luculentissima, est *Debitum mortis æternæ*. Hanc insinuat Paulus, sed artificiosè. Rom. VI. *Ego carnalis homo venundatus sub peccato.* Nam primi nostri parentes vendiderunt se, ac suam posteritatem ad perpetuam seruitutem Diabolo, id est, ad æternam mortem, pro modica peccati delectatione. Gen. II. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, id est, te & posteritatem tuam ad æternam mortem obligabis. Rom. VI. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Mors, id est, Certitudo mortis temporalis, & debitum æternæ mortis, nisi subueniret Redemptio Saluatoris. Ephes. II. *Eramus omnes filij iræ, sicut & ceteri debitores æternæ mortis.*

Tollitur per Eucharistiam. Ioan. 6.

HANC plagam perfectissimè sanat malagma Eucharisticum. *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Hic est Panis de cælo descendens, vt si quis ex eo manducauerit, non moriatur*: quia, scilicet, non solùm ab æternâ morte, quæ est in inferno, sed etiam ab illa, quæ fuit in limbo, virtute Corporis Christi liberatur. Immo breuis mors corporis, in vitam æternam, quæ in cęlis, commutatur. Oseæ. III. *De manu mortis liberabo populum meum.*

Extenuatio.

SECVNDA plaga, est *Extenuatio viriū*; *Defluxus bonæ vitæ*, inquit S. Thomas, de quo Psalmo CI. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt* Psalm. XI. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus.* Gen. XLIV. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt pauci, & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorum.* Gen. VI *Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et huic plagæ est remediū ab Eucharistiâ. Ioan. VI *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*, nimirum, pro multiplicandis meritis bonæ vitæ. Vt enim infantulus per cibum corporalem crescit magnitudine, robore, & decore, sic fidelis, per hunc cibum spiritualem

lem

lem profuit meritis bonæ vitæ. Ioann.x. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Multiplicabis in anima mea virtutem*, inquiebat Dauid Psal.cxxxvii.

Tremor perpetuus. TERTIA plaga est, *Tremor* quidam *perpetuus*, & motitatio, qualis solet esse eorũ, qui à Phalangijs icti sunt, nec quiescere vnquam possunt: hanc nominat Theologus, *Exilium mundanæ miseriæ.* Post peccatum enim emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis; Et clamamus etiã num omnes: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est.* Psal.119. Hoc etiam malũ, vel lenit, vel omninò tollit Eucharistiæ vniuersale remedium. Est enim *Panis viuus* perducens à vitâ hac mortali ad immortalem Ambros. *Dominici corporis figura præcessit, quando Dominus in deserto Patribus manna pluit*; quia sicut ille *Panis* populum, per desertum ad terram promissionis duxit, hæc esca cælestis fideles huius sæculi desertum transeũtes in cęlum subuehit. Hinc *Viaticum* appellatur, quod in viâ reficiens, viatoribus robur addat, & ad metam vsque comitetur. Christi vox est in Eucharistiâ, quæ est Ieremiæ xii. *Reducam eos: virum ad hereditatem suam.* Prou.iii. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Vbi Glossator bonus: *Sicut in Paradiso fuit lignum vitæ; ita per sapientiam Dei, quæ est* Christus, *viuificatur Ecclesia, cuius nũc Sacramento Corporis & sanguinis vitæ æternæ accipit pignus.* Si autem Corpus Christi sumptum pignus est vitæ æternę: & pignus non dimittitur, donec id, pro quo impignoratur, accipitur, profectò per hoc ad vitam æternam perducimur.

Gen.3.

Incineratio. QVARTA Plaga nominatur à Theologo: *Incineratio* corporalis materię. Imus omnes in terram de qua sumpti sumus. Adamo dictum est post peccatum, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de quâ sumptus es: quia puluis es & in puluerem reuerteris.* *Memento, quæso,* orat Iob, *quod sicut lutũ feceris me.* Et vere, *Omnis caro est fœnum.* Et, *sicut folium in arbore viridi* Eccles. xiv. Quo loco Glossator, *sicut fœnum in terrâ, & folium in arbore crescit, virescit, marcescit, arescit, & deijcitur, ita caro nostra.* Quæ curandi ratio? Per Eucharistiæ medicamentum, *Qui manducat meam carnem*, inquit Dominus ipse, *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Resuscitabuntur quidem omnes, sed non omnes ad gloriam, *Omnes*, inquit Paulus, *resurgemus, sed non omnes immutabimur*, 1.Cor.ix. *quia soli electi propter Corporis Christi participationem*, scilicet Sacramentalem, vel spiritualem surgent, inquit Angelicus Doctor, *sole pulchriores*: Reprobi resurgent infirmi, & deformes. Dan xii *Qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam*; qui Et fulgebunt, *quasi splendor firmamenti: alij in opprobrium.* A quo vos liberet Deus sempiternum.

Gen 3.19. Iob.10.9. Isa.40.6. Eccl.14 18. Ioan. 6.

Diximus nonnihil de *Magna Cena*, vel de vno eius magno bolo, cuius comparatione tam parua sunt, vox, conceptus, Oratio, vt nihil videri possint singula: immò reuerà nihil sint omnia. Quare gustare velim potius medicinalis huius ferculi dulcedinem, quam multis verbis, vim, efficaciamque exponere. Et vos quæso, *gustate, & videte quam suauis sit Dominus.* Gustatur, non tam dicendo. & audiendo, quàm suspiriosis tractibus aspirando, & columbulæ instar solitariæ suspirantis, identidem gemendo, O!

Adoro Te deuotè latens Deitas:
Quæ sub his figuris verè latitas.
Tibi se cor meum totum subijcit,
Quia Te contemplans totum deficit.
O Memoriale Mortis Domini!
Panis verus, vitam præstans homini.

S *Præsta*

Præsta meæ menti de Te viuere:
Et Te illi semper DVLCE *sapere.*

NOTAE.

ERVDITE *quædam congessit ad hunc titulum exornandum Ludouicus Cresollius li. tertio Mystagogi cap. 28. quod est de Christiano Sacrificio, & liturgiâ piè celebrandâ.*

§. EVCHARISTIA] *& est Sacramentum, & Sacrificium, vtroque modo vim habet Medicam. Heraclitus olim Sacrificia nominabat* Medicamenta, *quod purgent, inquit Iamblicus lib. de myster. animam à morbis in hac generatione concretis. Hoc de Ethnicorum illis Sacrificijs falsum, de Sacrificio Christiano, & Eucharistico verissimum est.*

§. COENA.] *S. Dionysius de Ecclesi. hierarch. cap. 1. Cœnam Eucharisticam vocat* Epulum. *Vel, vt verbis illius vtar* ἑστίασιν τὴν ἱερωτάτην νοητῶς, καὶ θεῶσαν Conuiuium, quod mentem alat, & Deificet, vel Deum efficiat. *In hoc Conuiuio Bolus ille medicatus, sine vlla comparatione, longè exuperat, &* Helintrapezan *Aethiopum, & Imperatoris Adriani* Tetrapharmacum, *& Tantali Phialam, dulcissimi amoris conciliatricem, vnde Iarchas, & Brachmanæ omnes hauriebant. In huius Conuiuij luce nec memoretur cerebrum Iouis, nec tuceta Principum, nec mensæ Pontificum, nec Saliorum dapes, nec Colicium Augustorum, quem candidissimum panem fuisse aiunt* Imperatorum *Orientis: quemq; honoris caussa principibus viris donabant, vt meminit Curopalates.* Curop. de off. *Hic autem est cælestis, & Imperatorius verè Panis, in quo reperitur candor lucis æternæ, & omne delectamentum suauitatis.*

Calydonij in Britannia, vt auctor est Zonaras, parant quoddam edulij genus, de quo, si fabæ magnitudine gustauerint, neq; sitiunt, neque esuriunt. Zon. in Sauer. *Id, si verum est, quis non videt, esse quandam adumbratam effigiem nostri huius cibi tam mirandi? de quo in hunc modum Christus aliquando pronunciauit:* Ego sum Panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquam. *Ioan. VI.*

Audio Medicos veteris æui doctissimos, cibos quosdam nominantes πολυχρήστους, *non modò, quod sint multis in vsu, verùm etiã multo magis, ob præstantem eorum vim, & saluti hominum conuenientem. A quibus dum oculos, & cogitationem meam reflecto ad hanc Mensam, in domo Dei propositam, exclamare lubet, ô Polychrestum libum! ô panchrestum epulum! in omnem partem vtile, in quo nihil desideratur, quod ad sanæ, & beatissimæ vitæ genus pertinere possit.*

§. LANGVOREM tollit] *Nullum est* Coliphium *Athletarum, quod vim tantam & robur habeat ad corroborãda latera, & toros lacertorum firmandos, quàm Panis Eucharisticus. Sed, vt canit Poëta quidam:*

Luctantur paucæ, comedunt Coliphia paucæ. Iuuen. sat. 2.

Ita verendum est, ne pauci, prout par est, Panem hunc comedant: vnde infirmi etiam multi, & summa animi imbecillitate labantur. Atqui vt Celsus, Medicus eruditus, doctè & sapienter monuit: Si malum *inueterauit, athletico victu corpus firmandum est.* Cel. lib. 4. c. 6. *Vel vt ego, more Christiano loquar, & præclari Medici effatum ducam in rem nostram. Si quis debilis & infirmus, imbecillitate virium languescat, ad diuinũ Seruatoris Coliphium est confugiendũ, quo vires, atq; robur animi incredibiliter augetur. Ita enim Panem athleticum nũcupauêre, à κῶλον & ἶφι, hoc est,* à robore membrorum *Hinc exoritur felicissima illa Sagina, de qua diuinitus in libro de Resurrectione Tertullianus:* Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Tert. lib. de resur. cap. 8. *Et alio in opere,* Dominici Corporis Opimitatem *appellat:* lib. de pudic. cap. 9. *Rectè autem vidit naturæ Mystes Aristoteles,* λιπαρὰ, Opima, *non putrescere, quod humida sint, atq; aërea: vita autem in humido, & calido consistat.* Arist. lib. de long. vit. *Ita necesse est animas Pane Eucharistico opimas, & diuina pinguedine redundantes*

dantes, in optimo hærere statu, nec vllius aduersarei vi, & potentia debilitari. Ille est Panis cor hominis confirmans, *quo viuidi sumus, & valentes: sine quo deficimus, & languemus. Verè, & eleganter S. Augustinus:* Reficieris, si accesseris; deficies, si recesseris.

Ps. 103. 15. S. Aug. tract. 21. in Ioan.

§. Fomitis, & Concupiscentiæ ardorem mitigat, & refrigerat] *Extinguit libidinem, membrorum legem moderatur, concupiscentiæ tyrannidem coërcet, frenat Asmodæum impurè titillantem, impuras à mente cogitationes potenter exurit. Habet enim vim mirabilem ad delendum* ῥυπαρὸν φίλτρον, obscænum amorem, *vt sapienter ostendit Gregorius Nyssenus homilia* VIII. *in Eccles. Idemq; in Oratione catechetica cap.* XXXVII. *eleganter dicit Hominem, huius Sacramenti virtute, fieri* μέτοχον ἀφθαρσίας, incorruptionis participem, *castum, innocentem. Atque vt offa Poëtica Cerberum, sic mirabilis hæc Prophetica placentula, fomitem in nobis, & concupiscentiam, vt truci pitem belluam sopit, & lasciuientis carnis appetitiones coërcet. Miseranda illa ab Euangelio mulier, quæ tot annos sanguinis fluxum patiebatur, subitò, vt sacræ vestis oram tetigisset, persanata est, & puritati, valetudiniq; restituta: quantum igitur præsidium esse putemus in ipsius corporis tactu, à quo beneficam exire virtutem in sacris monumentis videmus, ad luxuriæ fluxum restinguendum, ad innocentiã mentis, ad adfectuum omnium purgationem? Nec illud præterit, ait S. Ambrosius, quod* conio plerumq; furores libidinum marcuerũt: *nos vim minorem huic cælesti Amuleto, mirabilium opifici tribuemus?*

Luc. 8. 44.

Amb. l. 3. Hexam. cap. 9.

§. Morbos omnes curat.] *Vt diuina Panacea morbos animi omnes sanat & coërcet. Quo respiciens Tertullianus,* Eucharistiam vocat Medicam, *quod malorum omniũ Medicina n Deus in ea constituerit. Habent remedia bruta animantes sua, ad quæ sponte naturæ, n petuq; prono conuolent. Canis gramine, viperæ Ceruus, Sus cancris fluuialibus, Leo simiarum esu medetur sibi, vt ait Tatianus. Ouis citisum, formicam Vrsus, viscũ Turdi, Caprea vulnerata dyctamnum quærit. Notatq; S. Amb. feram omnẽ ægram, hausto canis sanguine curari. Nobis autem* Calicem DEVS *prouidentissimè exhibuit,* DEI *sanguine ad vniuersi bonum redundantem: cuius haustu nullum malum est, tam animo insitum, tam perniciosum, quod non curari posit. Hinc Hygia & deuota Salus, nos quasi manuducit, & præparat cælo, & æternitati. Diuinè S. Hilarius.* Per illum cibum, & in præsens saluamur, & ad DEI consortium præparamur.

Ter de pud. c. 8.

S. Amb. l. 6. Hex.

S. Hil. in Psal. 64.

§. Inappetentiam sanat.] *Fit sæpè, vt externis implicati negotijs, & studiorũ varietate, aut cupiditatibus irretiti, aut quotidiana consuetudine hebetiores, nil curent minus, quàm, quod omni contentione quærendum est: & tantum non dicant cum vecordi illo populo & ingrato,* Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. *Itaq; aridi manent, & ieiuni, vixq; tantæ suauitatis gustum illũ habent: quemadmodum si hermodactylum comedissent, quod filij Medicorum, vt contrarium valetudini rejiciunt. Quippe facit homines cibi fastidientes: quos Græci ἀσιτους; vel stomacho omnia respuente, inappetentes, quos ijdem ἀνορέκτους appellant, ait Paulus Aegineta. Neq; multum à grauidis mulieribus discrepare videntur, quæ malacia laborant, quam κίσσαν, hoc est* Picam *veteres indigetarunt, ob multiplicem colorũ varietatem, quæ in auicula ista cernitur.*

Num. 21. 5.

Ægin lib. 3. cap. 78.

Idem lib. 1 cap. 1.

Huic morbo remedium esse opportunum Archiatri monent, si placẽtas, aliaue opera è tritico perfecta adhibeant. In ea verò hominum nausea, & cælestium rerum contemptu, quam aliam adhiberi posse Medicinam putemus; nisi hanc diuinam Placentam, cuius desiderium commẽdamus. Nemo igitur in ea Sacrificij parte langueat, omnes erecti, omnes obliti rerum aliarũ cum Prophetico Ceruo ad Dominum sitientes, ad Communionem anhelantes, cum Daniele, viri desideriorum. Plura ad hoc argumentum suppeditat Lud. Cresollius loc. cit.

COMMENTATIO XI.

DE

Eucharistia,

Quâ est Pharmacum Immortalitatis.

In quâ demonstratur, institutum fuisse Sacramentum Eucharistiæ, vt sit Cibus medicinalis. Congruentissimam autem esse hanc Medicinam, *Primò*, ad congruam curationis inchoationem. *Secundò*, ad integram curationem. *Tertiò*, ad firmam sanitatis conseruationem. Denique, ostenditur esse Medicamentum Stupefaciens, Purgans, Abluens, Abstergens, Pyroticum, Lacteum, Curatiuum venialium.

In festo Corporis Christi.

Qui manducat hunc Panem, viuet in æternum. Ioan. VI. 60.

Dominica infra octauam Corporis Christi.

Homo quidam fecit Cœnam magnam. Lucæ. XIV. 16.

Eucharistia medicamentum.

INTER innumera EVCHARISTIÆ encomia, illa maximè fidelium mentes aduersa valetudine cōflictatas alliciunt, quæ à re Medica sumuntur; & præstantissimum illud religionis Christianæ Sacramentum, lethalibus omnibus morbis resistere, mortemq; ipsam arcere demonstrant. Quod egregiè expressit Deo plenus Ignatius, qui epistola ad Ephesios, Corpus Christi, Eucharisticis inuolutum exuuijs, φάρμακον ἀθανασίας: ἀντίδοτον μὴ ἀποθανεῖν: MEDICAMENTVM IMMORTALITATIS: ANTIDOTVM CONTRA MORTEM appellare nō dubitauit. *Alimoniam immortalitatis* dicit Ecclesia, dum supplicat hac verborū formula. *Immortalitatis alimoniam consequuti, quæsumus Domine, vt, quod ore percepimus, pura mente sectemur.* D. Ambrosius illud *Medicinā* nominare satis habuit: ne, si qualis sit *Medicina*, adiungeret, infinitam eius vim circūscripsisse videretur. *Qui vulnus*, inquit, *habet*, Medicinā *requirit: vulnus habemus, quia sub peccato sumus*: MEDICINA *est, caleste, ac* VENERABILE SACRAMENTVM.

Dominica 21. post. Pēt. Coll. post. Comm.

ET sanè, summo vir ingenio, ac Sacramenti huius laudator eximius, Thomas Aquinas, dum caussas institutionis Eucharistiæ diligenter inuestigat, non postremum esse opinatur istam: vt sit MEDICAMENTVM generis humani. *Tertia*, ait, *institutionis caussa, est* CIBVS *hominis: Cibus*, inquam *Medicinalis,*

S. Thom. Opusc. 48. de SS. sacra. cap. 6.

nalis, contra pomi mortiferi corruptionem, quæ tam praua infusa est per primos parentes humano generi, vt esset INCVRABILIS, *nisi subueniretur* MEDICINA *optima, quam posset facere prudentia Dei.* De hac est illud Ecclesiastici cap. XXXVIII. *Altissimus de terra,* (id est, de carne Virginis) *creauit Medicinam: & vir prudens non abhorrebit eam.* Porro, vt intelligas, quam necessaria fuerit Medicina corporis Christi, ratiocinatio est Aquinatis, aduerte: Serpentem malignum infudisse homini per venenum cibi vetiti triplicem corruptionem: In anima, *Tenebras ignorantiæ:* in corpore, *Morbum concupiscentiæ: Mortem* vtrobique. Contra hæc institutum est *Medicamentum corporis Christi*, tenebras Ignorantiæ illustrans: morbum concupiscentiæ sanans: mortem nostram mortificans.

Tria capita necessitatis Eucharistiæ ALTIVS rem ipsam repetamus, ex Medicinæ principijs. Tria sunt, ob quæ potissimum expediebat eiusmodi remedium languenti nostræ naturæ instituere. *Primum*, congruam curationis inchoationem respicit. *Alterum*, integram curationem spectat. *Tertium*, ad firmam sanitatis conseruationem pertinet. *Inchoatio sanitatis humanæ per Eucharistiam.* Vt primum caput innotescat omnibus, contemplemur incunabula infirmitatis humanæ. An non cæpit ab esu cibi vetiti? *Gen. 2. 17.* Imperauerat DEVS: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacũq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. II. hoc est, certò, indubitatè, sine vlla remissione. Ita factum, vti dictum. Vidit homo cibum: placuit: comedit. Vtinam trabs illi vtroque in oculo pupulam tam diu tenebrasset, quam diu illecebrosa cibi illius fuit propositio. Quam primum peccauit, mortuus est statim, quoad animam: quoad corpus, mortem accelerauit, cùm potuisset vitam diutissimè prorogare: & Diuina beneuolentia, secundum nonnullos, si non peccasset, potuisset non mori: propter peccatum moriendi necessitati subiectus. Hoc morborum, mortisque fuit exordium.

ITAQVE conuenientissimum erit, si vitæ, ac sanitatis sit haud dissimilis origo. Cibus ægritudinem attulit: cibus sanitatem restituat. A cibo vulnera: à cibo sint remedia. Cibus mortem inuexit: cibus medicinę sit vehiculum. Cibus pestilens mortem introduxit: cibus salutaris vitæ sit initium. Vincatur esca Diabolus, qui per escam vicit. Simplicissimè Aquinas: *Sicut initium corruptionis, & mortis cæpit à cibo vetito: scilicet, ligno scientiæ boni & mali: sic initium iustificationis, & vitæ incipere debuit à cibo: scilicet, ligno vitæ: id est, à corpore Dominico:* de quo Ioann. VI. *Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atque ita constat congruam fuisse curationis humanæ inchoationem per *Eucharistiæ Sacramentum* à Christo D. institutum.

CAPVT alterum, quod perfectam curationem cõtinet, ita illustrari potest. *Perfecta curatio per Eucharistiam.* Infirmitatum humanarum auctor Serpens, cuius inuidia mors intrauit in orbem terrarum, vt scribitur Sapientiæ secundo cap. pomi prohibiti pestifera cõtagione triplicem corruptionem homini immisit, vt anteà insinuauimus, *Ignorantiam, Concupiscentiam, Mortem*: seu, *Tenebras, Morbum, Interitum.* Tenebras intellectui effusas agnouit statim Eua, quæ examinata à Deo, ingenuè est confessa: *Serpens decepit me, & comedi*: id est, oculos intelligentiæ mihi eruit: & venenatum, quem obtrusit bolum, momordi. *Gen. 4. 13.* Huc spectat istud Psalmi XLVIII. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* *Psal. 48. 13.* Vbi de casu primorum parentum esse sermonem Patres Sancti arbitrantur.

S 3 Nimi-

Nimirum, peccati malignitate ad illam cæcitatem, mentis alienationem, stuporem, ac insipientiam peruenerunt, vt bestijs, quàm hominibus videri potuerint similiores. Siquidem à naturæ suæ nobilitate degenerantes, rationem præclaræ imaginis, ac similitudinis Dei, ad quam facti erant, contempserunt: imò conculcarunt, ac ijs rebus, quæ sensibus tantummodo blandiuntur, sese, velut mero, ingurgitantes. Mysticè ad hunc sensum accommodat S. Thomas, quod scribitur Genes.1 *Tenebræ*, nempe, ignorantiæ, *erant super faciem abyssi*: hoc est, humani cordis ex Diaboli deceptione.

Genes.1.26.

Genes.1.2.

SECVNDÆ corruptioni, quæ est concupiscentia, testis locuples est Paulus Apostolus, tùm alibi, tum epistola ad Galatas, quinto capite. Vbi, *Caro*, inquit, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*. Cui pronuntiato adiunge, quod est in epistola ad Romanos cap. VII. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Sensus est: siquidem confiderem hominem internum, qui spiritu, ductuque Dei impellitur, nihil sanè amabilius, aut delectabilius lege Dei mihi obuersatur: animaduerto tamen interim in homine exteriore, membrisque meis legem aliam, sæuam, ac trucem, illi legi reluctantem, quæ mentem à terrenis ad cœlestia; à temporalibus ad æterna, ab humanis ad diuina euehit. Profectò, tam est vehemens impetus legis illius carnalis, vt benè hominem voluptatum illecebris irretitum, captiuum ducat, & in quamcumque partem circum agat. Lex in membris, inquit D. Thomas, *Morbus est concupiscentia*, mouens membra ad actum malitiæ. Potest quilibet de se dicere, quod Bernardus acutè ac ingeniosè differit sermone LXXXI in Cant. ac breuiter eadem ferè verborum complexione Augustinus lib. 1. de Nuptijs ac concupiscentia. *Mente seruio legi Dei, non consentiendo legi peccati: carne autem seruio legi peccati, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo.*

Galat 5.7.

Lib.1. de nup. & conc. cap.31.

TERTIAM corruptionem, quæ est à Morte, exponit Sapiens libello, quem titulo Sapientiæ ornauit: in quo cap.2. *Inuidia*, inquit, *Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum*. Diabolus inuidens felicitati humanæ, induxit ad peccandum esu pomi vetiti parentem nostrum primum. Peccatum autem fuit mortis caussa. Hęc in vnum colligit Augustinus, dum sic disserit: *Si Angelus de proprio ruens paradiso, non esset auditus, non præcipitaremur in mortē: sed venit de cœlo lapsus serpens foris, & emisit de proprio, loquutus est de suo: Gustate, & eritis sicut Dij. Et illi appetentes, quod nō erant, amiserunt, quod acceperūt*: scilicet, vim intellectiuam: vitæ iustitiam: non moriendi possibilitatem.

Corruptio à Morte.

Augustinus apud S. Th. Opusc.48. cap.6.

IAM verò, quoniam venenoso hoc cibo triplicem corruptionem inimicus afflauerat; necesse fuit (verba sunt Aquinatis) vt ad integram curationem, *Medicus*, hoc est, Saluator noster cibum medicinalem contra hæc tria daret. Hic autem est CORPVS eius, quod piè recipientium ignorantiæ tenebras illuminat: morbum prauæ concupiscentiæ sanat: & mortem destruendo triumphat. Eucharistiam ignorantiæ tenebras expellere, mentemque illustrare omninò certum, & alia commentatione fusius demonstratum. Hic solum refero, quod habet Cyprianus, Oratione de Cœna. *Panis hic azymus cibus verus, & sincerus, per speciem, & Sacramentum nos tactum sanctificat*,

Triplex Medicina in Christi corpore.

Eucharistia illuminat.

cat, FIDE ILLVMINAT, *veritate Christo conformat. Et sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ*; & SANITAS MENTIS.

Concupiscentiam sanat. NON minus autem ad alteram illam corruptionem, quam concupiscentiam appellamus, curandam valere Eucharistiam, in cõfesso est. Hic mihi opportunè Manna sese offert, illustre symbolum Eucharistiæ. *Exod. 16.* Manna dum plueret Dominus, mane ros iacebat per circuitum castrorum: cumque operuisset superficiem terræ, apparebat in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Panis igitur cœlestis, vt ratiocinatur S. Thomas, ad similitudinem pruinæ, rorisque apparebat: quia corpus Domini à feruore prauæ concupiscentiæ refrigerat. Vnde est illa S. Ambrosij pia supplicatio, locata inter illas, quæ ad Missam inscribuntur primo loco. REX *virtutum, castitatis, & integritatis amator* DEVS, *cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis: vt maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos: & omnes libidinis commotiones: & da mihi veram, & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, vt sacrificium laudis casto corde, & mundo corpore tibi valeam offerre*.

Efficacia Eucharistiæ ad stimulos carnis comprimendos. ET hoc propriè spectat ad Eucharistiam, quam habere salutiferam efficaciam non solum in anima, verùm etiam in corpore dignè suscipientis, moderando peccati fomitem, aliosque bonos affectus excitando, vt promptius ac iucundius homo virtutis officia exequatur, docent Theologi: eandemque asserunt Concupiscentiæ ardorem restinguere: nimias sensualitatis commotiones reprimere: deuotionem excitare. Sicque Patres antiqui passim de hoc salutis remedio prædicant.

Cyril Catech. 4 CYRILLVS Ierosolymitanus catechesi quarta mystagogica: *Animam*, inquit, *& corpus sanctificat*. *Corpus sanctificat.* Damascenus lib. IV. de fide cap. 14. *Cedit in animæ & corporis præsidium*. Ac interdictis nonnullis: *Corpus & sanguis Christi ad animæ, & corporis nostri incolumitatem tendunt*. Chrysostomus verò hanc medicinalem vim respiciens: *Chrys. Hom. 4. in Matth.* *Quonam* inquit, *modo ab hac tam noxia peste liberabitur*? (agit de æstu iracundiæ) *si illam vtique potionem bibamus, quæ omnes intra nos serpentes, vermesque, mortificat. Et quodnam*, inquies, *istud est poculum, quod eam vim habet? dicam. Est preciosus Christi sanguis, si cum fiducia sumatur*. Amæna profectò loquutio aurei illius oris, quæ mihi in mente reuocat factum Danielis. *Daniel. 14.* Colebant Babylonij draconem, serpentem lubricum, ac funestum, *Franc. Valles Philos. Sacr. ca. 12.* quem, vt interimeret Propheta, tulit picem, adipem, ac pilos, & coxit, fecitque massas, & dedit in os draconis, qui diruptus est. Vexat te draco lasciuiæ: hæret in imis serpens tortuosus hypocrysis: iræ anguis viscera commouet: vnicam massam ex adipe frumenti his cerberis obiicias, Chrysostomi iudicio, ab omni peste, deletis bestijs, liberaberis. Nimirum, Eucharistia vim habet longè maiorem ad noxios omnes affectus eijciendos, quàm bolus vllus purgatorius, vel dilutum quodlibet hoc fine paratum.

D. CYRILLVS Alexandrinus lib. III. in Ioannem cap. XXXVII. & lib. IV. cap. XVII. *Pias, quæso, cogitationes suscipias, studiosè sanctèque viuas, & benedictione participes, quæ, crede mihi, non mortem solùm, verùm etiã morbos oẽs depellit*. Sedat enim cum in nobis maneat Christus, sęuientẽ mẽbrorum nostrorum legem: pietatem corroborat,

borat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus sumus peccatis considerat; sed ægrotos curat, collisos redintegrat: & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ouibus posuit, ab omni nos erigit casu. GREGORIVS Nyssenus in oratione categetica hoc Sacramentum vocat *Salutare Medicamentum* prauas nostri corporis affectiones corrigens. Eodem modo adfirmat S. Bernardus, quod Sacramentum Eucharistiæ minuat sensum in minimis. Et D. Ambrosius, Eucharistiam ait mitigare affectus fidelium, vt curas seculi huius, metum mortis, sollicitudinemq; te deponant. Atque in hunc fere modum exponit S. Hieronymus illud Zachariæ IX. *Vinum germinans Virgines.* Idcirco in Catechismo Romano, Pij V Pontificis iussu edito, dicitur hoc Sacramentum carnis libidinem cohibere. Huc spectat, quod docet Cassianus: Dominici corporis virtutem valere magnoperè ad coërcendas corporis pollutiones, aliasque Dæmonis illusiones. Et, quod mireris, auctor recens Leonardus Varius Libro III. de fascino, memorat, adolescenti luxuriæ stimulis ardenter sollicitato Neapoli, eaque de re detrectanti ad Eucharistiam accedere, persuasum fuisse, vt benè paratus illam sumeret: simul, vt fecit, sublatum illud incendium, sic, vt nullæ in posterum reliquiæ superessent. Nescio an memoriæ vestræ inhæreat, quod dixi haud ita pridem: Solem mundi in mensa Eucharistica, & comedentem illustrare. Sole autem exoriente, ferarum greges antra petunt. *Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur,* canit Psalmista. exagitent te perturbationes, tanquam catuli leonum rugientes: adfectus infruniti, & effrenatæ passiones insurgant: modò hunc solem in te oriri facias, ad specus ac cubilia se recipere compellentur.

Or. Catech. cap. 37.

Serm. de Cœna Domini.

Serm. 15. in Psal. 118.

Collat. 22. cap. 6.

Psalm. 103.

PORRO sanat Eucharistia Concupiscentiæ morbum bifariam: directè, indirectè: Physicè, moraliter. Siue augendo caritatem: dum autem augetur caritas, minuitur cupiditas. Siue affectus excitando in voluntate, è quibus redundet in appetitu moderatio concupiscentiæ, omnisque voluptatis terrenæ. Siue excitando alia phantasmata; atque ita humores ac spiritus animales commouendo, vt optimi in animo adfectus consequantur. Siue temperamentum hominis alterando. Cùm enim fomitis, ac concupiscentiæ modus multum dependeat à temperamento, & materiali actione, illiusque alteratione; habet Eucharistia vim moderandi temperamentum, remittendi v.c. calorem nimium, atque paulatim ardorem libidinis extinguendi. Quod fieri potest, vel immediate ab ipso Sacramento, modo supernaturali; vel applicando caussam aliquã naturalem, ex qua talis effectus sequatur. Sicut Extrema vnctio alterutro ex ijs modis salutem confert corporis, siue auxilijs quibusdam peculiaribus. Sacramenti enim huius intuitu, dantur subsidia quædam supernaturalia, quibus excitantur cogitationes, & affectus boni, infringitur impetus Dęmonis, & occasiones peccati arcentur.

Eucharistia sanat concupiscentiã bifariam.

CERTE maiorem ad medendum virtutem habet hoc *Manna* cœleste, quã illud pharmacopæorum, Medicorumve: quod cum antiquo illo Hebræorum magnam similitudinem habet: estque calidum, & humidum: & colligitur in calidis regionibus. Ore susceptum, palatum, faucesque dulcedine imbuit: sicq; gulæ, ac faucium asperitatem lenit. Ventrem, vt cassia fistularis, & cilindracea emol-

Manna vulgare.

emollit: at multo clementius: ideoque impuberibus, seniculis, ac prægnantibus est commodum. Nulli Medicamentorum caliditate cedit Eucharistia: quod hanc ob caussam vocatur *Sacramentum Caritatis*, & docet S. Thomas Sicut autem DEVS noster, *Caritas*, ita *ignis consumens est*. Quid, si, vt *Caritatis*, ita *Sanitatis* dicas? Sanè Augustino, *Caritas* & *Sanitas* Synonyma esse videntur. Quod, vt verum, alibi à nobis est probatum. *Catholica Ecclesia*, inquit Augustinus, *est corpus Christi, sicut Apostolica doctrina commendat, qua eius coniunx etiam dicitur. Corpus ergo suum multis membris diuersa officia gerentibus, nodo vnitatis, &* CARITATIS, *tanquam* SANITATIS *adstringit*. Nec minus Manna cœleste, quam aëreum humectat, dum arentem spiritum cœlestis spiritus humore irrorat. Palatum, faucesque animi dulcedine incredibili imbuit: ac faucium asperitatem: nimirũ, adfectuũ, per quos ad Deum preces transmittendæ sunt, scabritiem lenit. Intemperantiæ ventum ad mediocritatem deducit. Denique, nulli non est quam maximè viuificum ac salutare.

S. Thom. 3. p. q. 79. art. 4. ad 3.

L. de doctr. Christ. c. 16.

SANITATEM autem huius Medicinæ nullus dignè exprimere sufficit, *per quod spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur*, vt inquit Sacramento Eucharistico addictissimus Aquinas. Cibat hic nos *adipe frumenti*, & *de petra melle* saturat nos. *Pinguis est panis Christi*, & præbet *delitias regibus*. Dubitatis? *Gustate & videte, quia suauis est Dominus. O quam suauis est, Domine, spiritus tuus, qui, vt dulcedinem tuam, in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes*, canit Ecclesia Catholica. Mellea sunt, quæ in hanc rem habet S. Cyprianus sermone de Cœna Domini, & Epistola LIV. Vbi ait, omnium carnaliũ exsuperare dulcedinum voluptates. *Ros*, inquit, *matutinus est de cœlestibus stillans, & quasi vnctio spiritus mentem deliniens: haustoq; sacro calice, vnum semper sitire, vnum famere, vt deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, ardensq; palatum acutæ mordacitatis acetum.*

Suauitas Eucharistiæ

Opusc. 57.

Psal 33. 9

IN regno Neapolitano vini quoddam genus est dulcissimi, quod appellant CHRISTI LACRYMAM, cuius gustu adeò delectatus dicitur Germanus quidam, illas in partes delatus, vt, cùm nomen vini sciscitando, accepisset, suspirans exclamauerit: O bone Christe, cur non mea quoq; in patria sic es lacrymatus! Quod si ad exprimendum succum dulcissimum, homines ingeniosi, nihil se aptius inuenire posse existimarũt, quàm vt vocarent *Lacrymã Christi*, quasi quicquid Christi est, quamuis in se amarum, vt lacrymæ, sit suauissimum; quid existimare par est, de eius delicatissimo sanguine, Diuinitate ipsa, liceat sic loqui, insaccharato?

Lacryma Christi.

HIS adde: corporis quoque sanitatem Eucharistiam inducere. Hoc Manna in deserto effecisse sunt qui asserant: cuius ea quoque vis fuerit, vt Hebræorũ corpora, ne aliqua ægritudine tabescerent, conseruauerit. Et dum Eucharistia, viatici titulo, infirmis extremè laborantibus offertur, prodesse etiam ad sanitatem corporis comparandam, si animæ saluti id expediat, piorum quorundam est sensus. Quod grauissimis in Theologia Doctoribus non displicet. Si enim ad solum vestium Christi contactum, quam plurimi receperunt sanitatem: quid non facere censendus est ipse Christus, corpus animamque ægroti ingressus? Sanè hoc Sacramentum robur corporis præstare, non rarò, ad opera vir-

Eucharistia corpus sanat.

Abulens. Exod. 16. q. 8

L. Pinellus lib. de commun. med. 20. puncto 2.

Suarez To. 3. in 3. p. disp. 64. Sect. 1.

ſed tempore tentationis per recidiuum, iterum in eaſdem infirmitates, & ſæpè maiores incidunt. Quot ſunt, qui, vt loquitur Petrus Apoſtolus in epiſtola ſua ſecunda, *tanquam canis reuerſi ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti*, ad peccata redierunt? Quot quotidie videmus homines rectè credere, benè viuere, ſanctè operari: poſteà autem, Eccleſiam Catholicam deſerentes: aut, in ipſa Catholica mutatis in prauum moribus, ſine pœnitentia mori ac damnari? *Putruerunt*, ait Vates, *& corrupta ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Pſalmo XXXVII. Quod D. Gregorius interpretatur de reuocato poſt iuſtificationẽ peccato: id eſt, morbo, in quem, poſt ſanitatem ſemel recuperatam, denuò incidit: quaſi tunc *poſteriora ſint prioribus peiora*, vt dicitur Matth. XII. Quemadmodum ſi caro ſanata, & obducta cicatrice iterum vulneretur, cicatriceque aperta putreſcat. Ad conſeruationem autem ſanitatis animæ, ac incorruptionis bonæ vitæ valet cibus iſte. *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur.* Sicut enim myrrha incorrupta ſeruat corpora: ſic corpus Domini piè ſumptum, corda.

2. Pet. 2. 21.

S. Greg. illo Pſal. & lib. 9. mor. cap. 31. vel 39.

Matt. 12. 45

Cant. 1. 12.

Euchariſtia Medicamẽtum præſeruatiuum.

Sicut etiam myrrha præſeruat carnem à corruptione: ſic Dilectus Chriſtus inter vbera, & in pectore, per Sacramentum collocatus, à corruptione peccati præſeruat ſpiritum. Quod innuit Sanctus Bernardus dum docet, Sacramentum iſtud minuere ſenſum in minimis: & in grauioribus tollere omninò conſenſum. Addit modo exhortatorio. *Si quis veſtrum non tam ſæpè nunc: non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum cuiuſmodi, gratias agat Corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat, quod peſſimum hulcus accedat ad ſanitatem.*

Serm. de Cœna.

QVOCIRCA veriſſimè docet Concilium Tridentinum, voluiſſe Chriſtum, vt ſumatur hoc Sacramentum, tanquam ſpiritualis animarum cibus, quo alantur, ac confortentur viuentes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*: & tanquam, *Antidotum*, quo liberemur *à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus* PRÆSERVEMVR. *Antidotum* remedium eſt, quod contra venena, morboſque quos timemus, datur. *Antidotus* celebratiſſima apud veteres fuit, quæ *Mithridatios* appellabatur: nullum nobilius contra venena omnia, morboſque peſtilentes remedium eſt Euchariſtiæ antidoto. Vrbanus Pontifex, *de reliqu. & venerat. Sanctor. Hoc*, inquit, *eſt memoriale ſaluificum: in quo gratam redemptionis noſtræ recenſemus memoriam: in quo, à malo retrahimur: & in bono confortamur: & ad virtutum, ac gratiarum proficimus incrementa.* In eundem ſenſum Theophylactus: *Quia prior carnis noſtræ natura corrupta eſt, à peccato; vitaq; deſtituta; dedit nobis Chriſtus ſuam impeccabilem, & omnis peccati expertem, viuacem, ac vita plenam, ſimilem tamen nobis, carnem, vt eam adſumentes in ipſum conuertamur, aut ipſi commiſceamur; & viuamus citra peccatum, quatenus licet.*

Quæ fine iuuenda Euchariſtia.

Gell. lib. 1.

Theophyl. Cor. 10.

DE hoc ipſo diſputat egregiè S. Thomas tertia part. Quæſtion LXXIX Articul. ſexto, vbi quærit: *Vtr m Euchariſtia præſeruet hominem à peccatis futuris:* &, hunc in modum philoſophatur Peccatum eſt quædam ſpiritualis Mors animæ. Quocirca ita quiſpiam præſeruat corpus à morte futura. Hoc autem contingit bifariam. *Primò*: quatenus hominis natura interiùs robo atur contra corruptiua, ſicque præſerua-

Quomodo Euchariſtia præſeruet hominem.

 tur

tur, contra exteriores impugnationes: sicque præseruatur per arma, quibus munitur corpus. Vtroque modo virtute Eucharistiæ præseruatur fidelis à peccato. Nam, quia Christo coniungit per gratiam, roborat spiritualem vitam, tanquam spiritualis CIBVS, & MEDICINA. Secundum illud Psalmi CIII. *Panis cor hominis confirmat*: & Augustinum, tractatu XXVI. In Ioannem, dicentem: *securus accede: Panis est non venenum.* Memini me legere, quod habet Scriptor naturalium: Quasdam principes fœminas omnibus diebus mane carnem ceruinam gustare solitas, longo æuo caruisse febribus. Quod ita demum existimant ratum, si vno vulnere ceruus interierit. His erat Medicina præseruatiua caro cerui.

Christi ca..., vt cerui febribus ...æseruat. Psal. 21.17. CONCINNA admodum est analogia inter ceruum, vel ceruam, & Christum, quem Iudæi tanquam canes persecuti sunt, vt est Psalmo XXI. Est animale mite, agile, serpentibus inimicum, febribus expers: remedium ijs laborantibus: siti æstuans; tum propter cursum; tum propter serpentes deuoratos; tum propter vulnus: ætatem renouans: gregale: sodalisque corpus, supposito suomet gestans: currendo, ponè respiciens: vrgente vi canum, vltrò confugiens ad hominem: omnium rerum, velut miraculo, stupens: sub auroram de cubili exeundo cacumina montium petens: lutum, ac spinas saltando transiliens: si sit fœmina, pariendo semitas minus cauens humanis vestigijs tritas: dumque fœtum emittit, præ dolore immugiens. Quæ omnia de CHRISTO patiente, surgente, ascendente perquam accommodatè enunciantur. Adde: Ceruam, Caritatis esse symbolum: cognominarique, *Dilectionum*, atque *carissimam*, Prouerbiorum quinto, *Prou. 5.19. Psal. 21.1. Ose. 6.* Quocirca, quod est Psalmo vigesimo primo. *Pro susceptione matutina*. vertit Hieronymus, *Pro cerua matutina*. Et meminit alibi, CHRISTVM ceruo bellè comparari, quod cupiat montana conscendere: &, vt, Sol iustitiæ, nobis oriri; ac hominum tenebras discutere, & illustrare. Est autem eo loci de CHRISTO sermo, cuius carnibus, qui pascitur, à diris peccatorum febribus præseruatur.

Cur quidã in grauia peccata incidant. HINC oritur, vt qui hoc Antidoto non vtuntur, facilè in grauissima peccata incidant. Quod præclarè docet B. Cyrillus Alexandrinus libro tertio in Ioannem cap. 37. Vbi subdit, istiusmodi homines à *vita æterna se quàm longissimè alienare.* Et S. Chrysostomus homilia XXIV. in epistolam priorem ad Corinthios: *Vt frigida*, inquit, *ad Eucharistiam accessio periculosa est: ita nulla mystica illius Cœna paticipatio pestis est ac interitus. Ipsa namque Mensa animæ nostræ vis est, neruus mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux, vita nostra.* Simili modo S. Hilarius ad Gratianum: & habetur. *De consecrat.* Dist. 2. *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à* MEDICINA *corporis, & sanguinis Domini separare. Vnde timendum est, ne diu abstractus à corpore Christi alienus remaneat à salute Qui peccare quieuerit, communicare non desinat.* Macarius fœminam à Dæmone malo in brutas formas mutari solitam cùm liberasset; tantum maligno illi permissum fuisse monuit, eò quòd multo tempore ab Eucharistiæ perceptione abstinuisset. *Pallad. hist. Lausia c. 19.*

Præseruat vt Armatura defensiua. ALIO quodam modo Eucharistia à pec-

peccato præseruat: quoniam est instar scuti impenetrabilis: & sic diabolicarum impugnationum tela repellit. Est enim signum Passionis Dominicæ, qua victi sunt Cacodæmones, cuius idcirco visa imagine terrentur. Quamobrem Chrysostomus, homilia XLV. in Ioannem: *Vt leones, ait, flammam spirantes sic ab illa mensa recedimus terribiles effecti Diabolo. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me,* canebat Dauid, Psalmo XXI. Quomodo? Mensam cõtra aduersarios? nouum profectò armorum genus non defensioni paratum, sed irritationi. Ita videtur homini: sed Dei est illud artificium. Ex hac Mensâ iaculatur noster Dauid Panem in mysticam Petram conuersum, ad conterendum caput Goliath, illumque sternit. Quanta autem vis sit in Eucharistico pane aduersus mundi potestates, & inferorum, docent exempla tum vetera quam plurima, tum recentia non pauciora.

Aug. l. 22. de ciuit. cap. 8. Cassia. Collat. 22. cap. 6. Prosp. de temp. diu. cap 6. Metaph. vita S. Aux. 14 Feb. & Theodo. 22. Apri. Auct. vita S. Bernard. l. 2. cap 1. Cæsar. lib. 9. mir. cap 12. Cantipr. l. 1. Apum c. 23. Breden. lib. 9. Collat c. 5

OB hanc caussam cum olim à tyrannis fideles ad tormẽta, ac fidei certamen raperentur, vt sese aduersus improborum impetus omnes munirent, prius Dominici corporis, ac sanguinis Sacramentum percipiebant. Quod testatur S. Cyprianus Epistola LIV: Vbi: *Vt, quos excitamus,* inquit, *& hortamur, ad prælium, non inermes, ac nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus, Synaxim sacram illis impartimur. Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus.* S. quoque Ignatius epistola ad Ephesios: *Synaxi ait, labefactari, vires satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita resilire.*

Medicamentum soporiferum. stupefaciens Ναρκωτικόν.

SED ad Medicamenti considerationem nos reuocemus. Est illius genus aliquod, cui nomen, *Soporiferum,* aut, *stupefaciens:* cuius vis est in fallendo sensu, obliterandoque dolorem, & torporem sua frigiditate inducendo. Hanc virtutem salutarem in Eucharistiâ agnoscit eius laudator eximius Cyprianus, qui, loco indicato: *Quam præclarus,* inquit, *calix iste! quàm religiosa est huius potus ebrietas; per quam excedimus Deo: & quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extendimur, Non habentes sensum huius mundi, sed diuitis purpurati delitias contemnentes, cruci hæremus.*

Medicamentum purgãs, abluens, abstergens.

ALIAM medicandi rationem suggerit Ecclesia, dum ita orat: *Purificent nos, quæsumus, Omnipotens, & misericors Deus, Sacramenta quæ sumpsimus.* Et, *Præsta, vt hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam: sed intercessio salutaris ad veniam. Sit Ablutio scelerum. Sit fortitudo fragilium.* Ex quo colligere licet, Eucharistiam ex eorum esse genere medicamentorum, quæ vocantur *Purgantia.* Quæ cum ab omni fœditate hominem exonerent, rectè purificare dicuntur, sicut & illa, quæ exterius admota, tubera, næuos, papulas solent tollere. Quod persuasum fuisse non dubito S. Ignatio, qui ita exertè scribit epistola ad Ephesios: *Frangite panem vnũ, qui* PHARMACVM est IMMORTALITATIS: MORTIS ANTIDOTVM: *vitamq́; in Deo concilians per Iesum Christum:* MEDICAMENTVM PVRGANS *vitia. & anima pellens mala.* Eodem loquendi modo vtitur Cyprianus sermone de Cæna Domini. *Panis,* inquit, *iste supersubstantialis, & calix benedictione solẽni sacratus ad totius hominis vitã, salutemq́; proficit. Simul* MEDICAMENTVM *& holocaustum ad sanandas infirmitates, &* PVRGANDAS *iniquitates existens.* Denique, S. Ambrosius: corpus Christi MEDICINA *spiritualis, quæ cum reuerentia degustata sibi deuotos* PVRIFICAT.

Ad Eucharistiam viuus & mundus accedat.

SED mouebunt hæc fortasse alicui scrupulum, qui inde colligi posse putabit, licere ad hoc Sacramentum accedere cum lethalis peccati conscientia, vt scelerum suorum purgationem accipiat. Verùm, contrarium ex ipsa huius Medicamenti ratione ducitur. Siquidem Eucharistia est cibus medicinalis. Cibus autem non nisi viuo datur, vt nutriri possit. Medicinalis cibus mortuo haud prodest. Peccatum lethiferum non tantum morbus, sed etiam ipsa mors est, & mortuum facit, cui si detur isthæc mellita placentula, erit illi, de merito accipientis, fel aspidum: & venenum insanabile. *Nam qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Quare monet Chrysostomus, tanquam bonus *Medicus*, vt peccatores, velut oues scabiosæ à reliquo grege repellantur. *Sicut in grege*, inquit, *vbi multa quidem salua sunt pecudes, multa tamen scabie plena, necesse est, vt hæ arceantur à sanis. Sic in Ecclesia facere oportet.* Quocirca quando Diaconus dicit: *Sancta Sanctis*: hoc dicit: *si quis non est Sanctus, non accedat.*

Homil. 17. Epist. ad Hebra.

Peccatum mortale remittitur in Eucharistia per accidens.

SED O! ei immensam bonitatem! Fit interdùm, vt aliquis reuera mortuus: id est, peccato mortali obnoxius, miseriæ tamen huius ignarus, & dolens de scelere: quamuis non sufficienter: attritus, non contritus, ad hanc mensam cum ceteris viuentibus, ac veste nuptiali indutis, arrepat: & cum timore ac tremore accipiat salutis bolum: is nihilominus ex mortuo viuus redditur gratiæ sanitate recuperatâ. Ita docet huius Medicinæ scientissimus Thomas Aquinas in tertia parte summæ, Quæst. LXXIX. Art. 3. vbi sic scribit: *Potest hoc Sacramentum operari remissionem peccati,* nempe, mortalis, *si is, qui accedit, eius conscientiam, & affectum non habet, post diligentem videlicet Confessionem, vnius, aut plurium etiam commissorum criminum. Forte enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè ac reuerenter accedens; consequetur per hoc Sacramentum gratiam Caritatis, qua contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Idemque acutè animaduertit, dum respondet ad primam obiectionem, peti ab Ecclesiâ, vt hoc Sacramentum sit ABLVTIO *scelerum*, vel illorum, quorum conscientiam non habemus; secundum illud psalmi XVIII. *Ab occultis meis munda me, Domine*: vel, vt contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem: vel, vt nobis robur detur, ad scelera vitanda. Quod ad *Medicinam præseruatiuam* pertinet.

Cur multi non præseruentur.

NEQVE obstat, quod multi ex ijs etiam, qui dignè Eucharistiam suscipiunt, deinde in peccata iterum labantur. Nam, vt monet Angelicus Doctor: Quoniam huius Sacramenti effectus recipitur in homine, secundum illius conditionem: hæc autem cum libertate ac flexibilitate ad bonum & malum est coniuncta: hinc fit, vt licet à peccato præseruet, peccandi tamen possibilitatem non auferat.

S. Tho. Q. 79. Art. 6.

Eucharistia curatiua venialium.

AD *Medicinam curatiuam* spectat, quod docet idem Doctor: Eucharistiæ remedio venialia, quæ alicubi esse morbos copiosè demonstro, tolli. Disertè Innocentius III. lib. IV. de myster. Altar. *Hoc Sacramentum venialia delet: cauet mortalia.* Maiori verborum rationumque complexu S. Thomas. *Hoc Sacramentum sumitur sub specie cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi necessarium est corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur, per actionem caloris naturalis. Spiritualiter verò quotidiè in nobis aliquid deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt feruorem caritatis.*

Lib. 4. de myst. alt. cap. 44.

S. Tho. l. c. Art. 4.

Ideò

Ideò competit huic Sacramento, vt remittat venialia. Vnde Ambrosius, lib v de Sacrament, scribit: Panem hunc quotidianum sumi in remedium quotidianæ infirmitatis. Adde. Eucharistiam esse Sacramentum Caritatis, quæ hic feruentissimè exercetur: cuius vi venialia remittuntur.

Venialia sunt rugæ. QVOD si peccata venialia sunt rugæ illæ, à quibus Christus Sponsam suam immunem esse velle pronuntiat, *non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi,* vt est in epistola Pauli ad Ephesios: non malè, *Eucharistiam, Medicamentum Erugatorium* dixeris: cuius virtute exteruntur rugæ, ac facies complanatur.

Eph. 5. 25.
Eucharistia Medicamentum Erugatorium.

Frequentia Eucharistiæ ex ratione Medicinæ. Hoc idem symbolum, quo Eucharistia *Medicamento* exprimitur, seruiet mirificè asceticarum rerum scriptoribus in ea controuersia, quæ est, de huius Sacramenti vsurpatione frequentiore. Et sanè in ea semper libenter sequutus sum Doctoris Angelici iudicium! Sic autem ipse ex Medicinæ ratione de hac re pronuntiat. *Circa vsum Sacramenti quo possunt considerari. Vnum quidem ex parte huius Sacramenti, cuius virtus hominibus est salutaris: Et ideò vtile est, ipsum quotidie sumere: vt homo quotidie eius fructum percipiat.* Vnde Ambrosius dicit lib. I v. de Sacramentis. *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, effunditur in remissionem peccatorum, debeo semper accipere: quia semper pecco. Debeo semper accipere* Medicinam, *quia semper infirmus.*

S. Tho. P 3 Quæst 80. Art. 10.
Ambr. l. 4. de Sacr. c. 6. De consecr. Dist. 2. c 4.

Præparatio sumentis Eucharistiam. ALIO *modo potest considerari Eucharistia ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magnâ deuotione, ac reuerentia ad hoc Sacramentum accedat. Atque ideò, si aliquis se quotidie paratum inueniat, laudabile est, vt quotidie sumat.* Vnde Augustinus, cum dixisset: *Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit,* subiungit: *sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quoniam multoties deuotionis debitæ impedimenta varia occurrunt, tum ob corporis, tum ob animæ indispositionem: non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere: sed quotiescunque ad illud homo se inuenerit præparatum.* Vnde in libro de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur: *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero.*

Serm. 28. de Ver. Domini.
Cap. 53.

Consilium Augustini de communione frequenti. NON dissimilis è re medicâ deducta est Augustini sententia, eo loco, vbi eandem litem componit, epistola CXVIII. ad Ianuarium, vbi hunc in modum scribit: *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam* Eucharistiam. *Quæsieris, quare? respondetur: Quoniam eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque viuit: quo ad tantum Sacramentum purius accedat* Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. *Alius contra: imò,* inquit, *si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt* MEDICAMENTA *talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario remoueri, ad agendam pœnitentiam; non, vt arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Ceterum: si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidiana* MEDICINA *Dominici corporis separare. Rectius fortasse inter eos dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt.*

Vide NOT.

IDEM considerauit Cassianus, qui Col-

Quoties Monachi olim communicarẽt. Cap.21.

Collatione XIII. cum retulisset, quosdam in monasterijs semel tantum communicare ex reuerentiâ subdit; *Iustius est, vt cũ hac cordis humilitate, qua credimus, & fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis diebus ob* Remedium nostrarum Ægritudinum *præsumamus: quàm, vt vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione credamus.*

Medicamẽtum pyroticum.

ADHÆC, Medica planè est illa B. Ioannis Damasceni contemplatio, qui Eucharistiam proponit, ceu *Medicamentum pyroticum* quod videlicet ignis vsum præstat: adhiberturque, vt vitam partibus restituat: vel, inexpugnabile alijs remedijs vitium superet: cuius virtute membra exsucca, ac tantum non extincta recorporantur, ac redanimantur, pristinæ naturæ reddita. Sic autem loquitur Damascenus. *Accedamus desiderio ardenti, & manus in crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus: & apponentes oculos, labia, ac frõtem, diuinum carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij ex ex carbone conceptus, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra: ac participatione ignis diuini ignitimur, & deificemur. Carbonem vidit Isaias* cap. VI. *sua prophetia. Carbo autem simplex non est, sed vnitus igni. Sic Panis communionis, non Panis simplex est: sed vnitus Diuinitati.*

Lib. 4. Orthod.

Vis medica lactis in Eucharistia.

DENIQVE. Quidquid virtutis medicinalis est in *Lacte*: est autem plurimum, huic Sacramento inesse S. Chrysostomus docet eleganter homilia LXXXIII. in Matthæum: ideoque hortatur, vt quanta infantes animi alacritate, mamillas arripiunt; quâ pressione papillis infigunt labia: eadem cupiditate ad hanc Mensam, & huius calicis accedamus labrum: imò, maiore desiderio, quasi *lactentes pueri gratiam Christi sugamus: vnus sit nobis dolor, vna mæstitia, si hoc alimento spirituali priuemur.* An ad has suauissimis epulas, sed Medicinales, conuocabat gentes omnes Euangelicus Propheta Isaias cap. LXVI. hac verborum formâ? *Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam. Gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam, vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius: quoniam sugetis, ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.*

Cap. 66.

IAM verò, cum ex omnibus hactenus à nobis disputatis, quilibet, non omninò stupidus, facilè possit colligere, nullum in omnibus mundi tabernis medicamentarijs reperiri, siue ad præseruationem efficacius; siue ad curationem certius; siue ad conseruationem præstantius MEDICAMENTVM, quàm sit EVCHARISTIA: si, quemadmodum in alijs rebus, ita in Medica potissimum, quæ virtute præstant, eximijs quibusdam designari solent vocabulis, aut circumloquutionibus (Quomodo *Grana Paradisi, Aquam-vitæ, Lignum-sanctũ, Manum-Christi, Agnum-Castum* passim vsurpant Medici) sic mihi quoque potestas esset, antiquis rebus, noua, ad indicandam excellentiam, indedi vocabula, sanè quicquid apud Medicos celebratur, vel quia lethalibus venenis resistit, & dicitur *Antidotum*: vel quia fugientem penè animam retinet, ac vocatur *Medicamentum præsentaneum*: vel, quia sordes inueteratas eluit, & dicitur *Medicina extersoria,* id ego ad Eucharistiam celebrandam conferrem. Quæ vt vobis sit illuminationis, sanitatis, & immortalitatis pharmacum, supremum Medicinæ spiritualis Præsidem obnixè precor.

NOTÆ.

NOTAE.

S.BASILIVS, Μέγα τῆς σωτηρίας μυστήριον. Magnum salutis (*sanitatis*) Sacramentum, *Multa istiusmodi congerit Isaacus Casaubonus Exercitatione* XVI. *ad Annales Baronij à numero* XLIII.

Ipsi hæretici, quibus mens sanior, dicunt Cœnam Eucharisticam, *esse* Medicinam *præteritorum, præsentium, ac futurorum peccatorum. Licet alij sacrilege oggauniant: non maiorē ex ea, quam ex prædicationis verbis, imò minorem vtilitate capi alij vtilitatem illius esse nullam habentibus memoriam passionis. Henricus Fitz-Simon Britannomachia lib.* III.*c.*2.

S.BONAVENTVRA *Opusculo* De præparatione ad Missam. *Cap.* VIII *Colligens fines, quos sacerdos sacrificaturus habere potest Eucharistia offerendæ, ac sumendæ, secundum inter nouem, sumit a ratione Medicinæ.* Secūdò, *inquit*, tuæ infirmitatis intuitus & consideratio, vt eam, quasi *Medicinam* ad te voces, per quam ab omni infirmitate cureris.

Idem lib. de Missa cap. 5. Cùm Sacerdos non ex reuerentia, sed ex negligentiâ celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & seipsum MEDICINA, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. *Vide Ludouic. Cresollium lib.*3. *Mystag. cap.*28.*sect.* 6.*vbi disputat: An sæpius sacrum celebrare conueniat?*

S.PROSPER *contra Collatorem cap.* XIX. Liberum primi hominis arbitrium sua præuaricatione bibit omnium vitiorum venenum: & totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Sed edendo carnem filij hominis, & bibendo eius sanguinem, lethalem eius digerit cruditatem. *S.Cyrillus Alexandrin. lib.* IV. *in Ioann.c.*VI Sedat sæuientem membrorum nostrorum legem: pietatem corroborat: perturbationes animi extinguit, AEGROTOS CVRAT, collisos redintegrat, atque ab omni erigit casu.

NOTAT *Bellarminus l.* IV. *de Eucharistia cap.* XIX. *in Eucharistia Christi merita applicari per modum cibi, ac potus, ad reficiendum, ad nutriendum, & ad* PRAESERVANDVM *à morbis.*

EST amantis affectio, si quem amat, ægrotare sciuerit, vigilanter quærere morbo remedia: ac propterea diuinus Amor animum Christi, qui verus est animarum *Medicus*, solicitauit ad quærendum cibum, qui præter suauitatem, contineret vniuersale Pharmacum aduersus omne spiritualium genus ægritudinum. Diuinus igitur Amor effecit, vt hic tam eximius *Medicus*, inueniret, & ordinaret nobis ægrotantibus varia pharmaca, septem videlicet Sacramenta, quibus omnis nostrorum animorum ægritudo, & morbus sanaretur. Sed inter omnes diuinitus institutas *Medicinas*, ad conseruādam animæ salutem, & salubre temperamentum probatissima, & efficacissima est Christi *Caro & Sanguis*, quorum receptionem, seu, vt *Medici* loquuntur, Recipe, nobis ita præcepit, cum dixit, *Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum.*

VT autem facilius intelligatur hæc diuini Amoris adinuentio, qua tam inusitatam *Medicinam* excogitauit, afferam inuentum *Medici* cuiusdam Hispani, qui sanare cupiens ægrotum tabe ferè confectum, quoniam ille ab esu testudinum, quarum carnibus erat sanandus, abhorrebat, præcepit pullos, quos ægrotus libenter edebat, testudineis carnibus ali,

vt pullos postea manducans, testudineis carnibus pariter vesceretur, quo artificio illusus ægrotus, sanitatem recuperauit. Non poterat homo sensibus assuefactus Diuina percipere, manducare horrebat, nauseabat, ad eius humilitatem stomachabatur pœnitentiæ nomine audito, erat amara, & ingrata eius palato laborum, dolorumque perpessio; quare his subuenire morbis & incommodis Dei Amor volens, præbet nobis per hoc Sacramentum Christi carnem humano stomacho præparatam, vt per eam Deo conformemur, & eius humilitate nostra deijciatur superbia, eius moderatione castigetur intemperātia, eius mansuetudine placetur iracundia, eius magnanimitate nostri animi paruitas, & impatientia corrigatur.

Et quoniam in morbis *Medici* solent medelam adhibere corporis parti magis laboranti, diuinus animarum *Medicus Christus*, cor nostrum præsertim in nobis ægrotare animaduertens (nam vt ipse dixit: *Ex corde exeunt cogitationes prauæ furta, homicidia*) ideo in cibo & potu quibus cor alitur, hoc Sacramentum instituit, vt tali refectum alimento conualescat, & bonæ ac sanctę ab ipso cogitationes, & opera prodeant.

Matt. 15.

Solent matres pueris suis, si stomachi vitio, aut praua consuetudine terram comedunt, buccellata dulciaria & tessellas sacchato conditas largiri, vt dulcedine illarum attracti illam intermittant consuetudinem. Non aliter Christus terrenis assuefactos (Adeò, vt maledictionem serpentis: *Terram comedes*, *aut Michæa*, subijsse viderentur: *Lingent puluerem*, *sicut serpentes*) instar amantissimæ & piæ matris tractans, præbuit eis dulcissimam suæ carnis buccellam, hostiæ cādido velamine contectam, vt tam dulcis & salutiferi alimenti gustu, desinant comedere terram & puluerem lingere, quod maioris liguritionis, & intemperantiæ argumentum est. Quam hominis intemperantiam vt sanaret, & nostri liguritioni se magis accommodaret, Christi amor, fecit, vt solent, qui ambiunt gratiam, & voluntatem alterius, moribus eius & ingenio sese attemperantes. Nouerat Christus hominem pro solo arboris vetitæ fructu renuntiasse regno cælorum, vt postea quoque Esau primogenituræ pro vili ferculo lenticularum, ideoq; carnem suam pro cibo, & sanguinem pro potu in hoc Sacramento reliquit, vt gustantes & experientes suauitatem illius, odio haberemus omnes terræ voluptates. *Ioannes Carthagena lib. x. Homil. 9.*

Gen. 3.
Mich. 7.

Pia meditatio Gulielmi Parisiensis est ista, è duobus locis collecta : libro de Eucharistia cap. 2. & libro De Rhetorica diuina cap. 32. & 3. Missæ celebratio est, Primùm, *Sanctificatio populi per inuocationem diuini numinis, & sacrificium.* Secundò: *Actio, seu ventilatio caussæ, coram Deo, per preces, & munera.* Tertiò: MEDICATIO *spiritualis, per Antidotum, & potionem.* Quartò: *Refectio, seu cibatio , tanquam per panem , & vinum. Proinde, Christus, vt Saluator & Mediator quattuor personas gerit.* Primò, *Sacerdotis: qui est etiam Hostia.* Secundò, *Aduocati, qui est etiam iustitia.* Tertiò, MEDICI, *qui est etiam* MEDICAMENTVM. Quartò, *Pastoris, qui etiam est Nutrimentum. Præterea, quattuor exhibet officia: Sanctificationis, Reconciliationis, Medicationis, Refectionis.*

Omissis alijs, quæ benè deducit Iulius Nigronius Commentario in Regulam secundam ex Communibus Societatis : Christus, vt MEDICVS, *seipsum per sacerdotem efficit Medicinam salutarem in Eucharistia, vt nobis, preseruando, medendo, ac conseruando sanitatis*

ſanitatis beneficium impendat. Itidem, qui Miſſæ adſiſtunt, ſanitatem accepturi, debent per humilem ſui cognitionem: per ſinceram conſcientiæ diſcuſſionem, ac erratorum confeſſionem, exemplo boni Publicani, dicentis: Domine, non ſum dignus plagas, ac morbos oſtendere Medico diuino, rogareque enixè, vt Medicinam nobis ægrotis, vulneratis, atque egentibus, vel apponat, vel propinet.

Apis Medicinæ primus repertor Phoronei filius, & Pythonis, Aegyptiorum Rex fuit: apud quos pro Deo cultus, vocitatus fuit Oſyris: id eſt, Multi-oculus, quia oculatiſſimus, ſalubrem Medicinam reperiſſet. Hunc Ochus, cui Macharæ cognomen, obtruncauit, & coctum in cœna cum amicis comedit: putans eius carnem eſſe medicinalem. Guido Bituriſenſis. Theatrum vitæ humanæ. Tit. Vindicta immoderata erga hoſtes.

De manna, quatenus eſt ſymbolum Euchariſtiæ, lege Blaſium Viegas Apocalyp. cap. 11. Com. III. ſect. 4. Thomam Bozium lib. XIII. de Not Eccl. cap. vlt. Bonauentur. Sapient. XVI. ibidemque Lorinum verſu XXI. & Robertum Olkot. Adrianum Finum lib. VIII. flagelli Iudæo. Cap. 17. Pererium Diſputationibus ſelectis in Exod. Syluam Allegoriar. verbo Manna. Maldonatum Ioannis VI.

COMMENTATIO XII.

DE

Pœnitentiæ vi Medica inſtar Reſinæ.

In quâ declaratur: quomodo Pœnitentia conueniat cum Reſina in vi medicandi: doceturque eſſe Medicamentum, I. Ἀνώδυνον: quod dolorem lenit, ſopitque. II. Glutinans, ac cicatricem ducens. III. Eſſe velut Splenium, Alligaturam, Faſciam. IV. Catagmaticum, quod fractis oſſibus adhibetur, vt coaleſcant. V. Pyroticum, ignis virtute præſtans. VI. Vniuerſale, ad omnia commodum. VII. Præſentaneum. VIII. Obuium, ac Parabile IX. Stomachicum. X. Sanguinis reiectioni vtile. Ex hoc capite colligunt Patres Pœnitentiæ neceſſitatem, quantitatem, qualitatemque. Deniq; illius compoſitionem docent.

Dominica III. poſt Pentecoſten.

Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore Pœnitentiam agente. Lucæ. XV. 7.

Dominica IV. Aduentûs.

Venit Ioannes *in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.* Lucæ. III. 3.

Ecclesia: Hortus.

ELEGANS est, & perquã amæna Ecclesiæ Catholicæ cum *Horto* comparatio: cuius auctorẽ laudare possũmus diuinum spiritũ, qui Sponsam, Ecclesiã, haud dubiè, *Hortũ*, appellat, & HORTVM CONCLVSVM, Canticorum IV. Non illi tamen similẽ, qui, Adonidis inscriptione, ab antiquis laudabatur: in quo nihil ad vtilitatem, ad inanem, ac euanidam voluptatem erant omnia: floresq; in eo omnes Adonidem referebant in primo ætatis flore prærceptum. Qualis *Hortus* est *Mundus*, ijs comparandus, quos mulieres, vt Plutarchus memorat, in testaceis quibusdam ollis alebant, & curabant: futilia omnia & caduca, atque ad octo solummodo dies, vt Plato aiebat, vernantia producentes. Hortus verè imaginarius, iis persimilis, qui ad fenestras, in imagine hortorum, quotidiana plebis vrbanæ oculis rura præbent, vt Plinius loquitur. Ecclesia, Hortus est, vt ad oblectationem honestam aptissimus, ita ad vitæ commoditates omnes fertilissimus.

Cant. 4. 12. Hortus Conclusus. Mundus Hortus Adonidis. Plutar. l. de sera. Num. vindict. NOTAE. Plin. lib. 19. cap. 14.

IN vna eius parte (nam omnes die integro lustrari nõ possunt) Monticuli sunt aromatum, ad quos Dilectum inuitat Sponsa. Audite, quam suaui carmine: *Fuge Dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum, super montes aromatum*, Canticorum vltimo: hoc est: Proripe te, ac me tecum rape, qua celeritate capreæ, hinnulique diffugiunt, ad odoratissimos montes aromatum. In quibus plantulę ordine pulcherrimo dispositę omnis generis; vt quibus nihil est odore fragrantius, aut visu amænius; ita nihil excogitari potest ad vitam, sanitatemque inducendam, tuendamve salutarius. In ijs potissimùm me delectant areolæ, & puluini herbulis aromaticis, vt stellulis fulgentibus distincti. Nulla est virtus, quæ non habeat in illis respondentem sibi herbulam, fruticem, aut plantulam: vt nõ tam Aromatum, quam virtutum dici possint areolæ.

Montes aromatum. Areola. Cant. vlt.

RAPIT illicò ingredientis, vt oculos, sic nares, NARDVS, caudice exili, radice breuicula, ac subamara: cui odorata vis corpora calefaciendi, extenuandi, desiccandi, abstergendi, ideoq; morbis plurimis salutaris, Humilitatis nobile Symbolũ. Sicut LILIVM, odore, forma, viribus præstans, Castitatis. ROSA colore suaueolẽtia, medicinaq; haud inferior, Caritatis. MYRRHA amara, sed præseruatrix à putredine, Innocentiæ. De quibus suo loco differendũ. Nunc de vnius viribus agam paullò fusius, quæ Pœnitentię virtutẽ exprimit. In ea enim vim quandã medicã ad lethales omnes morbos curãdos latere diuinis edoctus Scripturarum oraculis semper mihi persuasi. Quã opinionẽ firmauit in me multiplex eius imago hortantis, quam Symbolicè eã repræsentari animaduerti ijs rebus, quas vel in montibus aromatum huius horti prouenire, vel in medicamentaria Cęlestis Medici taberna parari Scripturæ diuinæ suggerunt. Quod ex ijs quæ adferemus constabit.

Nardus. Dioscor. l. 1. cap. 6. 7. 8. 64. Matthiol. ad cap. 6. Lib. 5. Ep. ad Pepul. Lilium. Rosa. Myrrha.

ILLVD tamen præmittendũ: De Pœnitentia, qua est virtus, sermonẽ nobis esse. Nam Pœnitentia, Sacramentũ, aliud tẽpus postulat. Porro, *Pœnitẽtia*, quà virtus, est verus animi dolor de peccato cũ voluntate illud puniendi, coniuncta. Quã Theologi, *Contritionem*, appellare solent. Ac ipsa quidẽ partem sacramenti constituit. Siquidẽ, vt vulgo est notũ, Sacramẽtũ Pœnitentię è tribus cõflatur partibus: Dolore, qui est ipsa virtus, vocata *Pœnitentia*, Confessione, ac Satisfactione.

Pœnitentia virtus. Contritio.

ISTIVS.

Resina Pœnitentiæ symbolum.

ISTIVS autem virtutis, quæ Pœnitentia dicitur, Symbolum in Sacro Codice est RESINA multis sanè locis: quorum ista sunt signatè notanda. Ieremiæ XLVI. *Ascende in Galaad, & tolle* Resinam *Virgo filia AEgypti. Frustra multiplicas medicamina: sanitas non erit tibi.* (*Iere. 46. 2.*) Ieremiæ LI. 8. *Subitò cecidit Babylon & contrita est. Vlulate super eam.* (*Ier. 51. 8.*) *Tollite* Resinam *ad dolorem eius, si fortè sanetur. Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Ezechielis XXVII. (*Ezech 27.*) *Iuda, & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo, balsamum, & mel, & oleum,* & Resinam *proposuerunt in nundinis tuis.* Ieremiæ VIII. (*Ier. 8. 22.*) *Nunquid* Resina *non est in Galaad? aut* Medicus *non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Quibus omnibus in locis S. Hieron. adfirmat, *Resinam Galaad* pro *Pœnitentia* poni, ac medicamine. Et quamuis vltimam illam sententiam exponat R. Ionathan: *Forsitan non sunt mihi opera bona ad deprecandum pro Israel? Desiderabam vtique doctrinam Eliæ Prophetæ qui fuit de Galaad, cuius verba sunt Medicina:* Tamen constat eum ab Oraculi sensu abire: in quo montis Galaad fit mentio, ob fœcunditatem & copiosum Resinæ prouentum, ac aliorum ad vulnera curanda idoneorum medicamentorum. Propius accedit ad mysterium Theodoretus, qui Medicos appellat Sacerdotes, quorum est Pœnitentiam annuntiare. Optimè S. Hieronymus, qui Resina designari affirmat Pœnitentiam. Quasi conqueratur optimus Vates, quod Israëlitæ in peccatis perseuerent, cum non desint Medici, qui Resinę affatim suggerant, verbisque ad pœnitentiam adducere conentur.

Resina: Quid? NOTÆ.

PORRO vt innotescat, quam sit apta comparatio, & vis quæ in Resina, explicetur, ignorari non debet, quid rei subsit isti vocabulo. *Resina* est omnis oleagina pinguedo, & gummosa concretio, quæ incalescente Sole, ex pino, abiete, larice, lentisco, terebintho profluit. Apud Belgas etiam cerasus, & prunus mellei coloris resinam profundunt atterendis calculis idoneam. Populus quoque alba, succini modo, gummosum liquorem, exhiante cortice exhibet. Terebinthina inter omnes principatum obtinet. Proximum locum obtinet lentistina, hoc est, mastiche: cui succedit pinea, & abiegna. Stroblina verò, ac colophonia postremū locū occupant: Venditur autē passim Resina duplicis notæ. Nam alia picis instar, liquida est, ac sicca: alia concreta, speculi nitorem refert, ac splēdescit. (*Leuinus Lemnius lib. de herbis biblicis c. 24.*) Harum vis, effectusque præcipuus est, dolores mitigare: vulnera distringere: eademque glutinandi vi, cicatrice obducere. (*Effectus Resinæ doloris mitigatio.*)

Cruciatus in anima peccatoris.

EADEM vis, multoque maior est Pœnitentiæ. Explico, & probo. Quantus sit in animo dolor commisso crimine, nemo qui vnquam sceleris sibi fuit conscius, ignorare potest. Sontis, ac scelerati mens habet carnifices internos, quib. assiduè torquetur. Vir iniquus, & afflictus conscientia plus mali dolorisque patitur, quam ille, qui in corpore castigatur, ac flagris cæditur. Hic est ille vermis, qui non moritur. Ignis, qui non extinguitur. Spina, quæ semper pungit. Tinea, quæ cor exedit. Vultur, qui rostro immanis adunco immortale iecur tundet, ac pectus lancinat. Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum; sic dolor, peccati partus, excruciat cor viri. Hæ sunt furiæ infernales, quæ sceleratos exagitant. Hæ faces, quibus noctu diuque miseri inflammantur. Hic dolor, magis quam pleuritis pungens, & acutus: qui sæuius, quam nephritis hominem exagitat. Hac quotidiana febri peccatores

torquentur: hoc igne consumuntur, & paulatim intereunt.

QVOT autem ad mali huius acrimoniam minuendam conquiruntur à multis remedia? Hic esculentis, ille poculentis mitigare dolorem tantum, vel opprimere conatur. In hunc finem quæruntur sensuum oblectamenta varia: frequentantur symposia: procuratur festiuorum hominū societas. Itur ad prata: curritur ad nuptias: hæretur in palæstra: conducuntur citharædi: audiuntur musici: spectantur mimi: aduocantur histriones: alliciuntur scurræ: aluntur parasiti: suscipiuntur, peregrinationum titulo, excursiones ad villas, & remotæ amœnitatis loca: adamantur canes, equi, auiculæ: laudatur, & exercetur venatio, piscatio, aucupium: Gestantur diuersæ vestiū formæ: modò Hispanicæ: modò Gallicæ: modò Britannicæ: deinde Italicæ: nūquam patriæ; vt hac vicissitudine interni carnificis, vniformis semper, non sentiatur molestia. Luditur, cantatur, saltatur. Frustrà. Nulli pileus, vel oblongus, vel depressus: vel implumis, vel cum gallinacei cauda, aut phasiani penna: nulli caligæ semiulnares, duplicatæ, triplicatæ, follium instar, tuburcinatæ: nulli ocreæ, albæ, purpureæ, nigræ, ac splendentes, ad genua protensæ, ad suras demissæ, diuersimodè inflexæ: nulli exenterati, fenestrati, rosulis, aut variegatis ligulis adstricti calcei, puparum olim ornamentum; nulli pallia, quasi nulla, verius balthei: nulli lusus, cantus, saltus has curas depulēre.

Medicorum opera. CONSVLITVR *Medicus*: iubet bono esse animo: præscribit suauissimos illinctus, ex melle, saccharo, vino: purgat bilem: melancholiam eijcit: venam laxat; corruptum sanguinem educit. Frustrà. aliâ hic morbus medicinâ curari debet. aliud hoc vulnus emplastrum quærit. Hoc dæmonium vino, testudine, choreis non eijcitur, sed firmatur. Testatur id criminosorum, dum crapulam suam edormierunt, & solitariè agunt, inquies, suspiria, gemitus, solicitudo, tremor: quæ amicis licet præsentibus, supprimere nequeunt, aut dissimulare. Nimirum:

Nocte dieq; suum gestant in pectore testem.

——quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cedit.

Vt homines ægri, cùm febribus aguntur, si in aquas semet frigidas immergant, ad præsens videntur aliquid captare solatij: sed flammam mox interiorem augent, ita qui corporis oblectationibus hærentem animo calorem conantur pellere, momentaneam delectationē capere videntur: malum non extinguūt: sed exasperant, & augent. Et sicut, qui in carcere damnationis sententiam in dies operiuntur, quamuis delitijs fruantur aliquibus, vitam tamen agunt anxiam, & molestissimam: haud secus, quos malefactorum torquet conscientia, licet omnibus videantur diffluere voluptatibus. *S. Chrysost. li. 1. de compunct. Cord. Hom. 15. ad Heb. item hom. 2. de nequitia repulsa.*

QVOCIRCA insultat Ægypti, hoc est, Mundi amatoribus Ieremias Propheta capite XLVI. suarum concionum, quod parum idonea, ac sinistra dolori leniendo medicamenta vulneribus cōquirant: cùm non nisi in Galaad ad sanitatem apposita reperiantur. *Ascende,* ait, *in Galaad, & tolle* RESINAM *Virgo filia Ægypti. Frustra multiplicas medicamina. Sanitas non erit tibi.* Vna est Ecclesia Catholica, in eaque Christianæ pœnitentiæ *Medicina*, quæ hos humores expurgat.

Nepenthes. gat. Vt herba Nepenthes ab Homero celebrata, poculis immissa omnem conuiuiorum tristitiam discutit: ita verè pœnitentiæ aromatica species internum omnem dolorem abolet. Sic clauo clauus pellitur: dolore secundum Deum bono, dolor secundum mundum pessimus. Audistis frequenter, capras in Creta, venenatis confixas sagittis herbam quærere solitas, quæ Dictamnus vocatur. *Capræ Cretenses.* eam dum gustant, sagittas excidere è corpore. *Hæret lateri mortalis arundo* a peccato immissa, & hærebit æternùm, donec Pœnitentiæ dictamno illam excusseris.

Prima vis Pœnitentiæ, seu Resinæ. HÆC prima Resinæ spiritualis vis est, dolorem non lenire tantùm, sed penitus tollere. Vt meritò Pœnitentiam *Medicamentum anodynum* nominare possis: quod dolorem sopit. In quo simile quid contingere videmus, quod in *Theriaca*, quæ composita ex carnibus viperarum, earum morsibus medetur. Sic *Pœnitentia* ex dolorum simplicibus, vt loquuntur *Medici*, confectum remedium, vel potius, ipsissimus dolor, venenatos peccati dolores omnes tollit. *Theriaca.*

Nux pinea VVLGATVM est illud à nuce pinea symbolum: *Virtus difficilis, sed iucunda.* Videlicet, Nux illa colliculis quibusdam inæqualis, ac aspera, mitæque duritiei est, quæ vix ignis vi reserari potest: intus verò dulces nuclei latitant ad alimentum, variosque morbos vtiles. Profectò, si, quod virtutis illius, quæ Pœnitentia dicitur, officium exterius operatur, attendas, asperrimum est: torquet, ac pungit: id horror ad pœnitentiam accedentium satis ostendit. At si diuini Spiritus vi conteratur, dulcissimus inde hauritur fructus: qui suauitate sua amaritudinem omnem ex animo eijcit: ac, quicquid in eo reliquum, dulcedine inficit.

Resina adstringit, & adglutinat. ALTERA virtus RESINÆ est, vulnera adstringendi, glutinandique. cùm cicatricem ducit, & cute, tenuique callo plagam obtegit. Hanc facultatem indicat Propheta interrogatione illa: *Numquid* RESINA *non est in Galaad, quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Perfectius multo id efficit Pœnitentia, quæ hiantem peccati plagam, velut intulo mordaci contritionis aceto adstringit primùm: deinde, tanquam glutino amoris, sine quo non est efficax pœnitentia, copulat: tum cutem superinducit, atque operit, tam perfectè, vt nulla eius amplius cicatrix, nullum vulneris remaneat vestigium. Quod superat vim illorum medicamentorum, quæ glutinantia sunt, & cicatricem ducere dicuntur: inter quæ nominatur *Resina Galaad.*

Tegere peccata, quid sit? EXPRESSIT id perbellè Dauid Rex in eo Psalmo, in quo pœnitens prætérita deplorat vulnera, & præcedentem impœnitentiam, ob quam caussam recensetur inter pœnitentiales, quorum est secundus: & in eodem gratulatur sibi remissa esse peccata. *Psal. 31.* *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum* TECTA *sunt* PECCATA. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Quid est? *Tecta peccata?* S. Hieronymus legit: *opertas iniquitates*: Tertullianus: *dimissa delicta, & opertas iniquitates.* *S. Hier. ep. 10. Osi.* *Tert. Scorp. cap. 6.* Nimirū, peccata sunt plagæ, vulnera, vlcera, quæ tam diu hominem infestant, donec sinu ac capacitate illa, cui inesse cōcipiuntur, à purulētis sordibus expurgata, latera coëant, & adglutinentur, ductaq; crusta tegantur. Quod varijs emplastris, & vnctionibus solet perfici in corpore: in anima sufficit *Resina Galaad*, *Pœnitentia*, quæ est ipsum horum vulnerum tegmen; vt exponit S. Gregorius Nazianzenus Oratione de

de Baptismo, in qua, remissionem refert ad iustificationem, quæ fit in Baptismo: *Tegmen* autem peccatorum docet esse *Pœnitentiam*.

S. Gregor. in Psal. 2. Pæn. EADEM mens fuit Pontificis Gregorij, qui cùm monuisset, aperienda esse peccata confessione, declarat, quomodo tegantur. *Tegit*, inquit, *Medicus vulnus sanandum medicamine: tegit Deus peccatum, ea, quæ multitudinem peccatorum operit, caritate,* (quæ in Christiana pœnitentia includitur) *si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, Deo illa per vocem confessionis* (quæ est actus pœnitentiæ) *ostendat.* Quod autem hæc *Tectio* fiat propriè dolore caritatis concepto, cum proposito abdicationis, & emendationis, ita paucis interiectis exponit. *Quomodo in electis est possibile eorum transgressiones contegi, cum ab illo, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia non possint abscondi?* Respondet M. Pontifex. *Quia hoc quod tegitur, inferius ponitur: & aliquid aliud superducitur, vt, quod est subter positum, tegatur: Tegere peccata dicimur, quæ, quasi subter ponentes abdicamus,* (breuissimè: de quibus Pœnitentiam agimus) *Quibus nimirum quasi tegmen superinducimus, dum bonorum operum nos indumento vestimus.* Peccata itaque tegimus, si bona facta malis actibus superponamus.

Peccator non tegit vulnera. PLACVIT & Augustino exemplum *Medici*, in enarratione illius Psalmi, dum scribit, *A peccatore infirmo non esse abscondenda, aut tegenda vulnera:* vt videlicet, non aperiat curatori: *Sed tegi illa debere à DEO tanquam Medico.* At, nos pœnitentiam agimus: nos igitur illa tegimus. Sed caussa princeps, & primum mouens ad debitam pœnitentiam, est DEVS, ideoque illi meritò effectus adscribitur, licet & nos cooperando vnguentum applicemus. Dono Dei, non nostris meritis habetur vera pœnitentia. B. Fulgentius de fide ad Petrum cap. XXXI. *Firmissimè crede, & nullatenus dubita, neminem hic posse pœnitentiam agere, nisi quem DEVS illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit.* S. Leo epistola XCI. ad Theodorum Episcopum: *Ipsam*, inquit, *pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne forte det illis DEVS pœnitentiam.* Hinc *Psal 84.5.* illud Psalmistæ, *Conuerte nos DEVS salutaris noster.* Et, *DEVS virtutum conuerte* *Psal 69.4.* *nos.* Istud quoque Ieremiæ: *Conuerte me,* *Ier. 31.19.* *Domine, & conuertar.* Postquam *conuertisti me, egi pœnitentiam.* Quo loco Hieronymus *Vide*, ait, *quantum sit auxilium, & quã fragilis humana conditio, vt hoc ipsum, quod pœnitentiam agimus, nisi nos Dominus antea conuerterit, & nisi Dei nitamur auxilio, nunquam implere valeamus.*

An cicatrix maneat post pœnitentiã. PORRO, dum vulnera teguntur, vel obducuntur in corpore, manet, aut cicatrix, aut victurum in cute punctum, aut macula saltem, & nota, quæ deformitatem adfert. Non id fit in Pœnitentiæ medicamine, qua dum obducuntur peccata, adeò non manet vllum mali præcedentis indicium, vt potius ornamentum accedat: non secus, quam si gemma, vel aurea lamella foramen in veste operias. *Non sic intelligas*, inquit Au- *Aug. Ps. 31.* gustinus. *peccata cooperta, quasi ibi sint, & viuant.* Imò, Basilius, ac Theodoretus illa dicendi formula significari aiunt obliterationem, vt ne vestigia quidem supersint. Est enim *Tectio* peccati, idem quod *Deletio*, ex Psalmo L. Isaiæ XLIII. ex *Psal. 50.2.* Paulo ad Colossens. II. idem quod *Abla-* *Isa. 43.25.* *tio*, ex Iobi VII. Idem quod *Solutio*, vel *Coloss. 2.14.* *Absolutio*, ex Matthæi XVI. Idem quod *Iob 7.21.* *Emundatio*, primæ Ioannis primo, & *Matt 16.19* Psalmo L. Idem quod *Lotio, Ablutio, De-* *1. Ioa. 1. 9.* *albatio*, ex Psalmo L. & Isaiæ I. Idem, *Psal 50.12.* quod *Dominatio*, seu *Condonatio*, ex epi- *Psal 59.* stola ad Colossenses secũdo. Idem, quod *Isa. 1.18.* *Coloss. 2.14.* *Rom 6.18.*

Libe-

Rom 6.18. *Liberatio* ex epistola ad Romanos VI. Idem, quod *Reconciliatio* ex altera ad Corinthios V. Idem, quod *Sanatio* ex Matthæi IX. Idem, quod *Viuificatio* ex I. Petri III. Idem quod *Iustificatio* ex epistola ad Romanos V. Idem, quod *Exhaustio peccatorum* ex epistola ad Hebræos IX. Idem, quod *Sanctificatio* ex priore ad Corinthios VI. Idem, quod *Proiectio* in mare, in eoque *Demersio*, ex Michææ VII. Idem quod *Purgatio*, & *Excolatio*, ex Malachiæ III. Idem, quod *Destructio corporis peccati*, ex epistola ad Romanos VI.

2. Cor. 5.18. Matt. 9.12. 1. Petr. 3.18. Rom. 5.1. Hebr. 9. 28. 1. Cor. 6. 2. Mich. 7. 19. Malac 3.3. Rom 6.6.

Peccato tegi idem, quod tolli.

QVÆ omnia demonstrant nihil peccatorum, quod ad veram peccati culpæque rationem spectat, in homine per Pœnitentiam sanato remanere. Quocirca Patres: nominatim Gregorius Nazianzenus, oratione in Sanctum Lauacrũ, Augustinus, ac Gregorius Papa in psalmũ XXXI. vt ostendant, dum dicitur, *Peccata tegi*, nõ esse idem, quod manere; sed non videri: verùm planè tolli: vt à Deo non videantur, quia nõ sunt: dicunt, peccata tegi à Deo in iustificatione hominis, quomodo vulnera à *Medico* teguntur emplastro, per quod ita verè curantur, & tolluntur, vt nunquam appareant. Origenes quoq; lib. IV. in Epistolam ad Romanos, ac Theodoretus in Psal. XXXI. dicunt, ea, & illi similibus vocibus significari: peccata ita funditus eradicari, vt ne vestigium quidem remaneat.

Habitus praui remanent remisso peccato.

NON nego obducta peccati plaga, remanere in multis prauos habitus, quos actuum multiplicatione adquisiuerunt: ideoque difficultatem ad bonum. Quam, si vulneris sanati crustam, vibicemve, aut næuum appellares, non damnarem equidem, modo peccatorum nihil relinqui cum damnatæ memoriæ hæresiarchis sentias. Amœnum est illud Isidori, sed tectionem, de qua agimus, non omninò exprimit: Rachelem sedentem & idola patris cooperientem, referre illum, qui culpas auaritiæ, ac terrenæ concupiscentiæ per humilitatem pœnitentiæ tegit, premit, damnatque. Nec illud displicet, quod quidam notat: Cum DEVS in scelerum vindictam vulnera nobis infligat, famem, pestem, bellum, aliasque calamitates: hæc quoque tegi, ac sanari emplastro imposito.

Isid in Gen. 16.

Cicatrices peccatorum tolluntur.

SED nos de ijs vulneribus propriè agimus, quæ peccata dicuntur: quorum cicatrices adeò tolli, vt ne quidem lynceis inspectorum acutissimorum oculis locus illorum animaduerti possit: quod nullum illorum signum futurum sit, quidam neque omninò recentes, neque indocti auctores adfirmant: atque hanc emplastri pœnitentialis virtutem esse asserunt. Habet id commentarius, qui nomine Hieronymi circumfertur, ac Magister Sententiarum in Quartum, Distinct. XLIII. Viguerius in Institutionibus cap. XXI. Sonnius in Demonstratione, tractatu de Iudice: & quidam alij, qui negant in iudicio hominum vniuersali, reuelanda electorum peccata: atque ita per pœnitentiam velari, ne in iudicio reuelentur. Quod est obduci cicatricem RESINA GALAAD. Id quidem multi non admittunt. Ego certum esse reor: ita peccatorum vulnera emplastro Pœnitentiæ sanari, vt, etiamsi in die iudicij signo aliquo appareant, nec ruborem, nec mœrorem illatura sint: sed signa ipsa, ac, si dicere lubet, cicatrix sit futura gloriosa, vt enitescat, laudeturque misericordia DEI; ac nobiles exhibeantur de pœnitentium peccato triumphi. Laceram quis interdum sic reparat vestem, assuto panno preciosiore, vt vestis ea

Vigue. c. 21. §. 3. v. 6. Sonnius Tract. de Iud. cap. 8.

Vide Suarez Tom 3 in par. 3. Disp. 57. sect. 7.

ea scissio ad ornatum de industria videatur facta. Simili modo extabit pœnitenti alicui laus ex pœnitentia maior, quam integ o aut innocenti alteri.

Splenium. HIS cum morosius commentando inhærerem, occurrebat animo à veteribus celebratum emplastri genus, quod *Splenium* hodieque à peritis eius artis nominatur, dubia originatione: cùm alij quod lieni indurato admoueatur, sic dictum velint: alij à lienis forma nomenclaturam ducant. Est enim in longitudinem productum, & fronti plerumque arcendis doloribus impingebatur. Hunc vt Pœnitentiam, tanquam fasciæ Resina delibutæ, & vulneribus obligandis percommodæ comparem, Bernardus facit, vir, si quis alius in medicandi ratione spirituali exercitatissimus. Is agés de vulnerum humani generis ligaturis, *Pœnitentiam*, planè, vt *Splenium*, depingit hisce verbis sermone 9 de Circumcisione. *Iunius in Nomenclator.*

Cur Christus circumcisus. CIRCVMCIDITVR *Puer: Agnus sine macula. Et si non eguit, voluit tamen circumcidi. Nec vestigium vllum vulneris habens, alligaturam, non refugit vulneris. Non sic impij: non sic agit peruersitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & venerandum pariter & austerum sine vlla necessitate suscepit. Nec repulit cultrum lapideum, in quo sola vetus illa, quæ raderetur rubigo non fuit. Nos e contrario inuerecundi ad obscœnitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam. Quod extrema dementia est, male proni in vulnera, peius in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari. Nos & esse volumus, & nolumus æstimari. itaque sano opus est medicina? & non potius malè habentibus? Imò vero: itane eget medicamine, non æger, sed Medicus? Quis hominum tanta sibi, non dicam gloria, sed & innocentia conscius æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter, quæ non rapuit, exsoluit. Qui venerat purgationem facere, non suscipere peccatorum.*

CETERVM Splenio frons cica trisa, vel stigmate inusto fœda cingebatur, ne quid dedecoris appareret: & vt frontis honos ac elegantia constaret, fascia candida, nitensque adhibebatur. Imò stellulæ ex auro, aut gemmis Splenio ornatus caussa attexebantur. Vt apud nos in fascijs quibusdam, quibus post Confirmationis Sacramentum collatum frontes puerorum exornantur. Talis est alligatura Pœnitentiæ, quæ non sanat tantùm, sed & ornat, si parti malè adfectæ adhibeatur. Frons tibi hactenus fuit meretricis, noluisti erubescere: tot in illa geris stigmata, tanquam notatum mancipium, quot Dei monentis vocibus impiè es reluctatus. Splenium appone Pœnitentiæ; molliat illam *Resina Galaad*, quam indurarat obstinationis rigor: plus venustatis addent huius stellulæ, quam turpitudinis reliquêre illius notæ Splen vanitatis ad omnem te immodestiam proritauit, renum quoque ludibrio procurato. Vtere *Splenio Pœnitentia*, deteſtare mollitiem, abijce placentia, grauitatem indue, gloriæ erit hæc fascia, non cõtemptui. Illa ipsa dolores capitis, cephalæam superbiæ, vertiginem inconstantiæ, crapulam ebrietatis facillimè discutiet. *Stellulis insignitum Splenium: NOTÆ.*

SANABERIS, si non erubescas hanc vulnerum alligaturam. Alligaturam dico, qua Deus ipse in sanandis vlceribus vtitur. Errare non possum, si Interpretis Diuini verba vsurpem. Is, *Sanat*, inquit, *contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Sanat contritione ipsa: & con- *Alligatura vulnerum.* *Psal. 146. 3.*

confracta, contritaque ipse constringit, ac solidat. Quæ metaphora sumitur à Chirurgis, qui vt sanent vulnera, ac rupturas, membra circumligant, emplastro è resina imposito. Ad verbum Hebraicè est. *Qui pharmaca imponit, & medetur doloribus eorum.* Qui alligat vulnera, is contritiones, id est, confractiones, & sensu magis abdito, peccata ipsa curat pœnitentia. Quod pertractans Augustinus: *Sanat, ait, contritos corde. Sanat ergo humiliatos corde. Sanat cōfitentes, sanat seipsos punientes: in sese verum iudicium exercentes: vt possint esse illius misericordiam sentientes.*

Viuaha-basch lehat sebathani.

Medici officium.

Ezech. 34. 16.

HOC boni est *Medici*, qui de se profitetur, Ezechielis XXXIV. *Quod perierat requiram. Et quod abiectum erat, reducam. Et quod confractum fuerat, alligabo. Et quod infirmum fuerat, consolidabo.* Felicia vincula expertissimi *medici*, quem, si colueris, ac præceptis eius obedieris, erunt tibi *compedes eius in protectionem fortitudinis: & bases virtutis: & torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius Alligatura salutaris.* Eccl. VII.

Eccl. 7. 30. 31.

Pœnitentia dissociata iungit.

GRANDIS, & annosa quercus ob annorum pondus grauius in duas partes diuulsa, à lenta, humilique salice rursum ita constringitur, ac vincitur, vt non amplius disrumpi facilè queat. Aptius non est vinculum ad inueteratos dierum maiorum, cor in plurima diuidentes, iterum coniungendos, ac consolidandos, quam *Alligatura salutaris* Pœnitentiæ. Quem effectum esse RESINÆ Ambrosius docet in Disputatione illa sapientissima de Resina spirituali, quam habet libro de Ioseph Patriarcha, explicans illud Genesis XXXVII. *Viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad: & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum.*

Ambr. lib. de Ios. ca. 3

Gen. 37. 25

RESINA, ait, *marmora confracta sociantur. Est Resina spiritualis, quæ fracturas animæ tuæ solidet: & diuulsa connectat: & soluta cōstringat: Hæc enim spiritualis Resina consolidat: &, quædam comminuta animæ membra componit, vt sine offensione socientur.* Ieremias hanc quærit *Medicinam, vt Babyloniam curet, sanare si possit: dicens*: Accipite Resinam corruptioni eius, si quo modo sanabitur? curauimus Babyloniam, & sanata non est. *Non est sanata Synagoga, quia Resina ista migrauit ad Ecclesiam. Ideò ex Galaad veniebant negotiatores de possessione: hoc est, de incolatu testimonij merces suas ad Ecclesiam transferentes, vt Gentium peccata Resina ista curaret.* De quibus dicitur: *Conualescite manus discussæ, & genua dissoluta.* Isaiæ, cap. XXXV.

Resinâ sociat & consolidat.

NOTÆ.

Ier. 51.

APPLICAT hæc viuæ fidei ac efficaci Ambrosius. Et *hanc*, inquit, *habebat* Resinam *Petrus, cùm diceret clando*: In nomine IESV Nazareni surge & ambula: *meritoq; surrexit, & ambulauit. Hanc habebat, cùm diceret paralytico*: Ænea, sanet te Dominus IESVS: surge, & sterne tibi. *Et surrexit, & strauit sibi. Hanc habebat, cùm diceret mortuæ*: Surge in nomine Domini IESV. *& defuncta surrexit.* Huius Resinæ temperamento, lapides illi, de quibus potens est Dominus suscitare filios Abrahæ, compaginantur. *Huius* Resinæ medicamento *claudus erigitur, paralyticus reformatur, mortua resuscitatur.* Magna vis Pœnitentiæ, qua diuulsa coniunguntur, contusa consolidantur, fracta coalescunt; vita ipsa restituitur. Præter hæc

Fides Resina, quia coniungit.

Actu. 3.

Actu. 9.

PYROTICVM medicamentum, quod ignis vsum præstat, vt inexpugnabile alias vitium superetur, esse Pœnitentiam, qua tanquā igne, aut ignito ferro inurantur contumacia quędā superbiæ vlcera Aug. docet. Qui illud Salomonis opponens:

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius, Prouerbiorum XII. ita scribit, vt, per carbones ignis intelligi velit vrentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseriæ subuenitur.

Medicamentum vniuersale.

VERVM non est reperta in vlla Medici officina, tam vniuersale contra morbos omnes lethales, tam efficax, ac necessarium remedium, quod ad omnes requiratur, medeatur vniuersis. Tale autem certissimè est Pœnitentia: adeò, vt etiam adulto, per baptismum non remittantur peccata, nisi adiuncto pœnitentiæ medicamine. Quocirca monebat Petrus Actuum secundo baptizandos: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine* IESV CHRISTI *in remissionem peccatorum.*

Act. 2. 38.

Nauar. Manu. cap. 1. n. 38. S. Tho 3 p. q. 79. art. 3. ad 2.

ET quamuis aliqui existiment ad baptismum accedenti necessariam esse pœnitentiam perfectissimam, quæ contritionis nomine exprimitur, saltem, quam accedens se habere arbitretur: tamen ii mihi nimis seueri semper sunt visi, & sufficere arbitror imperfectum dolorem, quæ attritionis vocatur. Quod colligitur ex Concilio Tridentino Sessione XIV. cap. 4. & sess. VI. cap. 6. Quid autem est, aut grauitate tam enorme, aut multitudine tam numerosum, quod non sanet DEVS Medicina Pœnitentiæ?

Pœnitentia sanat infirmitates omnes. Serm. 58. de Temp.

FORTE *cogitat aliquis*, inquit Augustinus, *tam grauia se admisisse peccata, vt tam misericordiam Dei promereri non poßit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo! quicunque illam multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis* Medici *non attendis? Cùm enim Deus velit misereri, quia bonus est: & poßit, quia omnipotens est: ipse contra se Diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit: eumq; aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.*

CELEBRABANT olim Gallorum Druidæ *Viscum*, cui magna est cum Resina adfinitas, & omnia sanantem appellabant, vt scribit Plinius. Licet autem *Viscum* in pluribus arborum truncis vetustioribus reperiatur enatum: tamen in quercu præstantissimum enasci est certum: quod præ alijs ad morborum, & nominatim epilepsiæ remedium expetitur. Eum morbum alij Sacrum, & Herculeum vocant, non, quod eo Hercules laborarit, vt nonnemo adfirmat: sed, quod à solo Hercule curari posse crederetur. Quemadmodum verò per hunc morbum grauissimus humani generis lapsus, indeque orta communis imbecillitas potest significari: ita per viscum, querceum, singulare illius antidotum, à Liberatore nostro initio statim prædicationis, præsertim, Pœnitentiæ remedium, nos symbolicè designare nihil prohibet. Quod quidem OMNIA SANANTEM MEDICINAM, rectius, quam superstitiosi Druidę, viscũ appellabimus.

Viscum Gallicum. Plin. l. 16. cap. 44.

Gorop. Becan.

Robore ab annoso Viscum sanare caduces Quod valet est Christi vina figura Dei.

Medicamentum præsentaneum.

SED, quæ diximus, minus admirationis haberent, si non nisi longis temporũ interuallis, tam varia ad spiritualem sanitatem pertinentia Pœnitentiæ *Resina* operetur. Nunc cùm breuissimo, eius virtute omnia perficiantur, augetur sanè plurimũ Medicamenti illius Diuini pręstantia, cum qua crescat oportet infirmorum desiderium. Magna profectò sunt in precio *Medicamenta* quædam, quę à Medicis *Præsentanea* dicuntur, quod confestim iuuent, statim, atque apposita sunt. Ego sanè nullũ in pharmacopæorum officinis inueniri reor, quod ocyus sanitatẽ inducat, ideoq; sit magis præsẽtaneũ, efficax, & singulare, quã sit *Medica-*

Παιώνιον φάρμακον.

dicamentū Pœnitentiæ. Laudantur nonnulla, quæ die vno, siue naturali, siue artificiali malum excutiunt. Pœnitentia diem non exigit: subitò sanat. Ecclesiastici secundo cap. *Facilè est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Quod de Deo Medico, Pœnitentia sanante, graues Theologi intelligunt.

Bell lib. 2. de pœ. cap. 2

Nulla mora Pœnitentia sanat.

SED, quod est subitaneum, morulam interdum aliquam adiunctā habet, quæ non videtur esse in momento. Sanat autem momento Pœnitentia. S. Cyprianus sermone de Cœna Domini, loquens de latrone pœnitente, *In momento,* inquit, *impietas religionem, crudelitas induit pietatem: & statim consummatus ciuis Sanctorum, & domesticus Dei promissus est in regnum.* Et D. Chrysostomus epistola priore ad Theodorum lapsum de eodem latrone: In eo momento totius vitæ peccata simul abstersit, atque ante Apostolos officij grati præmium suscepit. Hinc S. Leo epistola XCI. *Apud Deum nullas patitur moras vera conuersio: dicente spiritu Dei per Prophetam: Cum conuersus ingemueris, saluus eris.*

Momentum aliquid est temporis.

AT momentum, apud homines aliquid temporis, vel est, vel includit, vel indicat. Pœnitentiæ autem tam velox est sanatio, vt nulla temporis parte, neque termino, aut puncto, siue continuante, siue limitante, egeat. Audi Chrysostomum, epistola eadem ad Theodorum lapsum. *Non ad temporis rationem, sed iuxta adfectum animæ solet diiudicari Pœnitentia.* Ac Cælestinus Papa Epistola ad Gallos: *Desperat de misericordia Dei, qui ei ad subueniendum morienti sufficere, vel in momento non credit posse. Vera ad Deum conuersio in vltimis positorum mente potius æstimanda est, quam tempore: Propheta hoc taliter asserente: Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.* Incredibilis certè huius Medicinæ in persanando velocitas, quæ confertur, cum celeritate mentis, cui nulla par, cum sit sideribus velocior, temporibus velocior, conuersionibus omnibus mundanis velocior. Ex quo colligunt Theologi, *Primò,* non requiri vllam moram temporis, sicut neque certam intensionem ad veram contritionem. *Secundò:* in isto mundo manenti pœnitentiam nullam seram esse. Quæ sunt verba S. Cypriani tractatu primo ad Demetriadem.

Isa. 30. iuxta 70.

Medicamentum parabile.

ADDE, Medicamentum Pœnitentię, de quo agimus, esse maximè obuium, & parabile. Quod illa Prophetæ interrogatione continetur: *Nunquid Resina non est in Galaad?* siquidē, videtur insinuare Vates diuinus: mirum esse, quod tam pauci sanentur, cum tam sit vulgaris, ac tam facilè parari possit medela, *Resina.* Hæc enim sponte ex arboribus sudat: ab omnibus potest excipi: non nisi appositione ad vulnus opus habet: inuenitur in Galaad, loco neque dissito, neque ad adeundum periculoso: non concluso, sed aperto: non abscondito; sed in monte sito. Tale remedium est Pœnitentia, quâ nihil est magis obuium, paratumque: cuius in Galaad, quæ Ecclesiæ est typus, ingens occurrit copia: pauperibus æquè, ac diuitibus in promptu, modo velint diuinæ gratiæ non deesse, & manum ad capiendum extendere.

Mandatum Dei obuiū. Deuter. 32.

QVOD de suis mandatis vniuersè olim dixit Dominus. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in cœlo situm, vt possis dicere: quis nostrum valet ad cœlos ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus: neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere, quod præceptum est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Hoc de Pœnitentiæ

facilitate in Ecclesiâ potissimum intelligendum est, quam ipsa religio Christiana subministrat. In quâ dum confertur spiritus gratiæ, datur etiam facultas ad ea obtinenda remedia, quæ ad animæ sanitatem conducunt. Medicamentum hoc non est supra nos, id est, non difficile habetur, sicut illa, quæ longè dissita sunt: quia sumus in Galaad, quæ huius Medicinæ feracissima est: & in corde, ac ore nostro: id est, in fide cordis plantula illa exsurgit, ex quâ hoc medicamentum manat.

Pœnitentia vere Medicina. His similibusq; adducti veteres illi omni eruditione, ac pietate magni Theologi, Pœnitentiam, vt *Medicinam* agnouerunt. Pulchra est illa D. Chrysostomi sententia in sermone III. *De Pœnitentia. Quemadmodum in corpore vulnera & Medicinæ, sic in anima peccatum* & Pœnitentia. *In vulnere sanies: in* Medicina *purgatio saniei. In peccato improperium: in peccato tristia. In* Pœnitentia, *fiducia: in* Pœnitentia *libertas: in* Pœnitentia *purgatio peccatorum.* Hac persuasione imbutus D. Augustinus, scripsit homilias duas de Pœnitentia: quæ sunt, vigesima septima, & quinquagesima, in libro quinquaginta homiliarum: alteram quidem titulo libri, *De pœnitentia*: alteram titulo: *De pœnitentiæ Medicina.* Dum Paulus Apostolus scribit Corinthiis: *Gaudeo, non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur,* ex Chrysostomi, aliorumque sensu loquitur, ac si diceret: Non gaudeo de tristitia: gaudeo de fructu, qui est Pœnitentia: huius autem effectus sanitas animæ, salusque stabilis. Loquitur tanquam *Medicus*, qui non gaudet quod amaro pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrum cruciet: sed gaudet de sanitate, *2 Corint. 7.* quæ ex illo pharmaco, sectione, aut adustione consequitur. Ita Paulus, non gaudebat, quod aspera obiurgatione, ac minis terrorem, & molestiam Corinthijs intulisset: sed, quod ea molestia, terroresque pœnitentiam, pœnitentia sanitatem, & quidem salutarem attulisset.

Quantitas Pœnitentiæ. HINC quoque de quantitate, qualitateque Pœnitentiæ faciendæ indicandum esse Doctores Ecclesiæ pronuntiant, tanquam Medici spirituales. Inter quos magnum illud Africæ lumen Cyprianus, sermone de lapsis, qui fidem in persecutione eiurarant: *Quam magna deliquimus,* inquit, *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa* Medicina *non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Putas ne tu, Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? cui patrimonium præponere maluisti? cuius templum sacrilegâ contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, & rogare: diem luctu transigere: vigilijs noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare: stratos solo adhærere: in cinere, cilicio, ac sordibus volutari. Post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle vestitum. Post Diaboli cibum, malle ieiunium. Iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur. Eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur.*

Cylindrus genus emplastri. ALTO vulneri diligens, & longa *Medicina* non desit. Est emplastri quoddam genus apud Medicos, quod à forma oblonga *Cylindrus* dicitur, ac in metæ figuram coactum vulneribus imponitur: pro vulnerum autem quantitate magnum, aut paruum: longum, aut breue est. Huic Pœnitentiam Cyprianus comparat: quam vulneri, id est, iniquitati commensurari vult, videlicet ex Medicinæ præscripto.

CVIVS

Medicamenti pœnitentialis compositio. CVIVS rationem attendens D. Chrysostomus, medicamenti huius cōpositionem sic docet. homilia IX. in Epistolam ad Hebræos. DEVS *dedit.*

POENITENTIAM MEDICINAM, *quæ possit omnia nostra peccata delere, tantum, si consideremus, qualiter oporteat apponere. Qualiter ergo* Medicamentum *illud conficitur? Primo: contemnendo, & confitendo propria peccata.* Iniquitatem, *inquit Propheta,* meam non celaui. *Secundo:* Confitendo ex humilitate multa. *Si enim Confessus fueris peccatum tuum, sicut oportet confiteri, humiliabitur anima. Oportet autem & alia addere humilitati, si talis futura sit, qualem B. Dauid habebat, dicens:* Cor contritum & *Psal. 50. 19.* humiliatum Deus non despicies. *Post humilitatem autem oratione intensa est opus: lacrymis deinde multis per diem & noctem.* *Psal. 6. 7.* Lauabo, *dicebat ille,* per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo. *Post orationem sic intensam opus est eleemosyna multa.* Medicamentum enim validum quod maximè operetur ad pœnitentiam hoc est. *Luc. 11. 41.* *Audi enim quid dicat scriptura Sacra:* Date eleemosynam & erunt vobis omnia munda. *Tandem, oportet opem ferre iniustitiam patienti.*

Necessitas Pœnitentiæ. Ex eodem capite colligunt Patres Pœnitentiæ necessitatem. Quæ duplex est: præcepti, ac medij, vt Theologi loquuntur. Sic S. Ambrosius sermone ad Virginem lapsam cap. VIII. *Pœnitudo necessaria, sicuti vulneratis sunt necessaria medicamina. Cùm animo conceperis non aliud remedium constitutum esse, post baptismum, quam pœnitentiæ solatium, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorem subire esto contenta.* Et D. Pacianus epistola prima ad Sympronianum. *Pigeat sanè peccare sed pœnitere non pigeat: pudeat periclitari: sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne euadat, eripiat? Quis* SANANDIS VVLNERIBVS *inuidebit.*

Elegantèr Christianus Cicero in epitome Institutionum diuinarum necessitatem Pœnitentiæ, iungit vtilitati eiusdem ac præstantiæ, ex Medica ratione ducto argumento. *Lactant. in epit. instit. diuinar.* *Pœnitentia, inquit, non minimum inter virtutes habet, quia sui correctio est. Magnum est Pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum, peccatorumque* SANATIO. *Illa spes illa portus salutis. Quam, qui tollit, viam vitæ sibi amputat. Quia nemo tam iustus esse potest, vt nunquam sit ei Pœnitentia necessaria. Illæ sunt victimæ. Hoc sacrificium placabile. Hic verus est cultus, quum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert. Summa illa Maiestas hoc cultore lætatur. Hunc, vt filium suscipit sibi, quia donum immortalitatis impartitur.*

HVC spectat, quod habet S. Ephrem Libello de die iudicij, *Compunctio,* SANITAS *animi est:* videlicet, caussando ipsam sanitatem, dum vulneribus medetur. *Sanitas animi compunctio.* *Illuminatio mentis est compunctio: remissionem delictorum nobis adquirit.*

D. Bernardus sermone x. in Cantica, comparat Pœnitentiam vnguento, & vnctioni, cuius odore tota domus repleta est, Maria Magdalena illam in pedes Christi infundente: aitque, non Ecclesiam solum, quæ in terris, sed supernas quoque Beatorum mansiones attingere pœnitentium odorem: ita, vt, teste ipsa Veritate, *magnum sit gaudium super vno peccatore, pœnitentiam agente.* Concludit tandem. *Non est omnino spernenda, nec vilis æstimanda huiusmodi vnctio, cuius odor non solum homines prouocat ad correctionem: sed & Angelos ad exultationem inuitat.*

MVLTA

MVLTA vulnera corporis, eiusdemque morbi, temporis lapsu, naturæ sibimet opitulantis beneficio, & mali paullatim deficientis interitu, alijsque modis sanantur. Ad animæ morbos omnes, & vulnera, quæ nobis ipsis infligimus, necessaria est *Medicina pœnitentiæ*, sine quâ nemini obtingit salus adulto peccatori. Quis credat? certum tamen est: ac Theologo minime dubium. Qui, cum de huius *Medicamenti* necessitate disputat, more suo, subtiliter: illud etiam inquirere non veretur. An Pœnitentia, quæ in peccati detestatione consistit, ita sit necessaria, vt non minus contradictionem inuoluat, homini remitti peccata sine pœnitentiâ, quam hominem non esse rationalem? Angelum commutari in Chimeram? ac similia. Quæ idcirco, quod nulla ratione fieri queant, impossibilia appellantur. Et fuere nonnulli ex Doctoribus minimè contemnendi, qui id asseuerarunt. Plurimorum, & minus dubia est illa assertio: Pœnitentiam explicitam (ita loquuntur in scholis) saltem secundum potentiam ordinariam, ita esse necessariam, vt in nullo euentu, peccatorum remissio sine eius remedio obtineatur. Prima *Salus*, inquit Augustinus, *est declinare culpam:* Secunda *salus, non desperare de veniâ. Nam ipse se in æternum perimit, qui apud misericordiæ iudicem ad* POENITENTIAE REMEDIA *non recurrit.* Et D. Cyprianus. Primus *felicitatis gradus est, non delinquere.* Secundus, *delicta cognoscere, ac deflere. Illic currit innocentia integra, & illibata, quæ seruet. Hic succedit* Medela, *quæ sanet.*

August. serm. 200. apud Prosper. Lib. 1. c. 2.

TANDEM, Pœnitentia remedium est *Stomachicum*, quod animæ stomacho, memoriæ, ac voluntati condueit. Nam Pœnitentia facit, vt reuoluantur, & recoquantur præterita in amaritudine animæ: beneficia Dei cum gratiarum actione, Dei misericordia, iustitia, bonitas. Vnde bonus succus elicitur, perque omnes animæ facultates dispergitur.

Medicamentum stomachicum.

HVIC adnectatur. Quod sanguinis reiectioni: id est, peccatorum eiectioni, & confessioni vtilissimum sit remedium. Clamat Pœnitens. *Libera me de sanguinibus* DEVS *meus* Et hac Medicina liberatur; quam meritò medicamentorum omnium cinnum, ac medullam dicimus.

Sanguinis reiectioni vtile.

NOTAE.

§. HORTVS *Adonidis*] Κῆποι Ἀδώνιδες. Horti Adonidis: *quia temporaria opera per æstatem fiunt, & paucis diebus enati mirifico spectaculo oculos pascunt. Suspenduntur autem è laquearibus crudo fictili in oblongam formam producto, occultos per meatus radicibus humorem sufficiente. Plinius* l. XIX. c. 14. Horti imaginarij, *qui in fenestris in imagine hortorum quotidiana plebis vrbanæ oculis rura præbent.*

RESINA Galaad.] *De Resina Leuinus Lemnius in opusculo de herbis bibliacis c.* XXIV. *Benedictus Pererius Genes.* XXXVII. Resina *est humor tenax ex arboribus defluens, atque in ijsdem hærens, stomacho conducens, & sanguinis reiectioni. Laudatur maximè terebinthina. Erat frequens in Arabia, Iudæa, Syria, Cypro. Sed terræ Galaad optima.*

NVNQVID *Resina* non est in Galaad? *Prouerbialis loquutio: de quâ Delrius Tom* I. *Adag.* DCCCXXXI. *Deseruit,* I. *contra desperationem, & acediam, vt hortemur peccatores ad pœnitentiam. Quo fine vtitur ille Abbas Antiochus homil* XXVIII. *ad declarandam necessitatem Incarnationis dominicæ, & restaurationem humani generis, per tanti* Medici *curationem. Quo pacto vsurpat M. Antonius Epistola ad Arsenoitas* III. *vt doceatur, nullum esse*

esse peccatum irremissibile. Ad quod adducit illam D. Brachiarius initio epistola ad Ianuarium.

Leuinus Lemnius li. cit. Obuia est hac parataque omnibus medela, qua mentem animumque lacerum sanet. Sed filia populi mei salutis sua oblita, non adhibet remedia (Pœnitentia,) vulneribus suis sordidis, & purulentis. Non admittit salutaria verbi diuini ad pœnitentiam prouocantis fomenta, & cataplasmata. Sed putrescit in vitiorum suorum sordibus, nec vomicas suas exercitato, expertoque Medico, nempe Deo, detegit, aut curandas offert. Penes quem præsentanea sunt remedia medendis exulceratis mentibus, adhibito vino ac oleo consolationis ac misericordia.

IEREMIÆ XLVI. II. *Insultatur Aegypti amatoribus, id est, hominibus non nisi vana, ac seculum amantibus, quod conuenientia vulneribus medicamenta non apponant: & alibi quarant, quod non nisi in Galaad reperitur.* Ascende in Galaad, & tolle *Resinam* virgo filia Ægypti. Frustra multiplicas medicamina. Sanitas non erit tibi. *Isaia* LI. 8. *Contrita, & conquassata, conuulsaque Babyloni, qua est, velut scelerum quadam officina, & animã r. fert peccatis plenam, clamat Propheta adhibendam Resinam, si fortè sanetur. Quam cùm respuat, vt impœnitentem, sic insanabilem, ac morbo deplorato implicitam pronuntiat, ideoque à spiritualibus Medicis, tanquam depositam deserendam: ac alibi melius operam locandam.*

GRAMMATICALIA *de* Resina *reperies in Matthao Radero ad Martialis librum tertium:* Resinata bibis vina.
Vbi docet vtramque syllabam esse longam, ac Graecè scribi ῥητίνη. *Quare Martialis lib.* III. *epig.* 53.

Veterno, resinaque pigriores

legendum:

Vcientone, asinaque pigriores.

Galaad *vna fuit ex sex oppidis refugij asylique Leuitis, ac Sacerdotibus adsignata, Numeror.* XXXV. *Deuter.* XIX. *Iosue* XX. *Montis Galaad fœcunditatem ac terminos describit August. Torniellus in Annalibus Anno Mundi* MMCCXCVI. *num.* 4.

POENITENTIA, Medicina.] *Nihil frequentius occurrit in antiquorum Patrum scriptis. S. Chrysostomus Homil.* v. *De Pœnitentia.* Pœnitentia est *Medicamentum* peccatum extinguens. Donum cælitus datum. Virtus admirabilis. Gratia vim legum superans.

S. Ephrem. Lib. de iudicio extremo, cap. 5. Compunctio sanitas animæ est. Compunctio remissionem delictorum nobis adquirit. Compunctio Iesum Vnigenitum facit in nobis habitare.

Ludouicus Blosius in Paradiso anima cap. XVII. *monet, celeriter à peccato esse resurgendum, ne post moram, difficilius saneris; cum peccatum vulnus infligat, cui statim Emplastrum Pœnitentia sit imponendum.* Quemadmodum, *inquit*, fomenta & emplastra vulneribus maturè adhibita, carnem recens dissectam facilè redintegrant, serius verò adhibita, corruptam difficulter restituunt: ita tu, si post peccatum admissum, statim pœnitentiam egeris, ac resipueris, pristinam gratiam absque magno labore recipies: si verò diu in ruinâ iacueris, non iam facilè te eriges: vtpote, ipso peccati pondere, ipsaque peccandi consuetudine interiorem tuum hominem deprimente, vimque faciente.

Notat etiam Bellarminus Lib. IV. *de Sacramentis, cap.* XIX. *ad* III. *Sacramento Pœnitentia applicari merita Christi per modum Emplastri, vel Pharmaci, ad curanda vulnera.*

Idem, Concione XXXV. *hunc in modum disserit.* Cùm ægrotas, & Pharmacum est sumendum, sumis-ne quantum tibi, an

quantum *Medico* tuo videtur? Tu enim, etiamsi artem medendi didicisses: tamen vel nimio desiderio sanitatis nimium pharmaci sumeres: vel nimio tui amore nimis parum acciperes. *Medicus* verò, pro sua prudentia ad ægritudinem tuam pharmacum suum accommodabit. Sic in *Pœnitentia* modo, vel nimia seueritate, vel nimia indulgentia peccant plerumque homines. Deus autem, qui intimè nos, & naturam nostram, morbosque nostros, ac naturam nostram cognoscit: quique incredibili quodam, ac verè paterno amore nos diligit, eam nobis per suos Pœnitentiæ *Medicinam* præscribit: quæ nobis maximè conuenit. Ex eodem probat calamitates a Deo immissas esse sponte suscipiendas.

S. Ambrosius, ex eo, quod Pœnitentia *sit* Medicina, *probat non debere illam esse delinquendi incentiuum. Lib. II. de Pœnit. cap.* 9. Sunt, *inquit*, qui proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant: cum Pœnitentia peccati sit remedium: non peccandi incentiuum. Vulneri enim medicamentum necessarium est: non vulnus medicamento. Quia propter vulnus medicamentum quæritur: non propter medicamentum vulnus desideratur. *Quod argumentum fusius deducit Adrianus Mangotius in Monitis sacris Tom. I Monito I.*

Ex eodē titulo colligas, iterandam pœnitentiā, quoties peccamus Neminè pudet, pigetq; post morbos nouos valetudinem iterare medicamentis nouis. Iteranda *Medicina* est, inualetudine iteratâ. Neque statim succidendus, aut submittendus animus desperatione. Sed neq; nimia fiducia restitutæ semel valetudinis ad morbi caussas properandum est. Fatui, qui valetudinis fiducia voluntaria se induunt ægritudine, & præteritorum fortuita spe ad pericula decurrunt. Prudentes, qui salutē periculorū memoria operantur: nusquā securi: semper timidi. *Carol. Scribanius in Philosopho Christiano Proam. ad Lector.*

QVIA Pœnitentia Medicina *est, hinc efficias, non esse differendum dum. morbus vrget. Pœnitentia quam primum agenda est.*

> Elleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit
> Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

Ante nimirū prudenti præcautione medicamina perennaturæ valetudini paranda. Si proferimus in prouectam ætatem, ferè immedicabile malū est. Quod omnem fugit, quamuis doctam, medicā manum. Nam, qui cum ætate inualuerūt morbi, plurimum, non nisi cum morte ponuntur. Nimis altè annosæ hę radices terram occuparunt, quam vt vomere, aut ligonibus poscindantur. Ignibus est opus, & valentissimis remediis. *Idem ca. I.*

> Quæ lædunt oculos festinas demere, si quod
> Est animum differs curandi tempus in annum.

Dæmon cum ignoret huius Medicinæ vtilitatem, conatur Ecclesia vnicum hoc salutis pharmacum adimere. Vtitur autem suis circumforaneis hæreticis. Quibus est propositum persuadere: contritionem cordis, ac dolorem, tenebras esse, & peccata. Quibus nonne rectè occini potest illud Augustini lib. IX. Confess. cap. 4. Insani aduersus *Antidotum*, quo sani esse poterant Pœnitentiam, vel errando nesciunt esse saluberrimmam, vel oderunt ægrotando *Medicinam. Et illud Poëta Christiani.*

> Qui scelerum vobis virus lethale propinat,
> Ille salutiferum surripit antidotum.

TALIS *Caluinus, qui cum traduxisset Catholicos scriptores: quod vana quædam de*

Pœni-

Pœnitentiâ tradant, Lib. III *Instit. cap.* III. Tandem, *inquit*, vbi visi sunt corda penitus vulnerasse (*videlicet Scholastici*, leui ceremoniarum aspersione totam amaritudinem sanant. *Putidum mendacium. Non sanant Catholici inflictum vulnus Pœnitentiâ, vt leui caeremonia: dum illam adhibent, tanquam* Medicamentum pyroticum. *Vide Ludouicum Richeomum in idololatria Hugonotica Lib.*I *Cap.*14.

§. SPLENIUM.] *Martialis lib.* II. *Epig* 25.

Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.

Ignoras quid sit? splenia tolle leges.

Quo versu stigmatia cuiusdam insectatur fortunam ad equestrem, è seruili ordine euecti, sensus est, quem exprimit ibi Raderus. Ignoras, cur splenia, seu fascias, & emplastra fronti addat? Stigmaticus fuit seruus, ac litteratus: negat? remoue splenia: leges litteras, ac iuncta fronti stigmata. idem lib.x. Epi 22.

Cur splenato sæpius prodeam mento?

Vt deterream Philenim à basio.

Lib. VIII *Epig.*33.

Talia lunata splenia sponte secent.

In genere emplastrorum sunt splenia, de lienis forma nomenclaturam indepta. Videlicet in longitudinem producta, fronti arcendis doloribus imponi solita. Græci iis sinunt, [illegible] *Galeno interdum* σπλῆνες *vocantur.*

Plinius I. *lib.* VI. *epistolarum ad Arrianum de Regulo causidico.* Quamuis non possit dedilcere illud ipsum quod oculum modò dextrum, modò sinistrum circum liniebat, si a petitore: alterum, si à possessore esset acturus. Quod candidum splenium in hoc, aut in illud supercilium transferebat. *Catanæus.* Candidum splenium, *candidam fasciam exponit.*

In 1 *linio maiore reperiri*, Splenion *esse herbam* Teucrion *à Teucro inuentore dictam, qua vescentes pecudes splenibus vel lienibus carere sunt reperta.*

Splenium quoque est visceris caput apud Celsum, ex Polluce. Est autem crassissima in liene portio.

§. RESINA consolidat.] *Resina, Hebraica voce Genesis* XXXVII. 25. Seri, *descendit à* Sarat: *quasi sit ligamen ad colligendas, & conglutinandas fracturas membrorum, ac vulnera.*

Alludit fortasse ad illud Hieronymus, dum Fabiolam inquit, ex multis pœnitentiæ operibus vnum confecisse Medicamentum, *quo vulnus curaret. In Epitaph. Fabiolæ, ad Ocean.* Transiuit fluenta lacrymarum: sedit super carbones ignis faciem verberabat: oderat gemmas; linteamina videre non poterat: ornamenta fugiebat: sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impendijs medicaminum vnum vulnus sanare cupiebat.

IOANNIS XII 25. Qui amat animam suam perdet eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.] *Quomodo animam: id est, vitam in hoc mundo odisse, in altero diligere debeamus audite.* Fingite febri ardentissima aliquem laborare, eaque stimulatum vehementer sitire, & ab iis qui domi sunt magnis contendere precibus, vt sibi aquæ poculum adferatur, Porro *Medicum* interea accersitum adesse, & vbi ex concitatiore motu venæ febrim explorauit, ad ægrum conuerti & dicere: Vena renuntiat febrim, idcirco vide, ne fortè incautus gelidā aquā bibas si enim id feceris, primo quidē modicū releuaberis, deinde tamen multo grauius, vehementiusq; affliceberis.

y 2 Quod

Quod si tunc æger *Medico* responderet ac diceret: Quomodo tam sanus in carnem meam vnquam esse potero, vt ei etiam aquæ poculum denegem? Arctioribus, *Medice*, arctioribus nexibus caritatis cum ea sum colligatus, quàm, vt eam vlla ratione contristare possim. Nonne *Medicus* iure, cum stomacho diceret? Agas, vt lubet, viuas ratione tua, qui meâ non potes: veruntamen illud scito, quod si carnem tuam sic affectam, vt est, diligere, & eam minimè contristare volueris, interficies eam: si verò ad tempus carnem ægrotam oderis, & in eam pharmacis, inediâ, cauterijs, alijsque medicamentis sæuieris, eam sanam, integram, & bene valentem in non modicum tempus conseruabis.

Pari ratione, si natura nostra in eo vigore & integritate permansisset, quam à Deo effectore in suâ conditione receperat, nunquam Dei verbum, *Medicus* humani generis diceret. *Qui amat suam animam, perdet eam*: neque ie iuniorum aut vigiliarum, aut ipsius mar tyrij nomen vnquam audiuissemus. Verùm quando per peccatum primi hominis in grauissimum morbum incidimus, planè nobis necessarium est *Medici* consilium audire, pharmaca ab illo constituta non spernere, & in ægram naturam nostram ad tempus sæuire, vt eam sanam & incorruptam in æternitatem custodire possimus.

Nam etsi interdum baptismi salutaribus aquis, vel pœnitentię medicamento vulnus peccati curatum est; tamen & sæpe in morbum recidimus, & semper fomes & concupiscentia, radix peccatorum nobiscum perseuerat. Vnde tam multæ, & tam distortæ, & tam effrenatę appetitiones perpetuò pupullant, vt Apostolus Paulus dicere cogeretur, *Scio, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.*

Est autem hæc natura rerum, vt clauus clauo trudatur, & venenum veneno, & malum malo, & perturbaio perturbatione pellatur. Hausit quis venenum, vel nequitiâ inimicorum, vel incuria domesticorum? mox pharmacum ex venenis varijs compositum sumere iubetur. Æger est aliquis, & consolatione & refectione indigere videtur? *Medicus* tamen afflictum rursum affligit, & venam secat, membrum vrit, aut medicamentum bibere cogit, quod stomachum ægri totũ conturbat. Quid ita? nimirum, vt humorem, temperamentum morbi, perturbatione sublatum, medicamenti perturbatione restituatur. Sic etiam ille, qui homicidium fecit, Reipublicæ membrum præcidit, ac proinde quietem illi, & tranquillitatem reddit. Ita planè, ita, DEVS facere solet. Siquidem malum culpæ curat malo pœnæ. *Ac propterea peccatores in gehenna pœnarum malum nunquam deseret*, quia nec ipsi deserunt vnquam malum culpæ. *Superbia eorum, qui te oderunt*, ait Dauid, *ascendit semper.* *Psal. 73.*

Hinc igitur benignissimus ac sapientissimus *Medicus* noster Christus, dum in corpore sumus, dum morbus curationis est capax, quando quis nostrum peccat, pœnitentiæ pharmacum proponit, & nequis potionis amaritudinem caussetur, addit & dicit. Quid igitur nos facere oportet? Planè, quod ægri facere solent, vel debent. Vt enim illi, dum *Medicus* contra ægritudinem præliatur, non debent à partibus ægritudinis contra *Medicum* stare, sic enim nunquam morbus debellaretur: Sed cum *Medici* dextera, suas

dexteras

dexteras iungere, & communi consilio bellum gerere contra morbum: Ita & nos cum DEVS non in corpora nostra (vt sapienter D. Basilius ait) sed in peccata nostra desæuiat, ideò crucem in humeros tollere, & gemitus fundere, & orare, & vigilare, & ieiunare nos iubet, vt aliquando peccati pestis radicitus eruatur, & sanitatem perfectam in cœlis consequi possimus. Audire non debemus, quid ægra, & insana, & futurorum bonorum nescia caro, vel cupiat, vel postulet, vel queratur: sed cum Deo, *Medico* sapientissimo & salutis nostræ studiosissimo dexteras iungere, & in nos ipsos sæuos ad tempus, & crudeles existere decet. Igitur si peccasti, frater, confitere; si rapuisti, restitue: si petulans caro turpes ingerit cogitationes, & in flagitia te impellit, corpus cæde flagellis, coërce ieiunijs, compesce cilicijs, humicubationibus reprime. Et si dura ista tibi videntur, duriora erunt tormenta gehennæ, etsi carnem tuam, quam diligis, contristare vel modicum times, audi: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Si qui iniuria te aut contumelijs affecerunt, non illis irascaris, sed potiùs vt benè de te meritos amplectere. Siquidē, vt Beatissimus Franciscus dicere solebat. Qui nos vexant, illi partes nostras contra pessimum inimicum, carnem videlicet nostram, quam nos ipsi domare non possumus, capiunt. Et si hoc tanquam nimis crudele factum exhorres, audi. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Bellarminus Concione xxxix. quæ est de S. Laurentio.

COMMENTATIO XIII.

DE

Pœnitentiæ vi Medica, instar Hyssopi.

In qua describitur Hyssopus: & illius qualitates explicantur. Est enim Pœnitentia, vt Hyssopus, parua, humilitate: calida, caritate: purgatiua, contritione: dura asperitate: screatrix, confessione: saporem dans temperantiâ: pleuritidem sanans lasciuiæ: effundens aquam gratiæ: iracundiæ pulmonem comprimens: phthiriasin atheorum sanans: prurigini curiositatis occurrens: tussim garrulitatis cohibens: tineas venialium peccatorum enecans. Aliaque habet quamplurima, quæ in Hyssopo commendantur.

Dominica III. post Pentecosten.

Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore Pœnitentiam agente, Lucæ. xv. 7.

Dominica IV. Aduentus.

Venit Ioannes *in omnem regionem Iordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſsionem peccatorum.* Lucæ.III.3.

Quadrageſimæ initio.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Matth III.2.

Hyſſopus ſymbolum Pœnitentiæ

VNVM *Pœnitentiæ* ex Diuino codice ſymbolũ dedimus proximè Nõ deſunt alia quam plurima, quæ eandem vim medicam declarant. Inter quæ, quantitate licet exigua, vi tamen virtuteq; eſt maxima HYSSOPVS. Quam purificationi immundorum, pœnitentiumque vſibus potiſſimùm dicatam, conſecratamque inuenio. Siue eo nomine herba, ſiue aſpergillum ſignificetur ex herba illa confectum.

Exodi.12. 21.

EXODI XII. vocatis Senioribus Legiſlator Moſes imperat, vt faſciculũ Hyſſopi tingant in ſanguine Agni, & aſpergant ex eo ſuperliminare, ac vtrumque poſtem: ne læderet domum ſignatam percuſſor Angelus. Quo reſpexiſſe Dauidem pœnitentem, dum lugubriter cantaret in Pſalmo pœnitentiali: *Aſperges me Domine Hyſſopo*: exiſtimant è Græcis, Patres, Theodoretus, Didymus, Cyrillus, Euſebius, Baſilius: & ex Latinis Auctor vtriuſque Teſtamenti, ac Iſidorus. Viderat Rex magnus filium ex adulterio conceptum, quamuis innocentem morte intempeſtiuè abripi: verebatur, ne in ſe, pœnam commeritum, percutientis manus iudicis deſæuiret merito: ſupplicat ergò, pœnitentia ductus commiſſi criminis, vt aſpergatur *Hyſſopo* in ſanguine Agni immaculati tincto: ex quo omnis deriuatur Pœnitentiæ Chriſtianæ virtus.

Pſal.50.9.

Auct.teſt. quæſtionũ q.1.22. Iſidor. de Paſſio. Domini. c.40.

Ritus mundandi leproſum.

Leuit.14.1.

LEVITICI XIV. vbi ritus mundationis leproſæ neceſſariæ deſcribitur, mandatur, vt maculatus offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & *Hyſſopum*. Vnum autem ex paſſeribus, immolari iubeat. Alium viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tingat in ſanguine paſſeris immolati: quo aſpergeretur, qui mundandus erat, ſepties, vt iure purgaretur Hanc ceremoniam mẽti pœnitentis Dauidis obuerſatam, dum ſe *Hyſſopo* aſpergi poſtularet exiſtimat Venerabilis Beda. Quodlibet ſanè peccatum mortale maculam *inurit*, Ieremiæ ſecundo: *inquinat*. Pſalmo ſexto: *abominabilem reddit*, Oſeæ nono: ſicut lepra, quam peccati eſſe ſymbolum ſuo loco eſt demonſtratum: cum debilitet, inficiat, contagione corrumpat, horrori ſit aſpicienti. Peccator ergo leproſus ſpiritualem *Hyſſopum* Pœnitentiæ intingat in paſſeris ſolitarij Chriſti in cruce meditantis ſanguine, ſi mundationem deſideret.

Ier 2.22. Pſal.6.26. Oſ 9.10.

Immundus hyſſopo aſpergitur.

NVMERORVM XIX. capite, in quo de religione victimæ agitur, præcipitur à Legiſlatore, vt immundus propter cõtactum cadaueris ligno cedrino & hyſſopo, coccoque bis tincto, attactu flammæ vaccæ rufæ immolatæ conſecratis, purificetur. Quam emundationem reſpexiſſe reſipiſcentem Regem Dauid ſcribit Paraphraſtes: cuius eſt illa verſus noni,

noni. in psalmo quinquagesimo exposito: *Infundes super me, sicut Sacerdos, qui profundit super immundum aquas aspersionis cum* Hyssopo *de cinere vaccæ, & mundus ero.* Nempe, cogitabat se immundum Dauid, non attactu mortui, sed viuentis occisione. Sicut peccator omnis verè immundus est, ideoque indiget purgatione *Hyssopi*, videlicet, Pœnitentiæ salutaris, qua fit purgatio peccatorum, si Christi nitatur merito. Porrò in *Hyssopo*, quatenus est symbolum Pœnitentiæ, considerant penè omnes Latini Interpretes, qui in Psalmum quinquagesimum scripserunt, vim medicam ad sanitatem, puritatemque inducendam accommodatam, eamque multiplicem.

Proprietates Hyssopi. SIQVIDEM *Hyssopus* has ferè proprietates habet, quas carmine comprehensas recitat Hugo Cardinalis, & Pœnitentię salutiferæ qualitates exprimunt.

Parua, calens, pectus purgans, petrosa, sereatrix,
Ius sapidat, pleura congrua, spargit aquam.

Pœnitentiam oportet esse *Paruam*, hoc est, sensu symbolico, humilem: demissione exilem: æstimatione vilitatis propriæ conditam. *Tunc exultabunt ossa humiliata*, inquiebat pœnitens Vates. Idemque

Psal. 50. 10. ver. 19. magna fiducia: *Cor contritum & humiliatum* DEVS *non despicies.* Eadem interdum est parua tempore, breuissima, ac momentanea. Attamen semper magnæ virtutis, si rectè suscipiatur, & animi magnanimitate excellenti toleretur. Quod enim *in præsenti est momentaneum & leue*

2 Cor. 4. 17 *tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, inquit Paulus Apostolus in altera ad Corinthios epistola. Vbi perelegans cernitur antithesis. Nam momentaneo, respondet æternum: leui, pondus: tribulationi, gloria: & quidem, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν: cuius dictionis [illegible] adnotarunt rectè D. Chrysostomus, & Theophylactus. Indicare autem intendit Apostolus, insignem quandam planeque ineffabilem præcellentiam sustinentiæ.

Pœnitentia quantumuis parua, aut breuis, potest esse efficax. QVANTÆ virtutis est exilitas huius Hyssopi? Quanta vis latet in huiusce herbæ punctulo? *Quacumque hora ingemuerit peccator, saluus erit*, clamat Isaias

Isa. 30. 15. capite xxx. iuxta Septuaginta Interpretũ expositionem. Præclare & eleganter D.

Cypr. serm. de Cœna. Cyprianus: nec minus verè in Sermone de Cœna: *Nec quantitas criminis: nec breuitas temporis: nec horæ extremitas: nec vitæ enormitas: si vera contritio: si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia.* Hinc *nunquam est sera conuersio*, vt scribit S. Hieronymus. Latro de cruce transiit ad

Hier. Epist. 7. 25. & 48. Paradisum. Monetque S. Augustinus, nunquam esse desperandum de pœnitente sero, sed serio. Et rectè illud dicitur vigesima sexta Quæst. VI. *Vera confessio & pœnitentia in vltimo tẽpore esse potest.*

Non differenda Pœnitentia. VERVM, non idcirco est in finem vitæ reijcienda Pœnitentia. Sapientis enim est optimum monitum: *Non tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die*

Eccl. 5. 8. *in diem: subito enim veniet ira illius.* Et D. Ambrosius Lib. secundo. de Pœnitentia: Eos, inquit, qui pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit, dicens:

Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnũ cœlorũ.* Nescimus qua hora fur veniat. Nescimus an proxima nocte reposcetur à nobis anima. Adamũ statim Deus, post culpã eiecit è paradiso. Nõ distulit, sed statim separauit eũ à delitijs, vt ageret pęnitentiã. Et cur, quæso, differas? An, vt plura peccata cõmittas? Ergo, quia Deus bonus

bonus est: ideò tu malus? Et diuitias bonitatis eius, & patientiæ contemnes? Dubia profectò est finalis Pœnitentia. *Non quidem negamus*, vt Augustinus loquitur, *sero pœnitenti, quod petit: sed non præsumimus, quod benè hinc exit.* Quod refertur *De Pœnitentia*, Distinctione VII.

Pœnitentia calens. IAM verò, altera Hyssopi proprietas, quæ in calefaciendi potestate consistit, bellè Pęnitentiæ conuenit: cum eam caritate calentem velit Deus. vt dicere *Psal. 38. 4.* possit verus patiens: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea* (dum nimirum peccata in mentem reuoco) *exardescit ignis.* Hunc ignem *de excelso* solet *Thren. 1. 13* mittere DEVS *in ossa eorum*, quos ad se conuertit, vt innuitur Threnorum I. An non sic contemplari licet, & videre quodammodo ignescentem Magdalenam, & æstuantem amore Christi, pedi- *Luc. 12.* bus eius aduolutam. De cuius pęnitentis *Greg. Hom.* affectu Gregorius: *Discite, quo amore ardet, quæ non iussa venit: super conuiuas ingressa est: & inter epulas flere non erubuit. Cogitauit enim quid fecit: sed noluit moderari, quod faceret. Hunc ignem venit Dominus mittere in terram: & quid vult, nisi vt ardeat?* Ardens est *Medicina Pœnitentia.* Quam instar caustici medicamenti sese habere nuper demonstrauimus, aut ignis ad membra admoti, vel immissi, quo desperata alioqui vulnera curantur.

Pœnitentia purgatiua peccatoris. PRÆTEREA, purgatur pectus *Hyssopo*: sed multo melius Pœnitentia animus, è quo vitiosa omnis materia eijcitur, humoresque noxij egeruntur. Vt *Pepinus in Psalm. 50.* nō defuerit Commentator ingeniosus, qui Pœnitentiam Clysteri assimulauerit. Quod vt hoc aluus proluitur, interioribus ventris perpurgatis; ita per Pœnitentiam interiora animi perfectissimè *S. Hier. epist. 30.* abluuntur. D. Hieronymus, in epitaphio Fabiolæ, de eius cōtritione sic loquitur: *Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?* In *S. Chrysost. homil. in Matth.* eandem sententiam S. Chrysostomus: *Pœnitentia cor emundat: sensus illuminat: animas sanctificat: & ad susceptionem Christi præparat.* Hoc sensu S. Cyprianus sermone de lapsis, scribit, Pœnitentis esse, post *S. Cypr. ser. de lap.* Diaboli cibum, malle ieiunum iustis operibus incumbere, quibus PECCATA PVRGANTVR. Clarissimè quidam: *Pœ- Berchorius.* *nitentia pectus: id est, conscientiam & intellectum: pulmonem, id est, voluntatem, & adfectionem purificat: & depurat à cunctis sordibus peccatorum. Ideò, si templum Numinis æterni volumus introire, necesse est, vt Hyssopo pœnitentiæ, & humilitatis, ac lacrymarum aqua caritatisq; aspergamur.* Nam Plinio teste, non reputabant veteres benè purgatos nisi *Hyssopo* aspergerentur, cum delubra intrabant.

Pœnitentia dura ac petrosa. DENIQVE verò, *Hyssopus* est petrosa: adhærescit petræ: crescit in locis duritie, ac scabricie horridis: atque ideò terret asperitate natiua. Quàm dura delicatulis nostris est Pœnitentia! *Dura, sicut infernus, æmulatio,* dicitur Canticorum IV. Pęnitentia in humilitate, precibus, ieiunio, lacrymis, misericordiæ operibus varijs occupatur: damnat mollitiem, laudat seueritatem: aspernatur delitias, amplexatur dolorem. Abstrahit illa à vino carnem, vt animam transferat ad Sapi- *Eccl. 2. 3.* entiam, deuitetque stultitiam, Salomonis exemplo. Eiusdem monito: *risum reputat errorem: & gaudio dicit; quid frustra de- Ibid. ver. 2.* *ciperis?* Iubet orare impensius, & rogare: *diem luctu transigere: tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare. adhærere cineri: in S. Cypr. ser. de laps.* *cilicio, ac sordibus volutari.* Iudicat somno minimum esse indulgendum: certè minus quam inueterata consuetudo postu- *S. Amb. lib. 2. de pœn. cap. 10.* let, & natura vitiata. *Censet quietem interpellandam esse quotidie gemitibus: interrum-*

pendas

perdas occupationes suspirijs, sequestrandam bonam temporis partem orationibus: viuendum ita, vt vitali moriatur vsui: seipsum, vt sibi homo abneget: & totus mutetur. Quod durum est profectò ac petrosum. An non etiam illud, vt pœnitens seipse coarguat, & factum condemnet suum? Repugnat enim natura; repugnat verecundia; quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri. Quam istud etiam durum? *Castigare corpus suum, & in seruitutem redigere.* Præponderant enim, si sensum, & concupiscentiam nobis congenitam spectes, futuris præsentia: iucunda serijs: asperis mollia; læta tristibus: rigidis illecebrosa.

S. Amb. lib. 1. epist. 4. ad Simplician.

Pœnitentia purgatiua contritione, petrosa confessione & satisfactione.

QVOCIRCA, quemadmodum Pœnitentia est purgatiua contritione: ita est petrosa, ac dura, confessione, & satisfactione: ideoque multis amara, insipida, odiosa. Verùm, *Melior est modica amaritudo in faucibus*, iudice Augustino, *quàm æternum tormentum in visceribus. Amaritudinem* quoque *radicis pomi dulcedo compensat*, vt inquit Hieronymus. Pericula maris spes lucri delectat. Dolorem medicinæ, spes salutis mitigat. Qui nucleum desiderat, frangit nucem. Pœnitentiam ergo agat, qui vult æterno adhærere bono.

Aug lib. de 10. Chord.

Hieron. in Matth. 1.

Pœnitentia screatrix confessione.

ADHÆC, *Hyssopo* tribuit Cardinalis Hugo, quod screare faciat. Cui simile quid cernere est in Pœnitentia: qui ad peccatorum Confessionem, tanquam ad pituitosæ fœcis faucium, & capitis, per distillationem, aut symbolicâ screationem, euacuationem incitat. *Si coactus fueris in edendo multum*, inquit Ecclesiasticus, *surge è medio: euome, & refrigerabit te: & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Si te importunus conuiuator Diabolus in voluptatis triclinio ad immodicam comestionem pellexerit: illicò, pœnitentia ductus, *Hyssopi* nonnihil mastica. Egredere è malorum consortio: gemitu ad Deum immisso screa: confessione virus euome: & non adduces animæ tuæ maiorem infirmitatem.

Eccl. 31. 25

ITEM: Ius sapidat *Hyssopus*, inquit Carensis. Pœnitentia sapore quodam corpus ab intemperantia munit, & à luxuria refrænat. Eijcitur namque malignum Dæmonium penitentia, oratione, ac ieiunio: sine quo otiosam, ac infrugiferam pœnitentiam pronuntiat Basilius, homilia 1. de laudibus ieiunij. Ad saporis huius efficientiam spectat, quod habet Augustinus sermone VII. de tempore. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic te pœnitet, vt tibi amarum* sapiat *in animo, quod ante dulce fuit in vita.* Addo, & dulce, quod anteà amarum. Id fit virtute pœnitentiæ, amara dulcorantis dulcia amaricantis. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* aiebat Rex pœnitens.

Iuri saporem dat.

Isa. 38. 15.

HYSSOPVS quoque pleuritidem sanat: id est, lateris illum pungentem dolorem, vel mitigat, vel tollit: propter flagella, inquit Hugo Cardinalis: multum enim valet flagellanti: adducitque illud: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Spiritualis *Hyssopus* pleuritidi medetur: id est, acuto lateris dolori, quem lasciuię sagitta exacuit. Si sentias titillationem in carne, si commoueri renes, si latus à voluptate pungi: clama; *Asperge me, Domine, Hyssopo.* Ipse in manu flagellum sume, & dorsum cruenta, nihil est ad hunc dolorem abigendum efficacius.

Pœnitentia pleuræ congrua.

Psal 37. 18.

SPARGIT etiam aquam *Hyssopus*. Pœnitentia gratiæ humorem effundit, ac infundit. Non negat verè pœnitenti gratiam misericors, & miserator Dominus. *Cùm quæsieris Dominum, inuenies: si toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ*

Spargit aquam.

Ibid. ver. 30. *anima tua*; vt est Deuteronomij IV. *Si ductus pœnitudine cordis reuersus fueris ad Dominum, in toto corde tuo, & tota anima tua, miserebitur tui. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum*, Secundo Paralipomenon I. *Conuertimini ad me*, inquit ipse Dominus, *in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra*, oculis secundo.

2. Paral. 30.

Ioel. 2. 12

Pulmones purgat. EADEM herba pulmones purgat. Pulmonum vitium eorum proprium, qui iracundia, ac furore quodam aguntur: superbia quoque inflati, ac distenti. Quibus Senecæ descriptione, *Spiritus est coactus, ac stridens: gemitus, mugitusq; & parum explanatis vocibus sermo præruptus: multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordijs sanguine*. Et qui præ indignatione pulmones expuere videntur. His opportunissima est Pœnitentiæ *Hyssopus*: quâ elati spiritus supprimitur: & iracundiæ flatulenti motus cohibetur. *Dum enim dolemus admissa*, inquit rectè Ambrosius, *admittenda excludimus. Et fit quadam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ*. Pœnitentia facit, vt pœna, vel dolore excrucietur, qui se vel ira, vel alijs affectibus excessisse cogitat; factique eum pœniteat, ac caueat deinceps. Alexandrum Macedonem contemplare ad iracundiam pronum. De eo Cicero Tusculanarum IV. *Quomodo si naturalis esset ira, quemquam pœniteret, quod fecisset per iram, vt Alexandrum regem videmus qui cùm interemisset Clitum familiarem suum, vix à se manus abstinuit*. tanta vis fuit pœnitendi.

Lib. 1. de Ira cap. 1.

Lib. 2. de Pœnit. ca. 2.

Cic. lib. 4. Tuscul.

Hyssopo phthiriasis curatur. HYSSOPUM, scribit Plinius, in oleo contritam phthiriasi resistere. Pedicularem morbum, siue phthiriasin, atheorum, & blasphemorum pœnam esse, alibi copiosius demonstro. Quare si & hanc vim medicam tropologicè accommodare iuuat; dicamus, Pœnitentiam medicamentum esse præstantissimum: quo, tum bestiolæ conscientiam, tanquam vermes infestantes, abigantur: tum, veri vermes ab improborum corporibus arceantur. Si pœnitentiam egisset, quæ secundùm Deum est, Antiochus, Herodes, Iudas, numquam à vermibus consumpti, debitis extremæ impietatis pœnis interijssent.

Addit naturalium Scriptor: prurigini in capite *Hyssopum* resistere. Prurit quibusdam caput curiositate: alijs vanitate: Plura vimari volunt, quam expediat: nunquam, & nullibi quietè consistunt. His peccatorum seria recordatio est vsui, & seuera pœnitentia. Alioqui difficile est, vt se cohibeant. Pœnitentes ad se redeunt, ac proprijs occupantur. Prurigini resistit.

Tussim sanari Hyssopo auctor est Columella. Quid est nisi sicca tussis illa quorundam molesta, ac odiosa garrulitas de rebus leuissimis, ac futilibus, cuius nullum est emolumentum. Optimum autem istius mali remedium est pœnitentia. Tussim sanat. Colum. lib. 6. ca. 10.

Porrò per tineas, ac pediculos, quos enecare Hyssopum perhibent Medici, si intelligamus leuiora quædam peccata; & quæ vocare solemus venialia pro his medicamentum appositissimum cõficit spiritualis Hyssopus, Pœnitentia. Tineas enecat.

His adiunge vim Hyssopi istam, quod colorem in corpore succulentum ex animo benè constituto foueat. Sed magis in animo Christi sanguine purpurato, atque ita optimè disposito, colorem gratiæ conseruat, ac promouet Pœnitentia. Colorem fouet.

Medetur hęc ipsa, vt Hyssopus occurrit ictibus serpentum, venena sua infundentium, si mala, incautaq; societate, vel morsu inuido, aut detractorio quis sit læsus.

Iuuat

Iuuat etiam, ceu Hyssopus, comitiales, morbo caduco laborantes: si semper terrena appetunt: grauitate criminum ad ima labuntur: sensu, menteque frequenter ob rerum terrenarum appetentiam destituuntur.

Hyssopus cibi corporei, sed Pœnitentia spiritualis, ac panis Angelici orexim excitat.

Pœnitentia melius, quàm *Hyssopus*, vrinam, menstruum sanguinem, corruptionis fœtum, excrementaque alia, quæ abditis animæ receptaculis delitescunt, eijcit.

Horrores quoque febrium: lasciuiæ nimirum, ac luxuriæ impetum excutit, & contundit.

Denique intelligentiæ visum ad superna contemplanda acuit. Quam bellè vis omnis medica Hyssopi Pœnitentiæ accommodatur.

Hyssopus symbolum Fidei.

QVOD si considerare lubet virtutes, quæ in Pœnitentiæ exercitatione interueniunt, omnes *Hyssopo* symbolicè exprimuntur. Prima, reliquarumque caput est *Fides*, cuius imaginem esse *Hyssopum* propria commentatione explanauimus. Altera est *Humilitatis*, quam quod symbolum expressius Hyssopo repræsentet? Nullus penè est Patrum antiquorum, qui, si *Hyssopi* mentio incidat, non meminerit Humilitatis.

Humilitatis.

D. AVGVSTINVS enarratione in psalmum quinquagesimum: *Hyssopum*, inquit, *herbam nouimus humilem, sed medicinalem. Saxo hærere radicibus dicitur. Inde mysterio mundandi cordis assumpta est. Apprehende radicem dilectionis tuæ, petram tuam. Esto humilis in humili Deo tuo: vt sis excelsus in glorificato Domino: Humilitas Christi te mundabit. Noli herbam contemnere. Vim medicamenti attende. Aliquid etiam dicam, quod à Medicis solemus audire.* Hyssopum *dicunt purgandis pulmonibus aptum esse. In pulmone solet notari superbia. Illic enim inflatio: illic anhelitus. Dicebatur de Saulo persequutore, tanquam de Saulo superbo, quod ibat ad vinciendos Christianos,* spirans cædem; *anhelabat cædes: anhelabat sanguinem: nondum purgato pulmone. Audi & hunc humiliatum; quia Hyssopo purgatum:* Domine, quid vis me facere? Profectò humilitas generosa vilitate sua plebeiam superbiæ elationem purgat optimè. ita Dauid postquam orasset: *Asperges me, Domine, Hyssopo*, ac si explicare vellet, quid Hyssopi nomine significare voluisset, subdit: *Exultabunt ossa humiliata.* Actu. 9.

Hyssopo Humilitatis sanatus Paulus.

Chrys. st. hom. de ferenda reprehens. seu, De conuers. Pauli. Et hom. 9. de laudibus Pauli.

IMPERARE mihi non possum, quoniam de Paulo laborante morbo pulmonario incidit mentio, quin addam, quod notatum à Chrysostomo: DEVM cum illo egisse, vt *Medicum*, & Hyssopi humiliationis abundè illi infudisse. *Adhuc ferocientē*, inquit, *adhuc insanientem: adhuc in vigore furoris existentem: adhuc cædem anhelantem attraxit* Christus: *non exspectans, vt expleret furorem: vt ostenderet morbum: vt extingueret flammas affectionum: & defatigatus debacchando mansuesceret: ac tunc tandem eum attraheret. Sed dum vigeret furor, ipsum cepit, vt ostenderet potentiam suam, vincens & superans persequutorem in media insania. Sic enim* Medicum *maximè admiramur, quando febrim, cùm infestior, & flammam morbi, quando vehementior extinguere, ac penitus abolere potest.*

S. Ambros. Hebr. 9. 19.

S. Ambrosius exponens illud ad Hebræos IX. *Lecto enim omni mandato legis, à Mose, vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, &* hyssopo: *ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit.* Quare *Hyssopo?* inquit ipse. *Hyssopus herba humilis est, & in*

petra nascens. Humilitas Christi significatur per hanc herbam: & fortitudo, qua interiora nostra purgantur. Nam hoc genere herba pulmonum vitia purgari solent.

D. Gregorius Papa, in psalmum quartum pœnitentialem: *Hyssopus est herba humilis, saxo quidem adhærens, & parum vtilitatis in se ipsa, sui facie ostendens, quæ tamen pulmonis inflationem deprimit, & virtutis suæ acrimoniam, si conteratur, ostendit.* Quid ergo per Hyssopum, *nisi Christi Humilitas designatur?* Ipsa est enim, *quæ omnem in nobis reprimit contumaciam, sicut herba illa pulmoni inflato adhibet medicinam. Quis etenim iam dedignetur in mundo se pro Deo abijcere, cùm audiat Dei filium opprobria & derisiones subijsse! Quis supplicium pro Deo perpeti arbitretur dedecus, cum ipse Rex Regum, Dominus Dominantium, propter nos morte turpissima sit condemnatus? Præsertim cum ipse sit nobis positus forma iustitiæ: cuius & audire imperia, & sequi debeamus exempla. Sicut ipse in Euangelio ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11.

Iuxta legis quoque testimonium, inquinatos mundabat eiusdem herba fasciculus vaccæ rufæ cruore intinctus. Quid autem per vaccam nisi ad sacrificium adsumpta Incarnationis Dominicæ infirmitas designatur? Sicut enim per masculinum sexum solet fortitudo intelligi: sic & per fœmineum potest infirmitas designari: & de eo scriptum est: Quia etsi mortuus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. *Ipse est enim summus Pontifex noster, qui in ara crucis, pro totius mundi* SANITATE *sui corporis hostiam obtulit. Hæc vacca rufa dicitur, & in ea sanguinis Christi rubor euidenter demonstratur, iuxta illud* Canticorum v. Dilectus meus candidus & rubicundus. Candidus *ex Diuinitatis specie:* rubicundus *ex passionis cruore. Hoc itaque* Hyssopo *ille solummodo aspergitur, qui vias Dominicæ passionis imitatur.* 2. Corinth.

S. BERNARDVS sermone XLVI. in Cantica agens de gemina, animæ pulcritudine, primum esse ait esse humilitatem: *Non à memetipso hoc dico*, subdit, *cùm Propheta prior dixerit:* Asperges me Domine Hyssopo, & mundabor: *humili herba, & pectoris purgatiua, quæ* Humilitatē *significat. Hac se post grauē lapsum rex & Propheta lauari confidit: & sic mutuum quendam innocentiæ recuperare candorem.* Idemque serm. de Ecclesiæ dedicatione. *Aspergit nos* Hyssopo, *quæ humilis est herba, & pectoris purgatiua.*

IAM verò, præter Humilitatem ad Pœnitentiam perfectam requiritur Caritas, quam significari *Hyssopo* auctor est D. Cyrillus. Continet enim vim calefactiuam, quæ caritati adscribitur: ac natiuo calore phlegmata consumit, purgatque. Sic caritas peccati frigus, & superfluitates. Certè, S. Augustinus lib. II. de doctrina Christiana cap. XLI. nihil Hyssopo miti ac humili herba docet esse fortius, ac penetrabilius. Ideò moneri nos, ait, vt simus in caritate radicati, & fundati, vt comprehendamus crucis latitudinem, longitudinem, altitudinem, profundum, & supereminentem scientiam caritatis Christi, vt dicitur epistola ad Ephesios cap. III. *Hyssopus caritatis symbol.* *Ephes. 3. 17.*

ALIA virtus, quæ Pœnitentiam comitatur, est continentia, cuius etiam symbolum est *Hyssopus*. Si quidem, teste Plinio, naturalem antipathiam habet cum raphano, cuius vis est Veneris prouocatrix. Quocirca si acrior raphani admota sit medicina, Hyssopus datur. Eadem de caussa Ægyptorum Sacerdotes, qui magnam se continentiæ curam gerere, vt existimarent populares, optabant impensè, *Hyssopo* benè comminuto ac panis micis immixto vtebantur penè assiduè, vt Chæredemo Stoico placuit: *Hyssopus continentiæ symbolum.* *Plin. lib. 20. cap. 4.*

cuit: quamuis alij diuersas eius rei rationes adferant. Siue igitur Pœnitentiæ Christianæ vim medicam, eiusq́ue varias qualitates; siue adiũctas illi virtutes spectes, appositissima illius imago est *Hyssopus*. Cuius virtute, vt persanemur, clamemus identidem, cum Rege pœnitente. *Asperge me Domine* Hyssopo, *& mundabor. Laua me, & super niuem dealbabor.*

Rhodigin. Lib. 13. cap. 25.

NOTAE.

DE HYSSOPO *legendus Plinius lib.* XXV. *cap.* 11. *Columella lib.* VI. *cap.* 10. *Matthiolus in Dioscoridem lib.* III. *cap* 26. *Leuinus Lemnius opusculo de herbis bibliacis cap.* XXVI. *Hugo Cardinalis in psalmum L. ibidemque, Vrbanus Papa. Eucherius de formulis spiritualibus. cap.* 14. *Berchorius Tom.* 1. *li.* XII. *cap.* 80.

LEVINVS. Hyssopus hortensis herba condimenti vice iuri innatat, quod eximii sit odoris, ac sapore non ingrato. Sic, vt elixa quoque non minus salubria efficiat, quàm sapida. Nam pectus, & pulmonem expurgat: capitisque pituitam extergit. Quocirca in expugnando pleurisi, ac morbo quouis laterali singularem effectum obtinet. Quâ ratione visum est Deo herbam hanc solenni sacrificio adhibere, cùm, vel lustrandi essent Leprosi, vel scelus aliquod piaculare expiandum, intincto *Hyssopi* fasciculo in sanguine passerculorum, vel vitulorum. Quocirca Dauid adulterii, atque homicidii scelere contaminatus, aspergi, expiarique *Hyssopo* cupit. Quo abstersa omni macula animi, mentis puritate nitescat. Respiciebat ille quidem ad Testamenti veteris ritus, ac sacrificia. Sed cum illa essent vmbra futurorum, Christi sanguinem, quo omnia sunt scelera expiata, in spiritu præuidebat.

LIBRO III. *Regum cap.* IV. 33. Disputauit. *Salomon*, super lignis, à cedro, quæ est in Libano, vsque ad *Hyssopum*, quæ egreditur de *pariete*.] *Hic non designari* Hyssopum, *herbam illam paruam, humilemque, quam vt Symbolum Pœnitentiæ proponimus, censet Lemnius. Nam, non est exilis adeò, & minuta, sed aliquanto spicato, purpureoque flosculo in sesquipedalem altitudinem exsurgit. Quare Adiantum, siue capillum Veneris ibi intelligi interpretatur, cirratis, crispisque folijs, quæ nisi murorum aspergines persequitur Belgæ murariam rutam vocant: (Steenruyte) quia rutæ folijs assimilis est Huic Trichomanes affinis, ijsdem semper locis proueniens, quæ recto stylo, eoque iunceo adsurgit, medij digiti longitudine, folijs minutis, vtraque latere distinctæ serie, concinnoque ordine digestis virore perenni. Vtraque herba effectus habet eosdem. Vt Hyssopus tussiculosis, & anhelantibus, pulmonisque vitijs medetur. Quoniam itaque exiguum est, humilisque fruticulus, vix palmari altitudine, atque è parietinis erumpens, tunc Hyssopi nomine designari existimat. Siquidem hic illius dicti sententia videtur. A celsissima quauis arbore ad minutissimam herbam, quæ parietinis innascitur, omnia illũ exactissimè habuisse explorata.* Hyssopo, *propter exilitatem, comparatur frequenter Christus, incarnatio, seu humiliatio verbi, Humilitas Domini eiusque Passio.*

PRÆCLARISSIMVM Redemptoris symbolum est *Hyssopus*. Illi enim, omnes huius herbæ proprietates bellè conueniunt. Fuit in persequutione humilis: ideò fasciculus. In conuersatione odoratus. In passione purgatiuus. Maximę virtutis in redemptione. Fuit instar aspergilli roseo sanguine purpuratus, cedro crucis affixus. Quando aperuit montes vmbra eius. Ligatus coccineo filo amoris, cum quo ex aluo materna est egres-

Genes.38. 30. sus, *vt Zara Genes* XXXVIII. in cuius manu, cum egrederetur, erat coccinum. *Iulius Mazarinus Discursu* LII *in psalmum* Miserere.

DURAND. *in Rationali lib* 1. *cap*. 11. *num* XX. Per *Hyssopum*, quæ humilis est herba, *Christi humilitas* rectè designatur. Et sanguinis effusiones factæ sunt cum *Hyssopo* humilitatis Christi, & inextinguibilis caritatis, quâ respersa Ecclesia Catholica mundatur. Hæc etiam herba crescit naturaliter in Petrâ. Humilitas naturæ creuit in Christo petra. *Petra enim erat Christus, Pauli sensu.* Calidæ est naturæ *Christi humilitas corda frigida ad exercenda opera caritatis accendit. Item eius radices saxa penetrant: Humilitas duritias abstinentiæ confringit. Valet ad pectus, & contra tumorem: Hæc superbiæ tumorem sanat. Illa nascitur, renascitur, & radicatur in terra: vnde, etsi per eam tota fidelium multitudo: præcipuè tamen illi per* Hyssopum *figurantur, qui in Christi fide radicati, & fundati, ab eius amore auelli non possunt. Per quos, quid melius, quam presbyteros, & Episcopos intelligere possumus, qui quanto maiorem in Ecclesia obtinent dignitatem; tanto firmius fidei Christi inhærere debent. Per hos enim spargitur aqua; per hos baptizantur Christi fideles.*

AD *Hebræos* IX. 19. Lecto omni mandato legis à Mose vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua *& lanea coccinea*, & *Hyssopo*, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit.] *In lustrationibus adhibebatur olim lana coccinea, &* Hyssopus, *ex quibus fiebat Aspergillum, siue instrumentum aspersorium (* περιρραντήριον *Græcis) quod est etiam nomen vasis aquæ lustralis. Nimirum, lignum cedrinum, &* Hyssopus *per coccineum filum colligabantur. Aptissima ad instrumentum istiusmodi materia: tum ob densitatem: tum ob vim retentiuam. Sunt enim humoris bibula, vt spongia.*

ALLEGORICE. *Lana significat candorem, & innocentem carnem Christi, per se candidam: sed ob peccata coccineam, sanguine passionis rubricatam. Hyssopus vero typus erat caritatis, & gratiæ Christi. Est enim natura calidæ. Vnde seruit mysterio: suoque calore spiritus Sancti ardentissimos æstus, quibus ignescunt piorum mentes, denotat. Præterea typus erat humilitatis Christi, & humanitatis per quam Deus nostram superbiam, aliaque peccata sanauit. Est enim Hyssopus herba humilis: medetur pulmonis tumori, qui superbiæ est symbolum. Cornelius de Lapide Exodi* XXIV. *versu* 8.

FRANCISCUS *Ribera in epist. ad Rom. Hyssopo Christi Humanitas designatur. Quia natura sua humilis erat, & virtutem habebat ex diuinitate ad sanandos animorum morbos internos. Lana carnem Christi per se quidem candidam, sed sanguine passionis rubricatam.*

IOANNES *Lorinus in psalmum* L. *In Aspergillo, quo vtebantur Iudæi, Hyssopus significabat, præter humilitatem, ac pœnitentiam, fidem corda purificantem, vt est Actuum.* 15. *vt* Act.9.2. *docet Augustinus Quæstione* XXXIII. *in librum Numeror. Lignum cedrinum, procerum, imputribile, odoratum, firmumque, spei firmitatem, ac celsitatem: quæ robur dat in aduersis, & suo quasi odore serpentinas fugat tentationes. Coccineum filum, ardentem caritatem. Adhæc, humillima herba, cum præalta arbore nexus coccineo filo factus, designabat personæ diuinæ vnionem cum humana natura eximia caritate coalescentem.*

PRÆTEREA: *Cedrus crux est: Creditur Crux Christi fuisse de Cedro, canitque Ecclesia:* super

Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior: Hyssopus. Christus illi affixus: Coccineum filum illius sanguis, liberationis humanæ & symbolum, & caussa. vt quondam Raab
Ios.2.18. meretrici Iosue capite secundo.

Isa.52.15. De Christo vaticinatur Isaias, cap. LII. Iste asperget gentes multas: & super ipsum continebunt reges os suum. Scilicet: quemadmodum obstupuerant antea, quod inglorius esset aspectus eius, ac forma il-
Is.52.14. lius inter filios hominum. En Hyssopum aspersam sanguine: illumque super alios efficaciter aspergentem. En stuporem ex manifestati one incertorum & occultorum sapientia tanta diuina.

IVDÆI obtulerunt Crucifixo Christo spongiam aceto plenam hyssopo eam circumponen-
Ioa.19.29 tes Ioannes XIX. Quia sic Christi humilitatem, quam innuit Hyssopus, herba humilis, ac
Tract.119. in Ioann. pectus purgans, circumdederunt, inquit Augustinus, & se circumuenisse putauerunt: cuius nos humilitate mundamur. Quia humiliatus sanguinem nos mundantem fudit. Idem attingit Isidorus, De passione Domini cap XL. & prædici putat à Dauide: Asperges me Domine hyssopo. Quod in cruce Christi accidit Felix, qui se hac aqua aspergit. Illi, iuxta paræmiam, animus redit & reuiuiscit, vt solet, cui exanimato aspergitur frigida.

DISPVTATVR quo fine Hyssopum adhibuerint Christi crucifixores: & quid fuerit? Quam quæstionem tam inde ab antiquissimis temporibus adeò fuisse ad explicandum difficilem dicit Isaacus Casaubonus, Exercitatione in Baronij Annales XVI. num. LXXXVIII. vt videatur Elias exspectandus, qui certi aliquid nos doceat. Si verborum grammaticaliter expensorum habeatur ratio apud Matthæum & Ioannem, dicere posset quispiam Hyssopi nomine in Passione Domini intelligi aliquid, quod baculi vsum præbuerit ad porrigendam spongiam. Sed contrà videtur, quod constet, Hyssopum inter plantas, quæ vix a terra se attollunt numerari, etiam in Iudæa. Quare veteres omnes Interpretes adiungunt ex Matthæo nomen arundinis.

CÆSAR Baronius Hyssopum aceto mixtam putat ob vim sistendi sanguinis. D. Chrysostomus, & Theophylactus videntur insinuare, qualitatem eius fuisse venenatam, & ideirco damnatu dari consuesse. Quibus Nonnus accedit, cuius est versus.

Ὤρεξεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέθρου.

Præbuit hyssopo permixtum pestis acetum.

B. Augustinus, non quia nocendi vim habeat Hyssopus, admotam innuit; sed per ludibrium, quoniam pectus purgat. Hyssopum, ait, herba est humilis, & pectus purgat: quam circumdederunt, & se circumuenisse putauerunt. Alij opinantur accelerandæ mortis caussa factum. Legendus Maldonatus, Barradas, Toletus, Vincentius Regius, Commentarij in Euangelistas.

Ioachimus Camerarius, non ignobilis Grammaticus, conijcit, initio scriptum fuisse apud Ioannem ὑσσῷ περιθέντες: Extremo pilo circumdantes. ὑσσός pilum est, Romanæ militiæ proprium armorum genus. Magni facit hanc coniecturam Theodorus Beza. Lucas etiam Brugensis amico cuidam suo hanc obseruationem tribuit. Sed eam non approbant aduersæ quoque partis confœderati sodales. & Symmystæ. Tum quod editam lectionem omnes veteres agnoscant: tum, quod pilum Romanum crassius telum fuerit, quàm, vt arundinis vsum præbere potuerit: tum, quod si pilum ex vtraque parte consideres, prout ex Polybio depingit Iustus Lipsius, neutri extremitati spongia commode applicari possit.

In

IN *Rabbinorum libris legitur: Hyssopum, non vnius, sed plurium plantarum esse nomen. Septem eius species ipsi enumerant: vt auctor est Mercerus, qui Hyssopum Græcanicam nominat: putatque illam esse speciem, quam Rabbini Abratam vocant, Græcorum, ac Romanorum Abrotonum. Plinius lib.* XXI. *cap.* XXI. *Abrotonum tradit duorum generum. vtrique adscribit absynthij amaritudinem. Consentiunt Galenus, alijque Medici.*

Est, qui opinatur hanc Hyssopi speciem spongiæ aceto plenæ adiunxisse milites: ipso etiam eius succo in spongiam impresso: idque eo consilio, vt potionem Domino pararent amaram, penitusque ingratam. Anteà potatus fuerat aceto, cui erat fel permixtum. Milites eundem in finem Hyssopum abratam, siue abrotonum miscere potuerunt. Quod itaque Ioannes scribit de spongia: ὑσσώπῳ περιθέντες*: postquam illam Hyssopo circumdedissent: sic fortasse explicari potest, accommodatè ad Matthæi scriptionem: aptarunt spongiam Hyssopo, quod erat summæ arundini alligatum. Ita vt & spongiam, & hyssopum concinnarint. Quare postquam extremum arundinis ori Christi fuit admotum, quicquid sugebat, liquoris abrótomi amaritudine infectum despiciebat.*

QVOD *si auctoritate scriptoris antiqui probaretur, Hyssopi esse quandam speciem, ad eam altitudinem excrescentem, vt formari ex ea virga aut arundo possit, sicut ex fœniculo fieri videmus, per* Hyssopum *intelligeremus baculum ex ea planta, cui spongia alligata vel innexa fuerit. Certè Iosephus Libro.* VIII. *cap.* II. *de Libris Salomonis agens,* Hyssopum *inter arbores ponit.* De quaque specie arboris parabolam dixit, *ab hyssopo,* vsque ad cedrū. *Non ait: De quaque specie* φυῶ, *plantæ:* sed δένδρου, arboris *Et in Hebræo vox est, quæ arborē significat. Apud Cyrillum etiā leges: impietatis ministros diuersis vsos instrumentis: alios calamo: alios hyssopi ligno. Quod etiam innuit Auctor Tragœdiæ* Christus Patiens:

Alij arundine caput Christi feriebant saxo conscenso, instar turris, alto. Alij spongiam aceto plenam, quod erat felle temperatum, Hyssopo attollebant.

ALFONSVS *Salmeron, Disp.* XVIII. *in Epistolam ad Hebræos, vt dicitur,* Moses aspersisse populum.] *Aspergillum fiebat ex* Hyssopo, *quæ præclara pectoris purgandi & excoquendi vi pollet. Ita Christus spiritu suo, vice aspergilli vtitur, ad nos sanguine suo abluendos, dum serio pœnitentiæ sensu nos afficit, prauasque carnis cupiditates excoquit: ac denique iustitiæ suæ colore nos tingit. Ad hoc autem allusit Dauid cum cecinit.* Asperges me, Domine hyssopo.

HYSSOPVS *inter illas herbas numeratur, quæ vim habent anti dæmonicam, expellendi Dæmones, & arcendi veneficia. Vide Nicolaum Serarium Tobiæ* VIII. *Quæst.* V *num* II. *& in Miscellaneis nostris Medicis. Tit.* An in herbis sit vis curandi à Dæmonum præstigiis.

S. GREGORIVS *Lib.* VI *Moral. cap.* Num. 19.
XXV. *Apud Mosen dum in sacrificio vacca mactatur, cum* Hyssopo, *lignoque cedrino bis tinctus coccus præcipitur. Vaccam mactamus, cum carnem à lascinia suæ voluptatis extinguimus: quam cum* Hyssopo, *lignoque cedrino ac cocco offerimus, quia cum maceratione carnis, sacrificium fidei, spei, & caritatis adolemus.* Hyssopus *quippe interna nostra mundare consueuit. Et per Petrum dicitur:* Fide mun- Actu. 15.
dans corda eorum. *Lignum cedrinum nulla putredine deficit; quia spem cælestium terminus non consumit. Vnde per Petrum dicitur:*
Regenerauit nos per spem viuam: per 1. Petr. 1.
resurrectionem IESV Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem. & incontaminatam, & immarcessibilem. *Coccus verò rubro colore incendit. Vnde in Euangelio Veritas dicit:* Ignem veni mittere in ter-

in terram. *Sed bis tinctus coccus offerri praecipitur: vt scilicet ante interni iudicis oculos caritas nostra Dei & proximi dilectione coleretur.*

IACOBVS *Aluarez Paz. Tom.* II. *operum spiritualium lib.* I. *par.* I. *cap.* VIII. §. 4. *agens de poenitentis oratione, comparat illam cum disputatione Salomonis, qui disputauit super lignis, à cedro, quae est in Libano, vsque ad Hyssopum, quae egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus vniuersa sapiens: id est, iustus non sine ordine considerat.* Primò, *Hyssopum, quae egreditur de pariete: id est, proprium delictum, quod ex terrâ maledicta nostri cordis procedit: & consideratum ad humilitatem inclinat.* Posteà, *cedrum Libani: id est, Christum, cuius meditatio ad altitudinem amoris ac desiderium perfectionis inflammat.* Deinde, *iumenta, ac reptilia cogitat, id est, bestiales motus humi repentes, vt illos comprimat.* Tandem, *volucres, & pisces, id est, res sublimes, & à terrâ distantes, vt cor sublime, & ab amore visibilium auulsum accipiat.*

COMMENTATIO XIV.

DE

Confeßionis Sacramentalis vi Medica.

In quâ ostenditur, Deum, eiusque Vicarium, Confessarium, agere *Medicum*: Peccatorem esse infirmum, cuius est per Cõfessionem morbum aperire, ac ostendere vulnera. Hinc deducitur, *Primò*: Confessionem esse debere integram. *Secundò*: ablegandam esse rusticam, aut puerilem, dum de peccatis patefaciendis agitur, verecundiam. *Tertiò*: Summam esse Confessionis necessitatem: Illius vsum fuisse ante legem scriptam: & post illam: vestigium etiam aliquod inter Gentes idololatras. *Quartò*: non passim omnibus patefacienda peccata. *Quintò*: vnum, eumque peritum eligendum Confessarium. *Tandem*; Confessionem esse Medicinam purgantem.

Dominica IV. Aduentus.

Venit Ioannes *in omnem regionem Iordanis praedicans baptismum poenitentiae, in remißionem peccatorum.* Lucae. III. 3.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Lucae. XVII. 14.

Confessio Medicina.

NIHIL ferè magis tritum, cum de Cõfessione peccatorum Sacramentali in Ecclesia Catholica vsurpata agitur, quam illam appellare MEDICINAM. Quod, vt à vulgo passim dicitur: ita à modo loquendi, ac sapientum sensu non abhorret. Siquidem omnia ferè, quæ ad Confessionis commendationem, naturamque, & adiuncta eius explicanda faciunt, hinc deducere consueuerunt. Quãobrem cum manifestissimè in hodierno Euangelio agatur. Eam enim respiciebat cælestis *Medicus*, cùm leprosis præciperet, vt se sacerdotibus ostenderent. Et existimatur, fuisse prima Confessionis Sacramentalis figura, leprosorum in Leuitico ad Sacerdotes aditus, sui aperiendi gratia. Quod leproso à se curato mandatum etiam à Christo Matthæi VIII. Idemque hodie multis aliis imperatum legimus. Non possum non de medicinali virtute Confessionis hodiernam Commentationem instituere, vt officio instituroque meo satisfaciam.

Leuit. cap. 14. 2.

Matt. 8. 4.

Confessarius Medicus.

LVBET igitur, vt hinc potissimum exordiar, contemplari cum grauissimis Ecclesiæ Patribus, DEVM, eiusque delegatum, ac Vicarium, Conscientiarum Præsidem in Confessionis sellâ, ceu MEDICVM, ad quem æger, alioqui depositus confugiat. Cuius Confessio est morbi explicatio ac vulneris ostensio: quæ sanitatis, certè, medicandi solet esse initium. *Medicum* illum nominat S. Chrysostomus, cum de discrimine iudicii forensis, & huius Sacro-sancti tribunalis agit. Sic enim scribit homilia XX. in Genesim. *In humanis iudicijs si quis hoc faceret, & ante accusationem facinora fateretur, quamuis apud humanum, ac benignum iudicem: is nihilominus sententiam capitalem omninò in suum caput accerseret At misericordis, & animarum nostrarum* MEDICI, *est tanta, & tam ineffabilis bonitas, ac clementia, vt omnem etiam rationem transcendat. Nam si aduersarium nostrum Diabolum præuerterimus, nostrorum ipsi facinorum accusatores facti, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis: sed & in iustorum Catalogo numerari.* Ibidem. *Confessio*, inquit, *abolitio est peccatorum.*

Discrimen inter iudicē Deum ac hominem.

ET homilia VII. ad populum. *Iudices, cùm latrones ceperint, & sacrilegos, non quomodo reddant meliores considerant: sed quomodo ab ipsis scelerum pœnas exigant.* DEVS *autem contrà, cum aliquem ceperit peccatorem, non considerat, quomodo sumat supplicium: sed quomodo ipsum corrigat, & faciat meliorem, ac in futurum inexpugnabilem.* Itaque & *Iudex* pariter, & MEDICVS, & *Magister* est. Etenim, tanquam *Iudex* examinat, tanquam MEDICVS, corrigit, sicque Medicinam adhibet: tanquam *Magister*, docet, præuaricantes in omnem disciplinam inducens. Facit autem hæc DEVS, non tam per se proximè: quam per illos, quibus vices suas commisit, Confessarios. Ad quos spectat audire peccatores tanquam ægros, ac vulneratos. Siquidem *Confessio*, vt loquitur Augustinus, *est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Et D. Gregorius: *Confessio est, quâ pronuntiando occultum vulnus detegitur.* Obscurius Lactantius Firmianus Lib. IV. de vera sapientia cap. XVII. *Volens vitæ, ac saluti nostræ, pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiam nobis in illa Circumcisione proposuit. Vt, si cor nudauerimus: id est: si peccata nostra* confessi, *satis Deo fecerimus, veniam consequamur.* Eundem effectum agnoscit S. Thomas in tertia parte Summæ. Quæst. LXXXIV. Art. I. Vbi quærens:

Lib. 8. mor. 15.

S. Thom. 3. P. Quæst. 84. art. 1.

quærens: *Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum? sicut Baptismus*, inquit, *adhibetur ad purificandum à peccato: ita & Pœnitentia*: nempe, Sacramentalis per Confessionem.

Integrè omnia patefacienda. Ex hoc capite ducitur imprimis Confessionis integritas. Quæ est vna ex præcipuis illius conditionibus. Vt enim infirmus sanitatem frustra sperat, si non omnia, ac singula vulnera lethalia corpori inflicta Medico pandit: morbosque, quibus se premi sentit, patefacit: ita peccator incassum *Medici* opem implorat, nisi omnes animæ infirmitates aperiat. Omnis è vulneribus sanies deducenda, & pus extrahendum, si sanitas sit sequutura.

August. in ps. 66. VTITVR hoc exemplo Augustinus Enarratione in Psalmum LXVI. Vbi ita differit: *Tu agnosce* Medici *manum: Confitere. Exeat in Confessione, ac defluat omnis sanies. Iam exulta, iam latare. Quod reliquum est, facilè sanabitur.* Non displicet idem D. Hieronymo, qui in caput XVI. Matthæi, hunc in modum scribit: *Quomodo in veteri lege sacerdos leprosum mundum, vel immundum facit: sic & hic alligat, & soluit Episcopus, & Presbyter. Non eos, qui insontes sunt, vel noxij: sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit: quiue soluendus.* Nimirum, varietates peccatorum sunt explicandæ, quas si ex officio suo sacerdos debet percipere, certè omnes propalam illi manifestandæ erunt.

Verecundia ableganda. Ex eadem comparatione habetur: nulla debere præpediri verecundiâ peccatorem, tanquam ægrum, vt quamuis fœda, & sordida, aperiat. Intempestiuus, & reprehendẽdus esset ille pudor, qui vulneratum, ac infirmum, à vulnerum ac morborum ostensione præpediret. *Non confundaris confiteri peccata tua*, præscribit Ecclesiasticus. *Eccle. 4* Insaniunt tamen in hac re quidam ex ægris, vt notat Tertullianus. *Ter lib. de Pœni.* *Plerosque*, inquit ille, *hoc opus, vt publicationem sui, aut suffugere, aut, de die in diem differre præsumo: pudoris magis memores, quàm salutis. Velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis, contracta vexatione, conscientiam medentium vitant: & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere: saluti prodacta reformari. Na tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem: ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus detrimento eius adquiro.*

Verecundia damnosa. NEC minus acriter B. Pacianus nobilis auctor, parænesi ad pœnitentiam. *Meminimus quosdam verecundia etiam membrorum non erubescentes in ferro, & cauterio, & grauissima illa pulueris mordacitate durasse. Et, quantum est illud, quod homines præstiterunt? Peccator timebit? peccator erubescet perpetuam vitam præsentari pudore? Ego offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit?*

Necessitas confessionis. QVOCIRCA, cum ex aliis, tum hoc signatè principio, Confessionis necessitas colligitur. Nam quomodo sanabit *Medicus*, quod obstinatè latere *Medicum* vult infirmus? vel, ne aperiat, noxius pudor impedit? Seuerè, vere tamen, vt opinor, enuntiat Hieronymus in cap. X Ecclesiastæ. Eademque habet verba Concilium Tridentinum sessione XIV. capite V. quod est, de *Confessione. Si erubescat ægrotus vulnus Medico*

confiteri: quod ignorat Medicina, non curat. In eandem sententiam D. Augustinus, sermone LXVI. de tempore. *Qui peccata sua occultat, & erubescit salubriter confiteri, Deum, quem iudicem habebit, habebit & vltorem. Quomodo* Medicus *sanabit vulnus, quod ægrotus ostendere erubescit?*

Confessio à mundi exordio vsurpata. ET quoniam DEO, pro bonitate sua *Medicum* generis humani agere propositum erat, à mundi exordio ægrorum de morbis, ac vulneribus Confessionem expetiuisse animaduertimus. Lethaliter vulneratus erat Adam, & desperatè laborabat; nisi *Medicus* cælestis subueniret, conclamatum erat. Accurrit, visitat, inquirit, ad morbi publicationem perurget. *Adam vbi es?* inclamat. Quid habes? *Gen. 3. 9.* eloquere. *Mos iste Dei est,* inquit grauis auctor, *eos qui errarunt varijs interrogationibus conari ad resipiscentiam perducere, vt agnoscant fateanturque, & Confessionem misericordia consequatur.* *Amb. de parad. c. 14. Delr. Gen. 3* Sic egit deinde cum Cain, cum Balam, cum Ezechia. *Num 22. 9. Gen. 4. 9. Lib. 4. reg. 20. 14.* Cùm autem Adam tergiuersaretur, Deus ipse ex eius verbis confessionem elicuit: ne, sine manifestatione medicamentum satisfactionis præscriberet.

Gen. 3. 2. QVIS *indicauit tibi,* aiebat Deus, *quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Hoc est: cur nuditatem tuam caussaris? Prius & nudus eras, & nuditatem tuam ignorabas: & tamen te non pudebat. Vnde igitur nunc illa tibi visa indecens, & erubescenda? Conscientiam ego tuam vrgeo. Potuisses nosse, nisi de agnitionis arbore comedisses. Hæc morbi origo. Ad eandem Confessionem mulierem deinde incitat: *Dixit Dominus Deus ad mulierem. Quare hoc fecisti?* At conuersus ad primum mali auctorem, malesuadum anguem, non interrogat, nec Confessionis manifestationem elicere conatur: nimirum; quia Medicum cum eo agere non erat animus. Ideo repentè illi maledicit, ac sententiæ fulmen vibrat. Ait Dominus DEVS ad serpentem: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ.* *Genes. 3. 14.*

ITAQVE rectè scripsit Gregorius Papa: *Ad hoc Adam & Eua requisiti fuerant, vt peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent.* *S. Gregor. lib. 22. Mor. c. 13.* Atque hinc educit insaniam peccatoris D. Bernardus; notans geminam Adami peccantis malitiam. *S. Bern. lib. de Prae. Dispen.* *Primò,* quod nec sui misertus sit, vt culpam propriam fateretur, & sanaretur. *Deinde,* quod vxorem, vt se fallaciter excusaret, crudeliter accusarit.

Apud Hebræos vsus Confessionis. PORRO, idem Deo cordi fuisse in Lege scripta multa sunt, quæ luculenter ostendunt. Quamuis enim scripturæ non meminerint expresè Confessionis alterius, quam, quæ à Sacerdote semel in anno fiebat nomine populi totius, imponendo vtramque manum super caput hirci, quē mox immittebat in desertum: tamen, non obscurè innuitur Confessio, etiam de secretis Leuitici VI. & Numeror. V. *Leuit. 16. 21. Leuit. 6. 1. 2. Num. 5. 6.* Iosephus verò lib. III. Antiquit. cap. 10. conceptis verbis de sacrificio scribit, pro illo, qui sciens peccauisset, nemine conscio. *Abul. Q. 23. Ribe. lib. 4. de tem. c. 6.*

Turria. lib. 3. de dogma Char. RECENTERI memoria Thomas Vvaldensis refert se ab ipsis Iudæis Viennæ in Austria didicisse solitos confiteri de peccatis apud sacerdotem: *Iudæi confitentur de peccatis Vval. To. II. cap. 137. n. 7.* in tribus potissimum casibus: nempe in priuato adulterio: in homicidio occulto: in occulta Dei blasphemia, aut legis: & tunc à sacerdote propriam pœnitentiam imponi solere. En duo Dauidis peccata occulta, ob quæ postea fecit blasphemare inimicos Domini, & quæ ipse confessus est. B. autē Antoninus

in tertia

S. Ant. 3. P. tit. 14. c. 6. § 1. in tertia parte summæ Theologicæ, dum explicat illud psalmi xxx. vers. 5. *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei:* testatur asseruisse aliquos ex Hebræis, peritos legis, cùm reperiunt Sacerdotem Leuitici generis, confiteri illos peccata sua vocaliter ante mortem.

Apud Gentiles confessionis umbra vel vestigium. Plut. de instit. Laco. & in Apophth. Laco. QVID, quod apud Gentiles fuerit Confessionis aliquod vestigium? In Lacedæmoniorum republica, teste Plutarcho, in Laconicis, dum scribit de Antalcida, & Lysandro iussis, vt initiarentur, crimina sua confiteri. Et si quis in delicto deprehenderetur, debuisse aram circumire, & compositam in se ipsum vituperationem cantare. Scribit etiam Iosephus Acosta, libro de procuranda Indorum salute: ætate etiamnum nostra in Occidentalis Indiæ prouincia N.caragna repertos sacrificos destinatos audiendis confessionibus, & imponendis pœnitentijs. Ijs autem criminum reos reuelare peccata. Nec fas ijs esse, vxores ducere: quod alijs permittitur Sacerdotibus. Habent & Mahumetani confessionis vmbram aliquam, qua expiari se existimant.

Hæretici probant Medicinam Pœnitentiæ ac Confessionis. Sot. in 4. Dist. 8. p. 1. art. 1. TANDEM necessitatem huius Medicinæ perspexerunt, postquam eius Doctores profligassent superioris seculi sectarij. De Norinbergensibus refert Dominicus Soto, oculatus testis: eos, per legatos à Carolo V. postulasse, vt Imperatorio iure confessionem auricularem postliminio restitueret. Se namque vsu comperisse, postquam illa cessauerat, Rempublicā suam vitijs cōtra iustitiam, virtutesque alias abundauisse. Risit Imperator simplicitatem Noricam: nec immeritò. Quomodo enim cogerentur ad confessionem Sacramentalem iure ciuili, qui vim absolutionis Sacerdotalis iure Diuino sancitam ridebant? qui homines ad vera fatendum Diuino iussu compelli non concedebant? Quomodo pœnarum humana lege impositarum minis ad confessionem adigerentur, cùm vtrum confiterentur, an secus in familiari & abdito colloquio Prætor scire nequiret.

HOC tamen ab ijs benè animaduersum est, quod quæ respublica, euacuante, purganteque Confessionis *Medicina* non vtitur, eam criminum pessimis, & ad interitum disponentibus humoribus impleri. Quod doceri putat D. Basilius à Dauide, eo versu Psal. xxxvii. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: Docet nos hic sermo*, inquit, *ne nostra ipsorū mala obtegamus. Et, ne patiamur, vt quoddam quasi atramentum, aut putrilago, peccata in imum animæ fundum descendant, ibidemq; sidant, & comprimantur. Quid enim aliud inde exspectetur, quam apostema lethale nullis curandum remedijs?* Addit S. Pater, *Quemadmodum in febre, si initio altius serpat, morbum longè validiorem facit: si verò eruperit, & in apertum se promouerit, spem remissionis, veluti indice, promittit. Sic & animæ contingit, per confessionem, si malum latens erumpat.* *Psal. 37. 5.*

NEC dissimilia habet S. Ambrosius in eundem psalmum scribens. *Vt febres in alto sitæ, non queunt mitigari. Quando autem foras erumpunt, spem adferunt desinendi: Ita peccatorum morbus dum tegitur, inardescit: si confessione proditur, euaporat.* Et ideò Iustus accusator est sui in principio sermonis, *priusquam contagio vlceris serpat intrinsecus. Grauat enim conscientiam memoria delictorum, nisi* Medicina *posciatur. Et si differt* Medicus, *offerre se debet æger, vt citius secetur.*

IN eundem sensum Theophylactus in cap. v. ad Ephesios. *Quemadmodum, quam diu opertum est vulnus, medicationem*

nullam admittit: Sic & delictum, nisi fuerit detectum: & tunc in lucem conuertitur: non peccatum quidem: sed qui peccatum patrauit. Nam castigatus cùm fuerit delinquens, & acrioribus verbis increpitus, sic. j. pœnitudine veniam consequitur nonne huius omnes, urgatæ sunt, & abolitæ, quas antea peccatorum mole obduxerat, tenebræ?

Leprosi vestibus dissutis.
Orig. hom. 8. in Leuit.

LEPROSORVM exemplũ ad hoc adducit Origenes De ijs Leu. XIII. sic scribitur. *Quicunque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta: caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit. Vestimenta leprosi,* ait Origenes, *dissuta sunt, & caput eius reuelatum. Per quæ designat eum, qui in anima leprosus est, non oportere assuere sibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is, cuius vestimenta dissuta sunt, nudam gerit turpitudinem corporis: ita oportet eum, qui peccatis aliquibus est obseptus, flagitia sua nullis verborum assumentis, nullis excusationum velaminibus operire.*

Non omnibus passim esse manifestanda peccata.

Ex eadem Medicinæ ratione colligit Anastasius Nicenus; non omnibus passim peccata propria esse manifestanda: sicut non quibuslibet morbos nostros, aut vulnera aperimus. Sic autem ille differit Quæstione sexta ex ijs, quæ in Sacram Scripturam edidit. *Quomodo morbi corporis non aperiuntur omnibus hominibus, neque quibuslibet: sed ijs, qui illorum curandorum sunt periti: ita etiam peccatorum confessio debet fieri apud eos, qui possunt curare; sicut scriptum est:* vos, qui potestis, portare; id est, tollite per curationem. *Necesse igitur confiteri peccata ijs, quibus credita fuit dispositio. Scriptum est enim in Euangelio: quod qui baptizantur baptismo Ioannis confitebantur peccata sua. In Actibus autem Apostolorum, quod, qui ab ijs baptizabantur, confitebantur actus suos.*

Act. 19. 18.

Vni Medico, vni confessario morbi aperiendi.

QVEMADMODVM autem, qui morbis pressus est, vni alicui, cuius doctrinæ, diligentiæque potest fidere, latentes morbos aperit: & eius se fidei committit. Et, si semel industriam peritiamque est expertus, alios haud facilè aduocat: nec pluribus ærumnas suas, nisi fortè consilij caussa, communicat. Quod si non obseruat; sæpè mutatione Medicorum, quorum sunt diuersa, & aduersa in curando principia; decreta contraria, in manifestum vitæ periculum se conijcit: ac Medicorum multitudine interit: cùm si suum illum, quo vti erat solitus, adhibuisset, sanitatem fuisset consequutus. Vulgatum est illud Cæsaris Hadriani, quod moriens vsurpauit, & sepulcro incidi voluit: *Turba Medicorum Cæsarem perdidit.* Detorquebat fortassè Græcum prouerbium: Πολλοὶ ςρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν: πολλοὶ δὲ ἰατροὶ τὸν βασιλῆ ἀπώλεσαν. Et profectò etiam num verum iudico: Medicorum turbam multis mortem accelerare.

Multi confessarij vnius conscientiæ sunt proficui.

HAVD secus in spirituali hoc medicandi genere contingit. Habes bonum conscientiæ tuæ moderatorem: peritum morborum Medicum. Illi morbos omnes tuos patefecisti: expertus es fidem, prudentiam, caritatem. Si iterum in morbum incidas, noli alium accersere: noli ad alterum, sine caussa graui te conferre. *Medici*, medicandique caussa, ac principijs mutatis sanitas facilè periclitatur. Turba Medicorum te perdet, quem vnius diligens cura seruasset incolumem.

Confessio quo modo sit Medicina.

PROBAS quidem, inquit argutior quispiam, confessionem ad rem medicam pertinere, sed non nisi, tanquam præparationem quandam ad medicamenti sumptionem proficuam. Quo pacto

pacto morborum manifestatio *Medicina* esse potest, ac dici. Est quidem verum, Confessionem Sacramentalem esse morborum spiritualium manifestationem: ideoque illam aperire vulnera, quibus remedia applicentur. Negari tamen non potest, eam plus aliquid habere: videlicet, Medicinæ rationem. Quamuis enim sit actio ipsius infirmi: potest nihilominus, tanquam remedium, ad curationem, sanitatemque conducere.

Discrimen inter Sacramnta. Par. 3 q 84. ar. 1. ad 1.

OBSERVAVIT id acutè S. Thomas: qui agens de Sacramento pœnitentiæ, cuius magna pars est Confessio, tale discrimen inter Sacramenta adsignat. Quod in ijs Sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ superat omnem facultatem humani actus, adhibeatur aliqua corporalis materia exterius, qua sanitas illa eximia, curatis morbis omnibus conferatur. Sicut in baptismo, in quo fit plena remissio peccatorum, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam. Item in Confirmatione, in qua datur plenitudo Spiritus Sancti. Prætereà, in Extrema vnctione, vbi confertur perfecta sanitas spiritualis, quæ prouenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Vnde, si qui actus humani sunt in talibus Sacramentis, non sunt de essentia Sacramentorum: sed dispositiuè habent se ad Sacramenta. In iis aût Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem actibus humanis, ipsi actus humani sunt loco materiæ: vt accidit in POENITENTIA. & Matrimonio. *Sicut etiam*, inquit S. Doctor, *in* Medicini *corporalibus quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra, & electuaria: quædam verò: sunt actus sanandorum: puta, exercitationes quædam.*

Confessio Medicina admodum exercitationum.

QVIBVS verbis insinuat summus ille Theologus: quemadmodum exercitatione, confricatione, exinanitione, similibusque ægrorum actionibus, sanitas, etiam effectiuè, vt loquimur, inducitur: suntque remedia medicinalia ipsæ illæ operationes infirmorum: ita, confessionem de peccatis, doloremque animi internum, sanitatis caussam agentem, instar medicamenti esse. Quod mihi verissimum semper est visum. Et addere soleo: non moraliter solum; sed & physicè, siue per se, siue per partes suas ad animæ sanitatem concurrere. Ita tamen, vt secundùm DEVM, principem, in hoc medicandi genere, caussam, præcipuæ partes Absolutioni Sacramentali tribuantur. Aperiente enim infirmo animæ vulnera, cœlestis Medici Vicarius Sacerdos, sine alio cataplasmate, binis ternisve voculis, tot antea morbis, ac vulneribus ad extrema redactum, sanum, saluumque, non pronuntiat modò; sed efficit: vt vim humana maiorem agnoscas.

ESTQVE hoc ingens inter Noui & Veteris Instrumenti Sacerdotes discrimen. Quod illi, morbum, vel lepram indicare possent, non sanare: hi curare quoque valeant. Annotatum id est à Diuo Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio. *Nostris*, inquit ibi, *Sacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ sordes: non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Confessio instar medicinæ purgationis.

TAM igitur medicinalis est Confessio, quam *Purgatio*, vt loquuntur Medici. Quæ, quo sæpius sumitur, eo sanitatem magis firmat. Cuius contrarium licet cernere in corporis purgationibus

nibus, aut medicamentis corpus purgantibus. Quod monuit Cornelius Celsus lib. 1. de re medica cap. 3. Vbi ita scribit: *Purgationes vt interdum necessariæ sunt: sic vbi frequentes sunt, periculum adferunt: assuescit enim non ali corpus: & ob hoc infirmum erit: cum omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas sit.* Galenus quoque Com. III. in Sectio. tertij Aphorismor. num. 15. *Pharmaca,* inquit, *purgantia valdè indigentibus, &, ex longis interuallis vtilia sunt. Earum verò, quæ quotidie generantur in corpore, superfluitatum euacuatio, minor est, quàm, vt exigat purgantis pharmaci operationem. Si verò quispiam voluerit bis in mense, aut semel saltem ea vti, veritus, ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id, quod nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem trahet.* Monet etiam Plutarchus lib. de valetudine tuenda: Vomitus, & purgationes ventris, per medicamenta sinè magna necessitate vsurpari non debere. Longissimè à recta ratione abesse, qui redundantium humorum è corpore eijciendorum caussa, qui familiares corpori sunt, & consueti in corpus inijciunt coccos Gnidios, Scammoniam, aliaque medicamenta à corporis temperie aliena, atque sæua: & quæ expurgari potius debeant, quàm purgare possint corpus. Lintea, quæ lixiuio, & smigmate detergentur, euadere quidem mundiora, quā si aqua lauarentur, sed deteriora fieri: sic & corpora, quæ medicamentis purgantur.

CONTRARIVM accidit in purgatione Confessionis Sacramentalis. Quò enim crebrior est, eò est salubrior. De quo extant integri libri eorum, qui de rebus spiritualibus scripserunt, & constat exemplis innumerabilibus. Diuersitatis est illa ratio. Quod purgatio corporea corporis temperiem turbet, illique sit aduersa: spiritualis verò per Confessionem, animæ temperamentum, quod in virtutum symmetria consistit, roboret: illique sit minimè contrarium. Itaque, qui firmam animæ sanitatem, & ab omnibus humorum superfluorum sordibus interiorem ventriculum vacuū desiderat, salutarem hanc purgationem iteret: imò, si fieri possit, sumat quotidie. *Si vis iustificari, fatere delictum tuum. Soluit enim criminum nexus verecunda* CONFESSIO PECCATORVM. *S. Amb. lib. 2. de Pœnitent.*

NOTAE.

EST tam efficax remedium ad æstum omnem extinguendum Confessio, vt inferni etiam flammas extinguere dicatur. Pacianus parenæsi ad pœnitent. *Si de cruciatu exomologesis retractatis gehennam recordemini, quam vobis exomologesis extinguet.*

CONFESSIONEM esse etiam morborum corporalium remedium exempla docent. Lege Antonium Dauroultium in Catechismo historiali *cap.* v. *Tit.* XXXIX. *Exemplo* VIII.

Erat vir multis notus & clarus in Burgundiæ partibus, qui quidem aliquanto tempore in iuuentute sinceriter conuersatus, posteà à virtute tepescens, cœpit ad vitia declinare. Nec mora, squalenti mente tabescens incidit in languorem: nec tamen Dei manum castigantis agnouit, sed mala malis accumulans, pallore vultus & macie, quasi homo ignis æterni miserabiliter habilitabatur ad pœnam. Cumq; nulla Medicorum cura proficeret, nec saltem ei languentis vita caussam aliquis aperiret; tandem in se reuersus, solam miseriæ corporalis caussam, languorem animæ, Diuina miseratione preuentus, pœnitens intellexit. Confessus ergò *Thom Cātipr. lib. 2. Apum. cap. 50. p. 2.*

ergo cum lacrymis, cuidam sanctissimo Sacerdoti, statim vbi beneficium absolutionis accepit, similitudinem ferè bufonum habentium in facie, sed diuersificata posterius septem animalia cute teterrima, & parua, quasi vitiorum septem dæmonia, de se simul eiecit: Mira res vix modico temporis spatio interiecto, in tabem animalibus resolutis, reflorere cepit caro prorsus, & facies pœnitentis, menteq; & corpore integerrimè sospitatus multis profuit ad exemplum.

Miles cæcus ab oculorum cæcitate per confessionem liberatur.

D. Bona. In vita S. Francisci c.15.

IN ZACHARTO *quod est castrum iuxta Ananiam, miles quidam Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, vt duo fratres Minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diuerterent. Suscepti itaq; deuotè propter reuerentiam Sancti Francisci à familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo & hospiti, ad locum fratrum deuenere vicinum. Nocte igitur quadam, beatus Franciscus vni Fratri illorum in somnis apparuit dicens: Surge festina beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare. Disparente quoque Patre, frater festinus surrexit, vt mandatum cum socio celeriter adimpleret: venientesq; ad hospitis domum, cuncta quæ viderat* [illegible]*, per ordinem narrauerunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & vniuersa quæ dicebantur, vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione præmissa, interioriq; homine taliter renouato, exteriorem continuò recuperauit adspectum. Huius miraculi fama circumquaque diffusa, non solùm ad reuerentiam Sancti, verum etiam ad confessionem humilem peccatorum, & hospitalitatis gratiam plurimos incitauit.*

Cæcus miles per confessionem sanatur.

Archidiaconus Treuirensis Confessionis pharmaco à febri liberatur.

Greg. Tur. de Gloria Confessor. cap 93.

EST *apud vrbem Treuericam suburbano Sanctus Maximinus, ad cuius tumulum sæpè cernuntur miracula gloriosa; inter quæ istud minimè subticendum. Cum Archidiaconus à Nicetio vrbis ipsius Episcopo pro adulterij crimine pulsaretur, Sacramento se ad huius Sancti sepulcrum purificari expetijt, ingressusq; primum Cryptæ limen, restitit quasi stupens. dehinc descendens per gradus, ad aliud ostium venit, cumq; ad tertium accedere vellet, protinus febre correptus, ingressum amplius figere non audens, crimen quod imputabatur, in discrimine mortis positus, est confessus, deprecans populum, vt pro se, vel Sancti Antistitis, vel Episcopi sui suffragia flagitaret, sed statim, vt confessus fuit, ab impulsu febris erutus sui Antistitis est in caritate receptus*

Negligens confessionem toties in morbum labitur; & confessus, totus sanatur.

P. Ioannes Bonifacius de institut. Pueri Christiani in oratio de Relig.

His addendum illud recentius, quod *Ioannes Bonifacius* in oratione de Religione commemorat: *Coniectum, inquit, in vincula maleficum quendam pius quidam Sacerdos, vt se peccatorum pondere lauaret, confitendis ipsis, sæpè admonebat, cumq; identidem rogatus parere nollet, vereri se Sacerdos dixit, ne Deus talem, ac tantam confitendorum criminum puniret tarditatem. Secuta mox fuit tam periculosa febris, vt sibi iam iam esse moriendum, victus putaret: vocatoq; ad se eodem illo, qui consilium dederat, Sacerdote, vitæ lapsus omnes aperuit, peractaq; Confessione releuari se morbo sensit ægrotus, vsque adeò, vt postridie è lecto surgeret, pedibusq; incederet. Id cum Sacer homo vidisset, rogare facinorosum illum morbo liberum cepit, vt se gratum immortali Deo ostenderet, propter recuperatam sanitatem, habendaq; gratiæ optimam esse ratio-*

Febricitans post Confessionem sanatur.

Ingratus in febrim iterum lapsus liberatur per Confessionem.

tionem dixit, si videlicet Christi hospes esse vellet, atque conuiua. Sacerdoti iusta petenti minimè parere voluit vinctus, obstinationisq; pœnas confestim dedit, morbo, quo paulò ante solutus fuerat, redeunte. Tunc homo pertinax graue esse scelus intellexit, hortatori suo non obedire, cum præsertim idipsum Deus duplicato indicio monstrauisset, quare tertium diuinæ vltionis telum exspectandum non censuit, confessusq; iterum cœlesti pane se recreauit. Hæc postea quam fecit, non solùm ex furente illa iactione febris emersit, verùm etiam legitimæ potestatis iussu exiuit è custodia, in qua mensibus nouem, macie, & squallore confectus vixerat: quam etiam perpetuam futuram esse credidit.

CARDINALIS Bellarminus ex eo, quod confessio habeat rationem *Medicinæ*, benè colligit, peccata in specie, ac sigillatim esse confitenda, Concione IX. quæ est Dom. IV. Aduentus. *Aliqui*, inquit, *sunt, qui ita negligenter ad hoc opus accedunt, vt solum generatim, atque in summa & confuso quodam modo dicere possint se omnia peccata capitalia perpetrasse, & omnia Dei præcepta violasse, quibus nō alia profectò quam confusa & generalis absolutio conueniret: imò verò nec tali absolutione digni sunt. Nam dum ita cōfitentur, duos errores committunt: dicunt enim quod non fecerunt, & quod fecerunt, non dicunt. Quæso te, si reum aliquem ante tribunal iudicis constitueres, & nihil diceres aliud, quam: iste egit contra legem: peto vt velis ferre sententiam. Quid iudex ille responderet? Iste egit, inquis, contra legem. Contra quam legem stulte? An non putaret se irrideri? Quam sententiam feram, si, quod sit eius peccatum, ignorem? Pari ratione si* Medicum *adeas, & dicas: Mihi aliquid dolet, adhibeas quæso medicamentum. Quid ille? Nonne dicet: Stupide, quid est, quod tibi dolet? caput? oculi? dentes? renes? pedes? Quid tandem illud est? An putas omnia medicamenta omnibus malis conuenire? Quid si tu podagra labores, & ego medicamenta dentibus adhibeam. Verum ista in negotijs rerum externarum, & ægritudinibus corporum non sæpè euenire solent. Siquidem prudentiores sunt filij huius seculi, filijs lucis in generatione: at in negotijs & morbo animæ, quam sapientissimè conueniunt, quasi nesciant homines Christiani, & in alijs rebus non necessarijs interdum eruditi, se ad Sacerdotem, tanquam ad Iudicem, &* Medicum *animarum accedere, cui crimina singula, & morbi singuli, quo ad fieri potest, diligenter explicandi sunt, vt is & rectè iudicare, & salubriter mederi possit.* *Lucæ 16.*

(.:.)

COMMEN-

COMMENTATIO XV.

DE

Confeßionis Sacramentalis vi Medica, instar Vomitus.

In qua declaratur similitudo CONFESSIONIS cum Vomitu medicinali ex vtriusque definitione. E quâ deducitur, quid in Confessione sit euomendum. Nimirum, Cibus indigestus: Aqua: Vermes. Quæ sunt symbola peccati. Distinguitur Vomitus à Ructu, & Nausea. Ostenditur, quomodo fiat Vomitio. Præscribuntur Vomitoria. Numerantur, quibus vel nullus, vel difficilis est Vomitus. Quique Vomitum suum resorbent.

Dominica IV. Aduentus.

Venit Ioannes *in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remißionem peccatorum.* Lucæ. III. 3.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Iste, ostendite vos Sacerdotibus. Lucæ. XVII. 14.

Si coactus fueris in edendo multum: Surge è medio: EVOMÆ: *& refrigerabit te: & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Ecclesiastici XXXI. 25.

Medici loquuntur de rebus sordidis.

IGNOSCENDVM est Medicis, si interdum, quando, vel de morborum caussis disserunt: vel remedia præscribunt: vel inualetudinem infirmi explorant, ijs vtantur verbis, de illisque rebus loquantur liberius, quæ teneras, & delicatas imperitorum aures solent radere; quorundam etiam iuniorum offendere grauiter, ac vulnerare. Quibus idcirco venia datur, si tamen culpæ hic est vmbra, quod necessitate adducti in hos scopulos impingant: neque possint alioquin officio satisfacere, & idonea ægris medicamenta subministrare. Si enim adfectæ sint partes, quas non patitur honestas nominari ab alijs: illas non nominare modò, sed videre, & contingere etiam Medicis concedimus. Ijdem excrementorum qualitates examinant, quod horrori esset quibusdam. Aliquando necesse est, vt euacuationes omnis generis, alui deiectionem, purulentarum sordium excretionem, vomitiones varias procurent: quæ

nauseam mouent videntibus æquè, atq; audientibus. Illud tamen obseruandum est Medico prudenti, vt cùm de his similibusque sermonem instituit, necessitatis terminos non transiliat: atque ita medica facultate vtatur, vt honestatis rationem non negligat.

Ecclesiastes, & Confessarius de sordidis quomodo loqui debeant.

IDEM vsu venire solet Diuinæ voluntatis sacris Interpretibus, siue illi è superiori loco; siue in Confessionis Sacramentalis tribunali ad se accedentibus medicinalem operam impendant. Ah! quoties illis loquendum de exitiali criminum fœdissimorum, ceu humorum deterrimorum, profluentia; quæ animi, non corporis ventriculum pessimè solent afficere! Quoties abominanda non ventris, sed cordis, tanquam cloacæ, excrementa, lingua, verbisque sunt versanda! *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, quæ coinquinant hominem.* Quoties illis hara conscientiç, quolibet Augiæ stabulo magis fœtida expurganda! Quoties fœda lasciuiæ colluuies commouenda! Quoties pernitiosa impietatis, voluptatisque vetitæ phlegmata educenda! Quoties redundantes vanitatum pituitæ contemplandæ! Horum autem omnium, ac singulorum commemoratio, nonne nauseam insuetis pariat?

Remedia purgationum.

ACCEDIT, quod ipsorum quoque officium sit, varia expurgationum remedia suggerere: fœdatum partium morbos spirituales, vlcera, tumores, apostemata rimari: malorum egestiones, eiectiones, vomitionesque præscribere. Quamobrem, & hic animaduertendum est diligenter, vt ea, quam diuinum illud munus postulat, sanctitate, & casta puritate res, alioqui lubrica, pertractetur, auditorumque haud minus, quam personæ propriæ habeatur ratio. Quod hodierno potissimùm die monendum duxi, quo res Sacrosancta, cum illa, quæ vel visa tantùm stomachi euersionem solet inducere, comparabitur Confessio cum Vomitione medica.

Confessionis & Vomitionis similitudo.

QVOD enim *Vomitus*, ex Medicorum sententia, est corpori variis humoribus oppleti, siue ad sanitatem tuendam, siue ad inducendam, id Confessionem, siue coram DEO ad peccati condonationem obtinendam; siue coram eius Vicario, ex legis præscripto factam, esse animæ peccatis magis pressæ, ac oppletæ, demonstrabimus. Dices fortasse, nimis humilem, sordidamque videri similitudinem: sacrilegii speciem habere, Sacramenti cum re abominanda comparationem. Præuidi equidem, quid posset obiici. Et metuendum fuisset ab imperitis, nisi comparationis huiusce auctores, patronosque laudare possem primi subsellii, & omni exceptione maiores Theologos. An non talis Augustinus, absque vllo alio titulo recipiendus? Eius hæc sunt verba, postea expendenda, in enarratione psalmi LXXXIII. *Premebat pectus conscientia peccatorum: accepta indulgẽtia quasi* VOMVISTI, *& reuelatum est peccatum tuum,* alia, & emendatior lectio habet, *reuelatum est pectus tuum,* an fortasse scripsit, *releuatum:* nam releuatur vomitione pectus. *Facta est bona conscientia, ex mala conscientia.*

NOTÆ.

EANDEM similitudinem promouet Papa Gregorius in tertia parte Pastoralis, Admonitione XXXI. cuius verba mox dabimus. Ante hos Origines, verbis suo loco exprimendis. Sed nullus pluribus, elegantiusq; cõfessionẽ

Sacra-

Sacramentalem cum *Vomitione* comparat ex ijs, quos ego quidem legi, quam Gulielmus Parisiensis, nobilis, piusque scriptor, lib. de Sacramento Pœnitentiæ cap. XII. ex cuius præclarè inuentis, quoniam publici iuris sunt, nostra quoque illustrabimus.

Apostolorū auctoritas.

SED quid hos nominamus, magnos quidem, sed Apostolis, quibus auctoritas irrefragabilis, minores, ac minimè comparandos? Petrum Apostolorum principem similitudinis illustrandæ auctorem nomino. Et ne dubitet quispiam, Clementem adduco ipsius auditorem, ac sequacem, qui ex Magistro suo eam referre erat solitus. Nam, si Francisco Turriano, viro omni disciplinarum genere excellentissimo, credimus, Clemēs, ex Petro proponebat doctrinam de Vomitione peccatorum: comparans hos Vomitores cum ijs, qui in naui, quæ est imago Ecclesiæ, nauseant, vomuntque: nimirum, per confessionem criminum. *Quæ sunt*, inquit Clemens, *bilis, morbum adferens alleuantur autem ea ratione.*

Turrian. lib. 4 contra Magdeburg. cap. 17.

Confitens. Vomens.

ADDO quidpiam efficacius: in ipsis scripturis Canonicis, *Confitentem* appellari *Vomentem*. Ne maiorem huius comparationis auctorem, inquirendum putemus. Prouerbiorum XXX. 1. hæc leguntur. *Verba congregantis filij vomentis.* Quis ille Congregans? *Congregans* idem est, inquit Carensis, quod Ecclesiastes. Ecclesia autem est congregatio. Congregans autem dicitur Salomon, vel quoniam diuersas virtutes diuersisque parabolas in vnum collegit: vel quia multitudinem populi sub suo regimine habuit congregatam: vel quia multa verba sapientiæ coaceruauit. Is fuit filius *Vomentis*: id est, Dauidis: nimirum, euomentis per Confessionem peccatum adulterii, & homicidii ad correctionem Nathani. Seu, *Vomentis*: id est, *Vomitionis*: accipiendo concretum pro abstracto: nempe, dati, destinati, dediti Confessioni, quâ euomuntur peccata salubri Vomitu. Hoc accommodatius est: quam, si dicatur: filius *Vomentis*: id est, eructantis verbum bonum: aut, filius *Bersabeæ*: quæ vox significat puteum satietatis: vbi autem satietas, ibi *Vomitus* aut filius *Vomentis*: id est, Dauidis, qui Vomitu saliuæ simulauit insaniam coram rege Achis.

Lib. 2. Reg. 12.

NOTÆ.

1. Reg. 21.

EXPOSITIONEM datam debemus Hugoni Cardinali, qui addit: de eo vomitu intelligendum illud Ecclesiastici: *Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, & euome, & refrigerabit te.* Imo, putat idem Cardinalis, ex illo Prouerbiorum loco, pœnitentiam veram Salomonis, tanquam ex Confessione colligi. Eandem sententiam de Salomonis confitentis conuersione intelligunt alii, quos nominat Ioannes Pineda libro VIII. de rebus Salomonis.

Hugo Cardi in prouerb. Eccl. 31.

NOTÆ.

Lib. 8. ca. 1. sec. 6.

Vomitus, Medicinæ remedium.

SED iam ipsam similitudinem, cum ea, qua par est, moderatione, tantos sequuti patronos illustremus. Imprimis, vt Vomitum inter remedia Medicinæ corporeæ censeri; ita Confessionem in ijs esse quæ animā curant, nullū esse dubiū. De illo sic Plinius: *Homini cibus vtilissimus simplex, aceruatio ciborū pestifera: & cōdimenta perniciosiora. Difficulter autem perficiuntur omnia in cibus acria nimis & auidè hausta: & æstate, quàm hieme difficilius: ac in senecta quàm in iuuenta. Vomitiones adhæc homini in remedium excogitatæ. Hinc veteribus in vsu fuere, sumpto copiosius cibo.* Cicero oratione pro Deiotaro: *Cùm post cœnam vomere te velle dixisses, in balneum te ducere cœperunt.*

Plin. lib. 11. cap. 53.

Cic. pro Deiot.

QVID est *Vomitus*, seu *Vomitio*? Respondet Gulielmus Parisiensis: *Est euacuatio ventris corporalis, aut in parte, aut in toto*

Vomitus Vomitio quid?

toto per os, sine ministerio oris. Quem inducere solet, vel indignatio stomachi, vel ventris, vel abominabilitas alicuius, quod in ventre est. Applicat hæc Confessioni. *Sic per os*, inquit, *sine ministerio oris, euacuatur, siue exoneratur venter cordis, siue conscientia à vitijs, & peccatis: ea videlicet dicendo, ac manifestando sacerdoti.* Quemadmodum ergo indignatio ventris intendens expellere, siue quod nocet ipsi, siue quod non conuenit, distendit ventrem & os aperit, atque dilatat ad exitum illius: sic nobilis ac sanctæ indignationis conscientiæ ventrem cordis extendit, & concutit ad expellendum abominationes, & spurcitias vitiorum, ac peccatorum, aperiens os, atq; dilatans ad exitum earum per verba confessionis. Cùm ergo ex hac indignatione, & concussione ventris spiritualis, siue conscientiæ, noxius humorum vitiorum ac peccatorum ad os impellitur, quoniã abominabilis est, & inde per Confessionem exit; Confessionem ipsam *Vomitum* spiritualem meritò dicimus, ad similitudinem Vomitus corporei. Quod vt clarius innotescat, Medicos consulamus.

Applicatur Confessioni.

CELSO Medicorum politissimo, *Vomitus*, est *reiectio per os cum ventriculi subuersione, eorum, quæ in stomacho, vicinisq; partibus continentur.* Quod autem corpori est stomachus, aut ventriculus, id animo est conceptaculum quoddam cogitatuum, & voluntatum humanarum, quæ suæ priuatæ decore ac rectitudine, tanquam sanitate, peccati rationem habent: siue illud conceptaculum, Conscientiam, siue Cor, siue Memoriam, siue Mentem, siue Animam nuncupes, non laboro. Cùm igitur, turbato interius corde, eijciuntur, quæ latebant per os: quod fit in Confessione, seu Deo, seu eius ministro facta, vomere quis spiritualiter censetur.

Medicus, quid Vomitus. G def. Abeg lib. 8. Medici, pract. c. 44.

AT, quid euomitur? vniuersè dicere possis: quod ventriculum onerat. Sed lucis caussâ, tria genera distinguo. *Primum* continet cibum, potumque indigestum. *Secundum*, aquam, vt patet in suffocatis. *Tertium*, bestiolas, vt vermes. Quæ omnia sunt peccati symbola. Peccatum est cibus indigestus: nimirum, actiones, quæ defectu caloris naturalis gratiæ, quæ deest, quia peccator, illam vel non admittit, vel non fouet, concoqui nequeunt, atque in sanguinem & alimentum vitale non possunt conuerti. Hic cibus onerat stomachum, vt exclamet peccator: *Sicut onus graue grauata sunt super me.* Idem bibit *sicut aquam, iniquitatem*, vt collo tenus, impleatur. Peccata autem & rodentem vermem semper generant, & sunt vermes, lumbrici, aspides, quæ hominem assiduè mordent, & corrodunt.

Quid euomatur?

PECCATA igitur euomenda sunt. Et hæc est Confessionis Sacramentalis materia. In hoc delinquunt non pauci, qui peccata haud euomunt. Vt imprimis pueri, & ignari adolescentes, qui à teneris assuescunt ea Confessario dicere, quæ peccati speciem non habent. Satis fatigatur, ac distrahitur serius quispiam Confessarius, si peccata audiat: non est necesse illum nugis, fabulis, & rebus narratiunculisque ridiculis detinere, & obruere. Sed excusantur innocentes & ignari. Non excusantur Magistri litterarum si Confessionis modum rudibus discipulis non tradant: & hæc teneræ ætati non instillent. Non excusantur Confessarij, si, cum audiendis talibus semel operam dederunt, non melius condocefaciant.

Confessionis Materia.

Denique eodem genere delinquunt maturiores aliqui, patres, ac matres-familias: qui de re domestica constituendâ

ad vo.a-

ad Confeſſarium in tribunali ſedentem adferunt plurima: tum qui inutilia, ac ad illud forum non pertinentia multa accumulant: denique, qui virtutes ſuas, ſi quas habent, decantant. Hoc non eſt peccata vomere.

Iſtiuſmodi homines agere videntur, ac ſi Confeſſio non eſſet *Vomitus*, ſed *Ructus*. Magno autem diſcrimine differunt duo iſta. Nam *Vomitus* eſt humorum, aliorumque ſolidiorum, quæ in ſtomacho, aut circum illum detinentur, eiectio. *Ructus* autem, vt Celſus definit, *eſt eruptio, eiectioque flatuum è cruditate ſtomachi naſcentium: vel, vaporum per os expulſio cum ſonitu*. Qui ob cauſſam irritantem facultatem expultricem præter naturam eſt: alioqui naturâ inſurgentes, contra id, quod moleſtum & noxium eſt factum. Non dixi, *Confeſſionem* eſſe *Ructum*: (neque hanc comparationem apud antiquum aliquem ſcriptorem legere me memini) ergo non eſt expulſio leuium quarundam narrationum, negociorum, vanitatum, rerum ad iudicium internum non ſpectantium: quę tanquam vapores ſe habent ad peccata, vt humores, quæ Confeſſionis vomitu eijcienda ſunt.

Propria euomenda, confitenda. PORRO: euomuntur ea, quæ proprium grauant ventriculum: non quæ alienum. Exigit Sacramentalis Confeſſio, quilibet vt ſua peccata eiciat, aliena non moueat. Auditum-ne vobis vnquam eſt, euomere potuiſſe aliquem, quod alter habebat in ſtomacho? famulum id, quod dominum angebat? filium, quod patri in ventriculo moleſtiam exhibebat? Medicum, quo infirmus onerabatur? optandum eſſet ægris, vt dum ipſi humoribus, cruditateque oppreſſum habent ſtomachum, alter, ipſorum vice vomitionem ſuſtineret: profectò plures vomitores, quam medicos ſtipendio conducerent. Sed tale eſt officium *Vomitio*, vt multæ aliæ, quod, non niſi ab eo, qui onus circumfert, poteſt perfici. Hic plurima occurrunt, de quibus monendi eſſent auditores, ſi catechiſtam hoc loco agerem. Vnum illud breuiter inſinuo: Cuilibet propria confitenda eſſe peccata: non aliena manifeſtanda. *Oſtendite vos*, inquit Chriſtus leproſis. *Vos*, perſonas, in quibus lepra inſidet, denotat. Quilibet ſe apud iudicem accuſet, non alium. Scias tam te poſſe detractionis mortale peccatum in Confeſſione, quam alibi admittere. Quod diligenter eſt obſeruandum.

Vomitum, quæ præcedant. VOMITVM autem præcedere ſolet, morſus oris ventriculi, nauſea, anxietas, inquietudo, reſpirandi difficultas, dolor capitis, vertigo, oris amaritudo, vel ſaliuatio, oculorum obtenebratio. Hæc enim materiam in ventriculum ferri, & ſurſum tendere ſignificant, ac inſtare vomitum. Quem comitatur totius corporis conturbatio: & horror quidam naturæ. Idem in peccatorum eiectione euenit. Præcedit iuſtitiæ diuinæ, & quattuor nouiſſimorum ſeria conſideratio: hinc timor, tremor, amaritudo: gemitus, ſuſpiria, lacrymæ: oris ſiccitas in ieiunio: capitis dolor ex inſomniis. Eiectioni autem ipſi coram Sacerdote coniuncta eſt, non tam corporis quam animæ conturbatio, dicta *Contritio*, quæ corporis quoque nonnunquam præcedit, vel ſequitur. Eſt enim Confeſſio, eſſentialiter *Accuſatio*, quæ ex ſupradictis initium ſumit, & comites eoſdem habet.

Vomitus aquæ quomodo accidat. SINGVLARE eſt illud, quod notat Pariſienſis Antiſtes de Vomitione aquarum. Aquis immerſi, ac penè ſuffocati, ſi eri-

si eripiantur, totam aquam, quæ corpora ipsorum intrarat, euomere compelluntur: hoc ferè modo. Suspenduntur pedibus, capite obuerso ad terram, ore aperto, & ligno aliquo duro, ne claudere valeant ori immisso: sicque aqua ex ore sponte defluit. Hoc pacto, pedibus affectuum ad cælum obuersus, inde pendere debet pœnitens, & ore aperto, distincta, ac lucida enarratione, vitiorum ac peccatorum aquas amarissimas ore euomere: vim faciens ori suo, ne claudatur, sicut legitur Iob VII. *Non parcam ori meo Loquar in tribulatione spiritus mei.* Vt autem ita suspensus, non habet potestatem oris sui: sic confitens, Deo ac sacerdoti tradere debet in potestatem os suum, vt loquatur, quod iusserit, aut interrogauerit in Confessione conscientiæ moderator. Deus, & illius vicarius os eius aperiant, & apertum teneant, donec aquæ istæ maledictionis, & amaritudinis, de toto exiuerint.

DE *toto*, inquit Parisiensis, id est, non pars aliqua, non quid modicum: sed quidquid tandem latet: tota enim sentina exhaurienda est, si sanitatem consequi desideras. Nisi ad puluisculum omnia eieceris, perfectam incolumitatem non consequeris. Debet enim *Confessio esse integra*, de omnibus peccatis mortalibus: quorum etiam numerus exprimi debet: sicut & circumstantiæ mutantes speciem, valdeque aggrauantes, vt iudicium mutent. Sed, sunt aliqui hominum, qui, quæ volunt, euomunt, confitendo: quæ nolunt, retinent, ijs similes, qui, vt S. Augustinus memorat lib XIV. de Ciuitate cap. XXIV ex illis, quæ vorauerint incredibiliter plura ac varia, paullulum præcordiis contrectatis, tanquam de sacculo, quod placuerit, integerrimum proferunt. Et cum ventrem infarciuerint

Confessio integra.

bouina, vitellina, suilla, integris ficedulis, clunibus gallinarum, intestinis anserum, capi pectusculo, ala columbæ: si velis, vt quicquid gallinæ deuorarunt, eijciant, ceterorum nihil, id facient: si cupias videre anserinum iecur, expuent: si pulpam caponis, euoment; intactis aliis, & desidentibus. Idem de pulte hauenacea, hordeacea, placentulis expedite facturi.

HOS vocare possis *Vomitores voluntarios*, vel *libertinos*: qui vomere possunt, quod volunt, & liberum ipsis est. O quam multos tales est inuenire, cum de vomitione Sacramentali est sermo, eaque est procuranda! Aperiunt, quæ ipsis, ob deprauatum iudicium videntur: quæ minus turpia, obscæna, fœda: quę cum minori coniuncta sunt infamia: cetera supprimunt, nec verbo insinuant: si interrogantur, fortasse etiam mentiuntur. Non potest satis explicari, Dilecti, quantum hoc sit sacrilegium, & quam grauiter sibi incommodent, seque peccatorum remissione indignos faciant, qui tam improbè, ac histrionicè rem Sacro-sanctam pertractant. Nolite vosmet decipere, Animæ caræ: potius ad confessionem non accedite, edico, quam, vt vos sacrilegio contaminetis, & sponte damnationem animæ æternam incurratis. Fixum vobis sit semper, ac persuasum: quicquid latet lethalis contagionis, & mortiferi peccati, in Confessione euomere.

Vomitores voluntarij.

SVPERIORIBVS facilè coniungunt se, & ad eandem paullatim deceptionem ducuntur, qui apud vnum Confessarium *vomunt*, apud aliũ *ructant*, quod est contra fidelitatem agere, quam tamen imprimis requirit Confessio. At quinam illi? qui apud vnum quidem grauia, quæ volunt, deponunt, apud alium leuia, & momenti nullius. Apud ignotum, ac in tenebris,

Vomunt aliqui & Ructant. Confessio fidelis.

nebris, enormia: apud notum, ac clara luce, exilia. Apud extraneum, detestanda: apud domesticum, vix peccati malignitatem habentia.

PRAETER ciborum, & aquæ, est *Vomitus* bestiolarum venenosarum, ac vermium, qui interius nidulantur. Interdum enim *serpentes bibunt paruuli*, inquit Gulielmus Parisiensis. Intrant interdum per ora incautè dormientium: quorum vomitus, & eiectio medicinali artificio procuratur. Sic in aquis doctrinarum peruersarum serpentini bibuntur errores. Et in aquis voluptatum serpentes infernales: hoc est, vitia carnis: vel ipsi Dæmones. Et in multorum suggestionibus bibuntur, velut serpentes igniti, ira, inuidia, odium. Cum adulatione etiam, & laude immodica bibitur venenum, velut regulus serpentum spiritualium: nempe, superbia, ac inanis gloria. In detractionibus, siue cum detractoribus, quando audiuntur, bibitur odium fraternum, tanquam alius serpens ignitus, qui interiora penetrat. In delitijs cibi ac potus, bibuntur velut duæ sanguisugæ, gula, ac luxuria.

Serpentes in ventre.
Error Vitia Carnis.
Gula.
Luxuria.

BESTIAS istas *vomitu Confessionis* eijcere, ac diuinæ artis medicinalis, & virtus & opus est. Ista sunt reptilia quadrupedia immunda, quæ Ezechiel vidit in templo. Quæ iussus est Petrus occidere, & manducare. Heu! quot sunt peccatores, qui huiusmodi reptilibus venenosis, ac quadrupedibus immundis plenos habent cordium ventus: illorumq; sentientes in se sibilos, morsus etiam, & punctiones, ab ijs liberari non quærunt: imò cibum & pabulum illorum esse gaudent. Hac euomenda sunt. Sed non possunt euomi, quamdiu viuunt. Ea propter, vt euomantur, prius mors illorum est procuranda, ad eum modum, quo in corporibus contingit, dum vermes delitescunt.

Ezech. 8.
Act. 5.

IN paruulorum ventribus potionibus medicatis lumbrici occiduntur, vt eiciantur: sic quoque serpentes ac bufones cum in ijs reperti fuerint. *Sicut ergo absynthium, & acetum, aliaq; amara, sunt contra lumbricos, sic amaritudine tribulationum,* inquit Gulielmus, *& maximè compunctionis, ac lacrymarum, interficiuntur interius bestiæ infernales, vt deinde euomantur.* Et obserua illas interfici eo ipso dolore, quem inferunt. Compunctio ab aculeis ipsorum est, & dolor de ipsis ab ijs materialiter, & occasionaliter. Vt scorpius & serpens medicinæ sunt contra se: ex ijs enim accipiuntur, quibus nocumentum ab ijs illatum sanetur: sic ab iis venenatis accipiuntur remedia, quibus trucidantur. Deinde illas interficit sermo Dei: Sapientiæ xv. *Non herba, neque malagma sanauit eos: sed tuus sermo, Domine, qui sanat omnia. Sermo Domini est* theriaca contra omne venenum. Gladius anceps contra omnem bestiam. Hebræorum VII. *Viuus est sermo Domini, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hoc gladio transuerberantur, sicq; facillimè eijciuntur.

EVOMI autem spiritualiter venenatas bestias in Confessione, ostendit exēplum illud vulgo notū de muliere, quæ, cum incestus crimen reticuisset, visi sunt singuli bufones, quos ad singulorum aliorum peccatorum Confessionem euomuerat, os eiusdem denuò iniisse.

Vermes in Confessione euomi.
Spec. Exēp. P. 9. c. 31.

PORRO, non est facilè omnibus salutarē *Vomitionem* prouocare. Ideo magni sæpè labores sunt *Medico*, vt illam recitet. Sunt autē varia, quibus ventriculū subuerti, & vomitum induci experientia habetur: nō pauca etiam, quibus impediri, ita, vt irritus sit sæpenumero, quamuis expertissimorum, conatus. Idem in Cō-

Difficilis quibusdam Vomitio.

Latrina. *sordibus, in quibus volutaris. Vomitus moueri debet ex latrinâ, quam intra te gestas: hoc est, ex corde, quod est omni latrinæ spurcitijs innominabilibus plenius, atque fœtidius* Addit, illorum cor, qui nunquam euacuatione Sacramentali illud exonerant, non esse cum latrina comparandum. Nam *Latrinæ,* inquit, *omnes, habent, qui eas curent ac mundent; si curabiles, ac mundificabiles sint: cordium euacuatio negligitur.* Itaque, intuearis cor proprium: illud diligenti examine perscrutare: perpende peccatorum grauitatem: fœtorem illum, ac euaporationem Cælitibus ipsis intolerabilem hauri, stomachi haud dubiè euersionem hauries. Vera vomica est cor, quod si contritionis acu pupugeris: vel spina timoris Domini confixeris, copiosam in Confessione saniem enomes.

Videnti vomentem cōcitatur vomitus. ADHÆC, si quis intueatur vomentem, concitatur conspicienti *Vomitus*: sicut & oscitatio cum pandiculatione ad alterius oscitantis conspectum. *Oscitat exemplo,* canit quidam. Cur tu etiam exemplo, non vomis, cum tot videas vomentes festis diebus te meliores, quibus seria animi perpurgandi est cura. Nimirum, ad ingurgitandum te collo tenus, vel peccatis, vel poculis, vnum exemplum sufficit, ad euomendam crapulam Confessionis vomitu, non sunt satis millia millium. Agnosce stomachi desperatè laborantis vitium, quidlibet, præter salubria, tenaciter continentis.

Humorum Commotio caussat Vomitum. PRÆTEREA, cum humores acriter in corpore commouentur, *Vomitus* excitatur. Ita vectio in curru pueros, ac mulieres; nauigatio etiam in mari, prouectæ quamuis ætatis, præterquam valdè assuetos, ad vomitum compellit, continua agitatione, quâ humores commouentur. Non prætermittit cælestis *Medicus* occasionem vllam, vt ægris suis sanitas restituatur. versat suos, ac reuersat calamitatibus: exagitat infortunijs: commouet adfectus in animo, tanquam humores in corpore, ærumnarum repetitione: immittit pauperiem, famem, pestem: pellem quoque tangit interdum, atque excoriat; eo omnia fine, vt vomitū Confessionis prouocet, sed frustra sæpè sunt omnia. Quorundam tam ferrea est obstinatio, vt facilius ex pumice aquam, quam ex illis Confessionis voculam elicias. O saxea pectora!

Tumor, vlcus, pituita, vomitum creat. PRAETER hactenus recensita, tumor, vlcus, humor biliosus, ac mordicans, pituita grauans, ac relaxans, flatus distendens, dolor colicus, febres acres siue per se, siue per consensum, *Vomitus* repetiti sunt caussa. Quid est peccatum, nisi plaga tumens; malignum vlcus: miserabilis, ac pituita infernalis flatus: doloris & mater, & fœtus: febris ardentissima. Stupendum autem est hæc omnia in vnum iuncta *Confessionis Vomitum* non accelerare.

Aqua tepida vomitū ciet. CVM alia remedia deficiunt, & Medici crudo cibo stomachum exonerandum censent, aquæ tepidæ affatim illi propinant, quæ nauseam inducit, ac post illam, *Vomitum.* Nota est fabula, de simplici pecude, quæ cum ficus deuorasset, tepida illi ab astutiori oblata, & hausta, voracitatem detexit ac confessionem elicuit. Est autem tam potens hoc remedium ad vomitum concitandum, vt DEVS ipse dum humano more loquitur, hoc sibi vomitum mouere testetur. Apocalypsis III. *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed, quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Quā sententiâ significatur, tepidum sua tepiditate DEVM ad vomitum pro-

Fabula de Asino ac vulpe

Distillatio à capite Vomitum procreat.

TANDEM, efficacissima caussa ad Vomitum, est distillatio à capite in ventriculum, subuertens illum, ac laxans. Nō est, quod magis moueat cor hominis ad salutarem *Confessionis Vomitum*, quàm beneuolus gratiæ influxus: sed à Christo capite in illum, qui verè exclamare potest: *Paratum cor meum* DEVS: *paratum cor meum.* Interdum fit Vomitus iste spiritualis, & saluberrimus, scribit laudatus sæpè Gulielmus, *Deo mediante & Medicina gratia ipsius cordis, huiusmodi noxijs, & abominationibus humorum male affecto, sese infundente. Quo fit, vt homo confortatus, non obstante erubescentia freno, os cordis ad istum Vomitum dilatetur.*

Vomitus impeditur.

VERVM frequenter ille influxus gratiæ impeditur, vt effectum non sortiatur, sicut neque alia remedia. Fit *Vomitus*, cum materia febrilis fuerit in orificio stomachi, vel proprium orificium: tunc enim peruenit abominatio illius ad facultatem gustatiuam: atque idcircò distenditur os stomachi cum faucibus distensione notabili ad expulsionem illius. Cùm autem ipsum stomachum penetrauit, ac in imo residet peccans illa, ac maligna materia, impeditur *Vomitio* omninò; vel fit rara admodum. Haud dispari modo, cùm fœces vitiorum, ac criminum profundatæ fuerint per consuetudinem, aut ignorantiam, aut longitudinem temporis, *Vomitus Confessionis*, aut rarus est, aut nullus. Qui longa consuetudine confessionem neglexit, tandem eam contemnit. Date mihi aliquem, qui in profundum venerit malorum: virus euomere non curabit. Aduigilet licet Magister Scholæ, si disciplinæ sit subiectus: vrgeat Gymnasiarcha: menstruæ Confessionis tesseram exposcat Præfectus: an impetrabit? modum inueniet nequam ille iuuenis, vt Confessionis syngrapha offeratur vtrique, etiamsi ipse non euomuerit. an desunt improbis artes, & callida consilia? sed hæc ipsa sanè non ignoramus.

Vomitus difficilis ob defectum gustatiuæ.

ITEM, cùm debilitata fuerit virtus gustatiua, & ventris: ita, vt illa saporum qualitatem aduersam, ac putidam non percipiat, nec ista persentiscat, minuitur *Vomitus*, aut omninò impeditur. At quinam omnium difficillimè, ac rarissimè sordes in Confessione euomunt? Quinam? in neutro genere quærendum fuisset: quod genus animalium? respondissem monosyllabo, SVS. Hæc hominum quorundam in hac re est imago. Primò quidem illorum, qui porcinum vitæ genus sequuntur, homines immundi, turpes, carnales, qui in vitiosis affectionibus voluptuosisque volutantur, & appellari solent luxuriosi. Sic prodigus luxuriosus *pascebat porcos*, Lucæ XV. Eundem *porcum saginatum* nominat Marcus Eremita, vetustus Auctor. Et ipsum *subare* à sue deriuatum est: sicut Græcis χοιροπολεῖν, à χοῖρος, porca, libidinis actum significat. Quamobrem, vt auctor est Hieronymus libro II. in Iouinianum, Socrates vocare solebat voluptuarios, *Sues*. Et scribit Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum: dixisse quosdam: quod à carne suilla abstinuerint Iudęi, quoniam hoc animal censetur maximè sceleratum, ac exsecrandum: nam & fructus proprios, magis, quàm vllum aliud perimit. Sed aliorum est opinio, idcircò id factum, quod sit procliue ad Venerem, & animal insignitè libidinosum. Idem Alexandrinus lib. III. Pædagog. tùm V. Stromatum, ex suâ, ac Barnabę sententiâ scribit, vetiti esus carnis suillæ, caussam fuisse luxuriem ac impuritatem animalis, vt intelligerent colentes Deum, versari cum impuris hominibus, ac inhonesta

Sus à Vomitu alienus.

NOTÆ.

Isidorus Pelusiota lib. I.

Marc. lib. de salutaribus pracep.
Plaut.
Horat.
Tertull.
Varr. lib. 2. de re rust. cap. 4.

Lib. 3. pædag. cap 2.
Li. 5. strom. cap 4.

nesta Venere pollutis non debere.

In porcos mutati. HINC, qui voluptatibus immersi carnalibus, autem, animumq; blandientibus meretriculis accommodasse constabat, in porcos fuisse mutatos cantabant Poëtæ.

Hor. lib. 2. ep. in 2.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti:
Quæ si cum socijs stultus, cupidusq; bibisses,
Sub domina meretrice fuisses turpis, & excors:
Vixisses canis immundus, vel amica luto sus.

Hor. l. 1. epist. 4. Rhodig. lib. 25. cap. 26. Ob eandem caussam, Epicuri sectam, *Gregem pecorum* appellabant passim antiqui. Idemque Hippocratis filios, ὗας, *sues*, siue porcos, ob sordidos mores, ac turpem illuuiem nominabant. Quod æque fœdi essent, ac illud animal, quod ipsorũ erat imago. Fœdissimum autem censetur porcus. Vsq; adeò, vt cùm cæsâ porcâ fœdus inire solerent Romani, existimauerint quidã fœdus à fœditate porci denominatum. *Liu. Virg. Brisson.* Quamuis S. Augustinus alicubi innuat, per antiphrasim, quod res minimè fœda sit, dictum esse.

Porci quinam inter homines habendi. Lactan. lib. 4. Institut. cap. 7. Plin. lib. 4. Sympo. q. 5. Alex. Aphrodis. lib. 1. proble in 135. ELEGANTER, qui sint habendi porci, docet Lactantius, dum animal illud describit, & caussas adfert, quamobrem Hebræis prohibitus esset illius esus. *Est*, inquit, *lutulentum hoc animal, & immundum, nec vnquam cœlum aspicit* (si surrectis stare cogatur oculis, *clamosissimum licet*, *stupefactum conticescit*. Quod carnalis facit homo cum de rebus diuinis audit) *sed in terram toto & corpore, & ore proiectum, Ventri semper, & pabulo seruit. Nec vllum alium, dum viuit, præstare vsum potest, sicut cetera animantes: quæ vel sedenti vehiculum præbent: vel in cultibus agrorum iuuant: vel plaustra collo trahunt: vel onera tergo gestant: vel indumenta exuuijs præbent: vel copia lactis exuberant: vel custodiendis domibus inuigilant. Interdixit ergo ne porcinâ carne vterentur: id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur.* Ne ventri, ac voluptatibus seruientes, ad faciendam iustitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item, ne fœdis libidinibus immergerentur, sicut Sus, quæ se ingurgitat cœno. Vel ne terrenis seruirent simulachris, ac se luto inquinarent: luto enim se oblinunt, qui Deos, id est, lutum, terramque venerantur. Omnibus istis appingendus esset Porcus, non vt Antonio Anachoretæ, cuius imagini, vel statuæ apponitur, siue vt symbolum Diaboli toties superati: siue, ob tentationes carnales deuictas: siue ob varios animalium greges, quibus incolummitatem præstitit. *Molanus lib. de imag.*

Detractor, & iactator Sui. PARISIENSIS aliud hominum genus *Sue* symbolicè significari indicat, quibus æquè, ac superioribus difficilis est CONFESSIONIS VOMITVS: nempe illos; quibus est volupe sordes ore versare, & lambere: imò deglutire: &, vt ruminantia animalia, ad os reuocare masticandi causâ. Hos diabolicæ transformationis miraculo in porcos degenerasse ille autumat. Sunt autem iactatores, quibus propria sunt in ore vitia: & detractores, qui aliena versant. Illi de proprijs immunditijs se iactant, & proprijs spurcitijs delectantur, easque in ore portant. Isti aliena stercora, velut aromata, semper ruminant, ac in ore reuoluunt: nec abominantur, nec erubescunt: vt porci, qui aliena stercora masticare, vt cibum, ac delitias habent. *His*, inquit, *duobus generibus hominum*: videlicet propriarum immunditiarum, & alienarum enarratoribus, *Vomitus frequenter esse deberet: & esset, nisi fauces eorum, & guttur, ac palatum porcina immunditia corruptio inuertisset: & stercora*

stercora vertisset in aromata.

Psal. 37. 6. Putruerunt cicatrices.

HVC facit commentatio Origenis, qui homilia in psalmum XXXVII. putrefactas, ac fœtentes cicatrices interpretatur illorum peccatorum, qui sicut *Sues*, fœtorem, velut odorem suauissimum, expetunt, ac suis delectantur peccatis, suis lætantur malis. Si autem porcinum hunc deponant odoratum, ac sensum Verbi Dei percipiant, statim conuerti illos docet ad pœnitentiam & emendationem, sequirendo autem cœlestem *Medicum* proclamare: *Putruerunt, & putrefacta fætuerunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.*

Ad Vomitum redeuntes.

SED his non sunt minus abominandi, qui postquam exuomuerint, ad vomitum redeunt. Quos superioribus copulat S Petrus inquiens: *Contigit ijs illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Quod diuerbium ijs conuenit, qui post *Confessionis Vomitum* ad reiectam immunditiam, ac sordes redeunt. Similitudinis huius vim explicat: atque ad *Confessionis Vomitum* accommodat S Gregorius, dum ita scribit in Pastorali. *Canis dum vomit, profectò cibum, qui pectus deprimebat, projicit: sed cum ad* Vomitum *reuertitur, vnde leuigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profectò nequitiam, de qua male satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat,* CONFITENDO *projiciunt, quā post* CONFESSIONEM *dum repetunt, resumunt.* Eandem applicationem habet S. Ambrosius libro II. de Pœnitentia cap. IX. tractans illa verba Christi Matthæi VII. *Nolite sanctum dare canibus.* Quod exponit ipse de relapsis, ac fictè pœnitentibus. *Hos*, ait S. Augustinus in psalmum LXXX. *esse inimicos Domini & mentiri illi, quia redeunt ad ea, quæ renuntiauerunt.* Et in psalmum LXXXIII. producto vxoris Loth exemplo, vim similitudinis de Vomitu relapsis post Confessionem hunc in modum accommodat. *Premebat pectus conscientia peccatorum: accepta indulgentia, quasi vomuisti, & reuelatum est peccatum tuum, ac reuelatum pectus tuum: facta est bona conscientia ex mala conscientia. Quid rursum conuerteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?* Et in psalm. XXX. *Vide, quam horribili rei eos comparauerit? Horribilis profectò res est proprium resorbere vomitum: nec in summa quidem fame à quoquam vsurpatum.* Narrat tamen Iosephus libro secundo, de bello Iudaico, quosdam alienum vomitum sumpsisse. Quare miror elegantis ingenii homines fingere Homerum, tanquam ebrium ab ore carmina vomentem: inde verò Poëtas alios veluti vasis suis colligentes. Fœda similitudo, quę horrorem incutiat à colligentibus, vel resorbentibus vomitum. Quos Petrus Apostolus suibus comparat, quæ lotæ ad volutabrum luti reuertuntur. Sciunt nostri scrofipasci, si contingat interdum cœnosam, immundamque suam limpidiore aqua lauari, ad lutum redire etiam ac resorbere quicquid excrementitium est.

Pastor. 3. cap. 31.

Psal. 8. 16.

Concione 2.

Rhodig. lib. 21. cap. 44. ex Ælia. lib. 13. varia. cap. 22.

Sues redeunt ad impura. Sus lota in volutabro luti.

ALIA est contemplatio Parisiensis: Qui postquam docuit: Confessionem esse *Vomitum*, disputat: vt animal difficillimè ad illum moueatur? & nominat suem. Benè equidem. Cùm enim vomitum prouocet nausea, quæ ex cibi ingrati qualitate aliqua, fœtore, colore, apparatuve sordido excitatur: ab his autem non abhorreant, sed summoperè delectentur sues: quippe, cum nullus sit tam fœdus, ac abominabilis cibus, quem illæ non sorbeant, ad vomendum minimè mouentur. Quod à nobis procul esse deberet, qui si sani esse volu-

Cur porci non vomāt. Lib. de Pœnit. cap. 12.

volumus, frequenter ad vomitionis euacuationem recurrere debemus.

Post Vomitum datur electuariũ. PORRO, post *Vomitum*, qui homini moleste solet accidere, dantur à Medicis electuaria, vel hypotrimmata seu bellaria arida, aut sacchara ata: item aromata, caryophyllon, zingiber, cinnamomum, pastillus; aut quid simile: quod ingratum saporem ex cruditate, & acrore vomitus relictum corrigat, & auferat. Ego, si quem fortè ad vomitum excitaui: volui equidem illi, ac simul omnibus, non nihil è dulciarijs, quod domum secum deportent ac ore versent, vt deiecto stomacho, ac palato subueniant, postquam euomuerint, offero, spondens bona fide, quidquid insipidi in ore relictum fuerit, eius masticatione abstersum iri.
2. Cor. 13. 13 Est autem *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio S. Spiritus, quæ sit cum omnibus vobis. Amen.*

NOTAE.

DE Vomitu *medicinali legendus è recentioribus Medicis Godefridus Sthegius, lib.* VIII. Medicinæ practicæ *cap.* 44. *& li.* IX. *cap.* 23. *vbi docet, quod per* Vomitum *indicentur morbi biliosi in æstate, in iuuenibus gracilibus: pituitosi etiam in ventriculo, & eius parte superiore circa orificium collecti, in ijs, qui id laxum habent, suntq. natura ad vomitum proni: alioqui humores graues deorsum potius vergunt. Bilis etiam in partibus ventriculo vicinis, cauo iecoris, atque præcordijs facile hac via ducitur. Quemadmodum & alij humores in pronis ad eam euacuationem.*

DETESTATVR DEVS *Vomitum ex ebrietate, ad quem multi sunt faciles, qui ad vomitum Sacramentalem durissimi. Isaiæ* XXVIII. 7. Præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino: errauerunt in ebrietate: nescierunt videntem: ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ *Vers. 8.* repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita vt non esset vltra locus. *Alij vertunt:* Vomitu & stercore; *alij,* Vomitu stercoreo. *Fuit illa apud veteres, barbara, & porcina ingluuies, etiamnum apud quasdam gentes, etiam, qui Christi nomine gloriantur cernimus, vt conuiuia, & symposia non celebrent, nisi se suosq; cõuiuas inebrient: imò vomitoria, & maculas sub mensa ponant, quibus supernè, & infernè effundant vina, & cibos, quos hauserunt, vt rursus vorare & potare possint. Factitabat hoc Iulius Cæsar, teste Cicerone Orat. pro Deiotaro, & Caius Caligula, teste Philone, in legatione ad Caium: & Vitellius teste Suetonio in eius vita. Tiberius verò ita fuit vino deditus, vt à militibus, pro* Claudius Tiberius Nero, *vocaretur* Caldius Biberius Mero, *vt habet Suetonius in vita.*

Plutarchus lib. de præcept. Salub. sub finem, id vsitatum fuisse indicat istis verbis. Vulgus hominum, qui vacuationis gratia implent corpus, & vice versa, explendi gratia inuita natura euacuant, ingluuie non minus, quam inanitate torquentur: iam verò tanquam delitiarum vinculo grauantur ingluuie, inanitatem semper, vt locum voluptatibus machinantur. *Et Seneca Consl. ad Heluiam:* Vomunt, vt edant: edunt, vt vomant. Epulas, quas toto orbe conquirunt, nec conquoquere dignantur.

Dicebat S. Bernardus, gulones non aliud facere quàm ingerere, digerere egerere. Vomitores isti non digerunt, sed tantum ingerunt, & egerunt: quare tantum habent fœtoris, & tormenti in egerendo, quantum odoris, & voluptatis in ingerendo. An non rectè dixit Diogenes. Venter vitæ charybdis est. *Corn. de Lap. Isaia* XXVIII. *Ierem.* XXXVIII. 26. Allidet ma-

manum Moab in Vomitu suo, & erit in derisum etiam ipse.

ISTE est Vomitus ignominiæ. *Habachuch secundo cap. vers. 16.* Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque & consopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, & Vomitus ignominiæ super gloriam tuam. *Qui sic vomunt errant grauiter. Isa XIX. 14.* Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomēs. *Ieremia XXV. 27.* Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite. Neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam in vos.

ALLEGORICE, *ac symbolicè* Vomitus *in sacra Scriptura sumitur pro re maxime detestabili: velut pro abominatione. Isa. XXVIII 8.* Mensæ plenæ vomitu, sordiumque. *Ierem. XLVIII. 26.* Allidet manum Moab in Vomitu suo. *Leuiti XVIII. 28. Terra comparatur voraci belluæ, quoniam cadauera absumit, & tribuitur illi Vomitus.* Cauete ne & vos similiter euomat terra, cùm paria feceritis: sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos. *Vide Nicolaum Serarium Iosue 5. & Martinum Delrio Tom. I. Adag XCII. Herodotus lib. II. Singulis mensibus triduo se purgant Aegyptij vomendo, atque intestina diluendo, gratia sanitatis conseruandæ, existimantes omnes languores hominibus creari ex cibis.*

OLIM *repertus est Asclepiades nouæ sectæ in Medicina auctor, inops anteà. Sed vectigalis sui caussa, ad quæstuosam artem* Medicam *conuersus: qui cùm omnia ægris grata suppeditare propositum haberet, vomitiones etiam damnauit in arte ante illum frequentes. An non tales nostri sectarij, quibus vnum propositum, placentia tantummodo suggerere & adhibere? ideo vomitionem spiritualem confessionis damnant. Vide Plinium lib. XXVI. ca. 3. & Hieron. Mercurial. lib. II. variar. cap. 18.*

ECCLESIAST. CI XXXI. 25. Si coactus fueris (*siue grauatus*) in edendo multum, surge è medio, euome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem: *Quid est?* Surge è medio? *Graecè legitur ἀνάστα μεσοπώρων: quod Complutenses vertunt,* Surge per medium (*mensarum, & conuiuarum*) transiens. *Graeca Romana legentia per ω, & accentu in penultima μετοπώρων, vertunt,* surge in medio pomorum: *scilicet in fine mensæ, dum apponuntur poma, & bellaria. q. d. Surge non expectato fine secundæ mensæ. Alij,* Surge quasi è media cœna abiens. *Tigurina,* Quod si te cibi angant, exsurge, obambula, Vome, vt cõquiescas, nec morbum corpori tuo contrahas.

NON *suadet Vomitum,* inquit Cornelius, *quasi bonum absolutè, sed conditionatè, si scilicet nimis te cibo oppleueris, ad vitandum maius plethora, & repletionis malum. Rectè quoque* Iansenius: *Non consulit, vt ad prouocandum vomitum, quis se multum ingurgitet: quemadmodum quidam parum piè consulunt; sed, vt si aliquorũ improbitate, & violentia quis multum se grauarit, tempestiuè surgat è mensa, ne quid indecorum in mensa patiatur, aut nimia repletio diu corpus affligat, & noceat, & sic in secreto loco sine aliorum offensione crapulam euomat potius, quam diu stomachus affligatur cum periculo sequuturi morbi. Quo consilio satis indicat quantopere à crapula sit cauendum, vt pro qua curanda tam fœdo, & indigno homine, planeq; canino sit remedio vtendum. Turpius enim est caussam huius turpitudinis præbere, quàm turpitudinem hanc ob magni mali euitationem in se admittere. Proinde & satis subindicatur, quod grauiter peccent, qui postquam se grauatos sentiunt, surgentes è mensa crapulam euomunt, vt mox rursum mensam accedentes, nouo se cibo, potuq; ingurgitare valeant.*

PORRO *quod ad sanitatis procurationem spectat, idem, quod Ecclesiasticus, suadet Hippocrates,*

crates, Galenus, ceterique Medici. Ex recentioribus, Franciscus Vallesius lib. de sacra Philosophia, ca. 73. *Si quando*, inquit, *coactus sis, vt fit in conuiuijs (tametsi id vir temperans & fortis, quique rustico pudore non laboret, pati non debet) in edendo multum consultissimum est, multitudinem cibi primùm deponere: deinde dormitū ire, vt concoquatur reliquum: posteà excercere, vt extrudantur excremēta. Optima autē ratio ventriculi euacuandi in Vomitione est: secūda ab hac in deiectione: Vomitio enim eijcit ex ipso ventriculi ore, antequā descenderint cibi, succurritq; citissimè, & maximè, sine aliarum partium noxa: deiectio ex intestinis, quæ iam descenderunt.*

VTENDVM *ergo, si modò facere id homo possit, vomitione statim. Si autem quispiam eorum sit, qui vomunt difficillimè, vtendum aliquantò post alui subductione, tum scilicet, cum tormina, aut distensionem inferioris ventris cœperit sentire. Optimè igitur, ac secūdum Hippocratis, & Galeni præcepta (vt libro 7. Methodi licet videre) præcepit Ecclesiasticus:* Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio (*his verbis significat statim id esse faciendum antequam cibi copia noxæ aliquid adferat*) & Vome, & refrigerabit te (*hoc est, sublevabit te*) & non adduces corpori tuo infirmitatem.

QVATTVOR *autem remedia nimiæ repletionis ijs verbis Siracides suggerit.* Primū, *surgere.* Secundum, *ambulare.* Tertium, *Vomere.* Quartum, *corpus exercere. Videre enim licet quosdam ita mensæ ac cyathis affixos, vt mouere se loco, & surgere nequeant: vel vbi surrexerint statim recidant, huc illuc ruant & impingant, ita, vt omnibus sint ludibrio. Alij plenè saginati, quasi sacci pleni aut trunci, & stipites à mensa auferantur, & transportentur.* De quibus Cicero lib. 2. de Finibus. *Asoti, qui in mensam vomunt, & qui de conuiuijs auferuntur, crudiq; postridie se rursus ingurgitant: qui Solem, vt aiunt, nec occidentem vnquam vident, nec orientem: qui consumptis patrimonijs egent.*

PORRO, *quando Vomitus sit honestus, quando indecens, & inhonestus, disserit* Plutarchus *libro de Sanitate. Idem in Symposiacis, docens, in conuiuio philosophandum, suadet Vomitum ei, qui peritè vult dicere, siquidem vinum caput tentarit. Sic autem Agurem à Salomone vocari* Filium Vomentis. *Prouerbiorum* 30. 1. *eo, quod ex Vomitu leuato, serenatoq; capite ad dicendum prosilierit, suspicari licet.*

CELSVS Medicus *lib. 1. cap. 3. ex Asclepiade: Vomitus,* inquit, *vtilior est hyeme, quā æstate. Nam tum & pituita plus, & capitis grauitas maior subest. Inutilis est gracilibus, & imbecillibus stomacho. Vtilis est plenis, & biliosis omnibus, si vel nimium se repleuerunt, vel parum concoxerunt. Itaque ibi amari ructus cum dolore, & grauitate præcordiorum sunt, ad hoc remedium confugiendum est.*

AD Medicinam *spiritualem spectat* tropologia Rabini. *Si multa peccata commisisti, eaq; in stomacho mentis congessisti, euome ea per Confessionem: itaq; conscientiam alleuiabis, & sanabis.*

ORIGENES homil. 2. in Psal. 37. *Vide quid nos edocet Scriptura diuina: quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortaßis enim sicut hi, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut phlegmatis humorem, stomacho grauiter, & molestè innitentem, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerūt, si quidem & occultant, & retinēt intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocātur à phlegmate, aut humore peccati. Si autem peccator ipse sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & suum peccatum confitetur, simul euomit delictum, & omnē morbi caussam digerit.*

MYSTICVM *est, quod habet* Palacius, *referens Vomitionem ad diuites quibus optimum datur consilium, vt, si multum diuitiarum deuorauerint, illud in pauperes euomant. Ita & diui-*

diuitis anima, inquit, *à scrupulis quiescet, & pœnas auaris irrogandas euadet.*

PROVERBIORVM XXX. I. Verba congregantis, Filij Vomētis.] *Quid est esse Filij* Vomentis? PRIMO, *Hugo Cardin. putat Salomonem seipsum cum parente Dauid cōponere: ita, vt dicat, se collectorē morū esse, qui adscitas hinc inde sententias congerit, patrem verò suum* Vomentem *dici posse, qui pleno ore, ac gutture prophetias reddere videatur.*

SECVNDO, *Idem*, Filius Vomentis *interpretatur, filius* Bethsabee. *Nam Bethsabea, idem est, quod* domus, *aut* filia satietatis, *iuxta Hieronymum de nominibus Hebraicis, vt perinde sit* Filius Vomentis, *quod* Filius exsatiatæ, *vel* saturæ. *Sed quorsum se dicit filiū saturæ matris? siue saturū ex matre saturâ? An quia significare volebat, quod voluptatibus, ac delitijs ad nauseā vsq; exsatiatus esset. q. d. Nō sine omine, mater filia societatis vel satura, dicta est, quia filiū editura erat voluptatib. & delitijs saturū; ex saturitate tandē fastidientē, nauseantē, vomentē. Quā explanationē coactā vocat Salazarius, & contra textū Hebraicū.*

TERTIO, *iterū Hugo Cardinalis sic exponit:* Filius Vomentis, *id est, filius Dauid qui saliuæ quodā indecoro vomitu stultitiā, & insaniā simulauit corā Achis Rege Geth. Neq; id abit à cōtextus serie. nam statim stultitiā suam fatetur initio capitis cùm ait: Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecū, q d Homo sum verè stultus, ex patre stultitiam simulante. Nam simulatio illius stultitiæ meæ veræ, & non simulatæ omen fuit. Verùm hoc siue ad Dauid, siue ad Bethsabee spectans, ex ignoratione sermonis Hebraici profectum existimat Salazarius.*

1. Reg. 27.

QVARTO *igitur, nota est phrasis sacræ Scripturæ, quā* filius *varijs rebus adiungitur augendæ significationis gratia. Sic* filius mortis, *dicitur*, reus mortis: *Sponsus vocatur* filius nuptiarum: *valdè iniquus appellatur* filius iniquitatis. *Itaque iuxta hunc loquendi modum,* Filius Vomentis, *vel vomitus, appellatur vir abundans vomitu; aut, vt obseruat Caietanus, vir, cui perseuerat adhuc vomitus: id est, qui cœptum sistere, aut inhibere non potest vomitum. Quæ significatio ad Salomonis prophetiā accōmodata hunc sensum secundum cuiusdam considerationem facit: vt per similitudinē vomitus inducetur Parabolas Salomonis non ita esse connexas, & in seriem aliquam redactas, sed permixtas omnino, ac solutas; vtpote, quas Salomon veluti ex vomitu quodā effuderit. Sicut enim vomens cibos permistos, & indiscretos reddit: sic Salomon veluti ex vomitu quodā effuderit, ac proflarit sententias Prouerbiorum sine ordine. Sed nonne hæc ipsa interpretatio, haud elaborata & decocta, sed quasi ex vomitione reddita videtur?*

QVINTO, *posset aliquis similitudinem vomitus ad ipsius Prophetæ seueritatem referre: vtpote, quæ sit inuectiua, & Satyrica. Notus est ille dicendi modus:* Euomere aliquid in aliquem. *Cic. 5 Philip* In me absentem orationē euomuit. *Terent. in Adelph.* Ibo & requirā fratrē, vt in eum hæc euomam. *Ergo Salomon iuxta hūc sensum appellari posset in libro Prouerbiorum* Filius Vomentis, *quia in eius sententijs plerisq; carpit seuerius vitia, & in vitiosos inuehitur ita, vt multa in illos stomachabundus euomuisse videatur.*

SEXTO, *Cœlius Rhodiginus lib. 21. ca. 8. Vomentes appellari solitos scribit, qui ex tempore, nec præparata, aut præmeditata loquuntur. Pro quo citat illud Aristidis, qui ab Imperatore quæsitus, vt aliquid, ipso audiēte diceret, subiecit:* Hodie proponas, cras verò audias, οὐ γάρ ἐσμεν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων: Non sumus quidem ex Vomentibus, sed ex accuratè dicentibus: *hoc est, non sumus ex his, qui ex tempore imparati dicunt ad rem. Prophetæ quidem non à se præmeditata, & comparata, sed à Deo ipso instillata, & infusa ex tempore dicebant. Itaque Salomon, vt significaret, se non suas, ex antiqua præmeditatione sententias dicere, sed ex tempore,*

re, diuino afflatum spiritu eloqui, dicere potuit, Verba congregantis, Filij Vomentis: *id est, ex temporaria, repentina, & diuini Spiritus perculsu dicta: non ex studio, ac præmeditatione coacta, & collecta promentis.*

SEPTIMÒ, *Adhiberi potuit similitudo Vomitus, ad quandam spiritus Prophetici redundantem plenitudinem significandam. Sicut enim homo pleno, & emoto stomacho vomitionē sistere, aut inhibere non potest, donec exhausto ventriculo, conquiescat. Sic Salomon Prophetico plenus spiritu Vomenti si similem esse dicit, quia ea, quæ Diuino afflatus spiritu exceperat, etiam inde euomere cœperat, nec cohibere se volebat, sed adhuc effundere cogebatur.*

EODEM *sensu in psalmo 44. quem plerique Salomoni tribuunt, vsus est verbo eructandi.* Eructauit cor meū verbum bonum, *at sæpè aliàs: quod perinde est, ac si dicat: Verbū bonum animo cōceptum supprimere nō possum: sed veluti cibus indecoctus in stomacho ructus ciet, & odore suo ipse se prodit: sic etiam ea, quæ à Diuino hausi spiritu opprimi se, atq; celari non permittūt, sed pro ructibus verba mouent, atque inuitum fari cogunt.*

OCTAVÒ, *Hoc sensu fortasse dixit Salomon,* Verba congregantis, filij Vomentis: *Verba eius, qui multas sibi opes, delitias, & voluptates accumulauit. Sic enim ipse ait Ecclesi. 2.* Coaceruaui mihi argentū & aurum, & substantias Regum & prouinciarum. *Adiungit alia, quibus nullum delitiarum genus à se prætermissum fuisse testatur.* Et omnia, quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. *Sed tamen postea damna plurima expertus, vbi resipiscere cœpi, opum, atq; voluptatum tantum fastidium me cepit, vt nauseabundus illas euomere cœperim. Ita ipsemet subdit:* Idcircò tæduit me vitæ meæ.

HVNC *sensum confirmat illud Iobi 20. 12.* Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud in lingua sua: parcet illi, & non derelinquet, & celabit in gutture suo. *Sed quid inde?* Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: *hoc est, quicquid opum & delitiarum auidè ligurierit, tandem arescet, atq; in fella amarissima abibit, ac sic demum,* Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus.

NON *aliter Salomoni opes & delitiæ initio prædulces visa sunt; at postea his in amaritudinem conuersis, per summum fastidium, & nauseam ingenti dolore, ac pœnitudine animi easdem euomere, & anteacta vita mollitiē retractare, ac deplorare cœpit. Accidit autem illi iuxta suum ipsius proloquium Prouerb. 25. 16.* Mel inuenisti, comede, quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. *Siquidem hoc præceptum trāsgressus delitiarum mel ad satietatem vsq; sumpsit: ac demum illud ex nausea, ingēti labore, & animi dolore euomuit.*

S. NAZIANZENVS *orat. 9. contra Iulianum, obseruat Vomitū tepenti aqua, aut cieri, aut iuuari, & hac vim lacrymis tribuit. Suadet autem ne iniustè opes cum alienis lacrymis exsorbeamus: nam citius emoto stomacho & lacrymis Vomitum cientibus has effundere cogemur. An non ita concipi potest, Deum, Salomonem ex fastidio, & tædio delitiarum ad Vomitum adducere volentem, eidem ad extremum non alienas, sed proprias pœnitentiæ lacrymas immisisse, vt hæ, tepentis adinstar aquæ Vomitionem iuuarent? Sic ratiocinantur, qui Salomonem tandem aliquando pœnituisse, & ex pœnitentia delitijs vltimum vale dixisse existimant. Itaque eius pronunciatum fuit.* Verba congregantis, filij Vomentis: *hoc est, verba hominis congestas, cumulatasq; iam diu diuitias, atque degustatas iam olim delitias per nauseam respuentis.*

NONO, *Effatum illud,* Verba congregantis, filij Vomentis, *hanc explicationem patitur: Sermones eius, qui multam sapientiā, par-*

partim à Deo ipso haustam partim vsu, & rerum periculo partam congessit; sed tandem, quicquid ea ratione hauserat, & expresserat, liceat sic dicere, per Vomitum effudit, inexpiabile idololatriæ piaculum committens. Ita Hebraizantium non pauci. Et sanè satis aptè vir Sapiens, atque diuinarum rerum cognitione preditus, cùm peccatum aliquod grauius perpetrat, suam ipsius sapientiam, & partam iam notitiam euomere dicitur.

Vomitus *enim his accidit, qui adesas epulas nec decoquunt, nec secernunt, nec digerunt. Ergo hi, qui haustam rerum diuinarum cognitionem decoquere, digerere, & in mores suos transferre non possunt, ipsam demum per nauseam euomentes grauioribus sceleribus se contaminant. Quos contrario quodam sensu serpentibus similes esse asserit Cæsarius Arelatensis Oratione de pœnitentia.* Serpens, *ait ille,* virus euomit, vt salubres aquas ebibat. Hi autem salubres sapientiæ ac doctrinę escas reuomunt, vt peccati virus exhauriant, iuxta illud: Omnis peccans ignorans.

Decimò. *Sunt qui Vomitum Salomonis ad pœnitentiam referunt hoc intellectu.* Verba congregantis: *nempe Salomonis, olim quidem dispèrdentis ac dissipantis, sed iam nũc congregantis & deperdita colligentis. Vt congregans dicatur, quia perditam salutem, & gratiam recuperare, & quæ prodigè prius dispersèrat congregare, & colligere iam tunc meliora sapiens studiosè curabat. Quo alluditur ad illud Christi Lucæ* II.XXIII. Qui non colligit mecum dispergit. *Iam verò,* Filij vomentis, *subintellige peccatum suum. Nam qui peccatum suum per pœnitudinem eluit, ipsum quodammodo euomere dicitur.*

Hinc S. Petrus, eum, qui deplorata iam olim scelera repetit, Canem *appellat,* ad vomitum *identidem* redeuntem. *Est ergo pœnitentia quædam culpæ vomitio.* Et sicut stomachus ex vomitu crudi alimenti, aut concepti, vel acidi humoris (*Verba sunt Chrysostomi, libro de pœnitentia*) deposita nausea conquiescit; sic animus, & conscientia, post vomitum peccatorum benè se haber, & salutaria alimenta deinceps appetit. *Potuit igitur Salomon* Vomens *dici, quia postquam admissa peccata euomuit, iam inde, velut sedato stomacho conquieuerat, & interruptas prophetias, aut bonos mores, velut escas salubres iterum appetere cœperat. vel, expleto vomitu, conscientiâ videlicet, ex pœnitentia, & retractatione sceleris considente, quietem consequutus erat.*

Non malè Pacianus nauigantium nauseã, vnde vomitus oritur, ad pœnitentiam scelerum conuertit in Parænesi de pœnitentia. Eos enim, qui post diuturnam probitatem, & benè actam vitam, flagitiosa vita sese commiserunt, his similes dicit, qui ex portu in altum soluerunt. Nam sicut hi initio nauseam, & fastidium experiuntur: sed si vlterius progrediantur, & portum non repetant, deposita nausea benè se habent. Ad eundem modum, qui è vita honesta, velut è portu, in flagitiosam ruunt; initio quidem ad fluctuantis conscientiæ leuiores motus nauseant; & eos cuiuslibet admissi criminis fastidium capit. Quod si ne tunc quidem ad probos mores, & frugi vitam remeent, breui interuallo, fastidium deponunt, abijciunt nauseam, & validissimas conscientiæ succussiones & mutationes non sentiunt.

Ex quibus constat Pœnitentiam cum Vomitu *aptissimè componi. Ac meritò* filium vomentis, *id est,* vomentem, *ac nauseantem Salomonem pœnitentem appellari, qui videlicet, perpetrato idololatriæ scelere, ad primos fluctuantis conscientiæ motus, nauseabundus, ac vomens antiquam probitatem repetiuit.* Quirinus Salazar Prouerbiorum XXX.I.

Vndecimò. *An fortasse idem est* Filius vomentis, *seu* vomitus, *id est,* vir vomens, *quod vir satur, & affatim epulis expletus? Nã ferè problemata, qualia sunt Prouerbia Salo-*

monu sub epulis proponi consueuerunt. Vomens autem pro saturo non ineptè sumitur.

Duodecimò. *Moris erat in conuiuio, vt is, qui copiosè, eleganter, & acutè fari volebat, è conuiuio surgeret, & adesas epulas, haustumq; vinum euomeret, vt mens liberior, ac paratior ad dicendum esset: vt colligitur ex Plutarcho in Sympos. & Prouerbior. XXIII. VIII. Ergo fortasse iuxta hunc morem Salomon, in Prouerbiorum libro, in quo tanquam in conuiuio sapientia Agur loquentem inducit, propterea illum* filium vomentis, id est, vomentem *appellat, quia ex vomitu, leuato capite, & expeditis sensibus ad dicendum prosilierat. Hoc maximè probat* Salazar.

Tertiodecimò. *An fortasse perinde est,* Verba congregantis, filij vomentis, *quòd verba eius, qui, ceu dolium aliquod, illato diuinioris spiritus musto, feruet, & exestuat, atq; ex feruore æstuq; conceptas animo sententias, dolij etiam in morem eructat, & euomit? quasi id euomat, quod Deo ingerente, hausit, comedit, deuorauit.*

Quattodecimò. LXX. *Interpretes ita legunt:* Mea verba fili timeto, & suscipiens ea pœnitentiam age: *hoc est cum ad verba mea intenderis metus animum addringat tuũ. Atq; his vomitum tuorum peccatorum moue, & ante acta vita scelera his adiutus extrude. quasi dicat: Verba mea perinde suscipe, ac cathartica quadam medicamenta, peccatorum omnium vomitum procliuem efficientia.*

§. PROVERBIORVM. XXIII. 8. *docens Salomon apud hominem liuidum non esse cœnandum, peculiare aliquid habet de Vomitu:* Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos. *Sẽsus est. Primò, vt peritè, & copiosè dicas, cibos per vomitum extrudes. Sed nihilominus sermones tuos pulchros, & elegantes perditũ ibis, quia vix ille liuidus ex inuidentia quicquam probabit, nihil laudabit, sed omnia potius extenuabit, cõtẽnet, arguet. Vel, quod eodem tendit: cum homine inuido conuescens id obtinebis, vt ad crapulam adductus, si quid sub epulis seriò disceptandum fuerit, ad mentem comparãdam & sensus acuendos, necesse sit adesos cibos, vinumq; exhaustũ euomere. Si autẽ postea sanus, post vomitũ quidpiam dixeris, illo per inuidentiam summam id perperam interpretante, omnia perdes: atq; adeò ex hoc conuiuio voluptatis nihil, dedecoris autem, & molestiæ plurimum referes.*

Secundò *Hominis inuidi ac veteratoris ad conuiuium te inuitantis astus ac malitia in eo consistit, vt cum plurima fercula, & vini etiam plurimum intulerit, conuiuas suos cibi, ac vini intemperantia ad crapulam adducere volens, adeò vt vomere cogantur, exponat ludibrio. Vnde contingat, vt ex crapula mente emoti nihil serium inter epulas, aut sub epulis dicere queãt: & sic cunctos se ridendos offerant.* Comede & bibe, dicet tibi: *hoc est, seriò admodũ suadebit, vt tibi atque vini plurimum sumas: vel propinans ad bibendũ te lacesset, bellariaq; submittens ad comedendum vrgebit, iuxta propinationis leges: id autem non ex gratia, aut beneuolentia faciet, nam* mens eius non est tecum; *sed, vt tibi per vini, atque ciborum intẽperantiam mentem, & sensum eripiat, ac, si fieri potest, cunctis deridendum propinet.*

Duo autem ex istiusmodi conuiuio referes: Cibos quos comederis, euomes, & perdes pulchros sermones tuos: *id est, ob intẽperantiam vomere necesse erit; & ob crapulam, sermones pulchros, hoc est, problemata, & gryphos, quos alioqui sanus, & tui compos, inter epulas sereres, prorsus amittes: aut si fortè aliquid eiusmodi dixeris, id certè illepidè, & insulse dices, atque ideò illud perdes.*

Tertiò. *Quidam in illa sententia hyperbolem agnoscunt, vt cum dicitur,* Cibos, quos comederas, euomes *sensus sit. Cùm ex conuiuio inuidi hominis discesseris, comestos cibos, ex displicentia videlicet quadam euomere velles: & si quid etiam inter epulas in gratiam ipsius, qui te inuitauit, dixisti, id certè iã tunc indictũ malles.*

malles. Itaq; verba illa euomes, ac perdes, seu destrues, sic accipienda sunt, quasi euomere, perdere, aut destruere velles. Ita Rodolphus & Iansenius in commentario Prouerbiorum.

Quartò. *Similis superiori explicatio est Salazarij. Duo ex conuiuio inuidi hominis molesta satis incommoda tibi euenient. Vnum, vt ex tædio sumptos cibos per vomitum reddas, id est, reddidisse te cupias: vel potius non accepisse. Alterum verò vt problemata tua, & ænigmata, inter epulas commista, ac dictata prorsus deperdas, ac si fieri posset, indicta velles.*

Quintò. *Franciscus Vatablus Salomonem eò spectasse dicit vt doceat ab homine inuido, malitioso, simulque auaro, ac sordido, epulas tibi adeò sordidas, immundas & inconditas exhibendas, vt nauseam, ac vomitum conuiuis cieant: itaque cibos præ tædio, ac nausea euomes: &* perdes pulchros sermones tuos: *id est, si quid probè dixeris inter cœnandum, id certè perdes. Quonam modo? quia quemadmodũ, tu ex tædio ciborum, epulas tibi appositas nauseabundus tandem euomes, ita etiam inuidus ille, qui te inuitauit, ad ea omnia, quæ tu pulchrè dixeris, nauseabit, & per summam inuidentiam omnium se tædere significabit.*

Sextò. *Sunt qui ijs verbis consilium contineri putant, & agi de homine alienæ felicitatis inuido æmulatore, qui inuitet, ac cibos offerat, in quibus aliqua veneni, aut toxici suspicio subesse potest: itaque suadere Sapientẽ,* cibos, *quos decoraſti, venenum in ijs suspicatus, actutum per vomitum redde, ne tibi fortè mortem adferant.* Et perde pulchros sermones tuos, *id est, libenter eorum iacturam sustine. Nam si quid dixeris, vel ad gratiam referendam, vel ad conuiuij laudem spectans, ille maleuolus, aut inuidus homo, quasi non ex animo dictum, ipse quidem ex animo repudiat: atq; adeò totum hoc perditum puta, & perditionem hanc boni consule.*

Septimò. *Caietanus vomitum ad sensum metaphoricum refert, quasi dicat Sapiens: Tanta est inuidi illius hominis malignitas, vt perinde, ac si quis hominem, qui cibos suos iucunde sumpserat, ad vomitum compellat; vel eum, qui pulchros sermones serit, ad eos indecorè refellendos, & palinodiam recantandam cogat; sic ipse omnia dicta, ac facta proximorum in molestiam, aut dedecus eorundem abire faciat.*

§. Sus lota in volutabro, & Canis reuersus ad vomitũ.] *De hac parœmia accuratè Lorinus, II. Petri II. 22. & Cornelius de Lap. Luxuriosi ferè Porcis comparantur. Quibus adeò delectatur Dæmon, vt in forma porci nõ semel cõparuerit: petieritq; à Christo potestatẽ ingrediendi in porcos. Matth VIII. III. Lege Chrysost. hom. XIII. in Genes vbi reprehendit Euam, quod porco Diabolo communicauerit diuini præcepti margaritam, sibi & à marito, & à Deo communicatam. Luxuriosis, vt porcis, anima videtur data tantum pro sale. Lege Pliniũ l. VIII. ca. 51. ibiq; Dalecampium, qui varias caussas colligit, cur esus porcinæ fuerit Iudæis vetitus. Quod sus sit animal anthropophagum: humo rostris effossa saxa obruat, ne ab auibus deuorentur: graues morbos esus suilla gignat. Lunæ Soliq; inuisum crediderit Aegyptus, obscœnissimus sit illius victus.*

CANES *quoq; impura ac impudenti lasciuia sunt Vnde natum illud,* Masculi canis infinita cubilia. *S. August. l. II. de serm. Domini in monte. Per* Canes *intelligit homines animales, non percipientes ea, quæ sunt spiritus Dei. I. Corin. II. 14. In S. Script. accipiuntur canes pro quibuslibet improbis, veritatis persecutoribus, malè operantibus Psal. XXI. 17. 21. Philippens. III. 2. Apoca vlt. 15. Conuenit nomen hæreticis, ob vomitum, & resorbitionem, & vniuersè, redeuntibus post Confessionem ad antiqua. Non vomuisse satis fuit nec inchoasse. Perseuerantia coronatur & hæc sola. Ne exemplo eorum, qui naufragio liberati, cum repudium mari, nauiq; dixerint vbi resederint fluctus tumorq; obliti votorum, pericula repetunt, redeamus ad vetera:* Canes ad Vomitum.

In ali-

In aliquibus est vomitus *salubrium, malorum autem succorum pertinax retentio. Quemadmodum enim cum corrupta est atque peruersa vis appetitiua siue gustabilis corporis fit in ea appetitus contra legem, & ordinationem naturæ: & contra salutem ipsius corporis: oriturque fastidium, & abominatio salubrium ciborum: ac appetuntur cineres, carbones, ac spurcitia non nominanda.*

Hinc morbus, qui à Medicis Malacia *vocatur, vel Pica: estque illa absurda in grauida potissimum appetentia. Plinius, mollitiem pragnantium nominat.* XIII. 1. *pica, ab auis versicolore, varietate, aut inconstantia: quod nunc hoc, nunc illud appetant pragnantes, & absurdissima ferè edulia.*

Sic corrupta virtute spirituali appetitiua, siue gustabili, fit fastidium, abominatio, vomitus salubrium, ac delectabilium ciborum spiritualium, appetunturque fœdiora, quam sint cineres, carbones, & sordes corporis. Et hoc est, quod legitur Numeror XXI. Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. *Cum tamen esset* Panis omne delectamentum, & omnem suauitatem saporis habens. *Sapientia* XVI. *Fit etiam appetitus contra legem & ordinationem gratia, contra salutem animarum ex ista peruersitate, errore, & corruptione Sic legitur Isaia* II. Erit pro suaui odore fœtor. *Iob.* VI. Quę prius tangere nolebat anima mea: nunc præ angustia cibi mei sunt. *Prouerb.* XVIII. Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. *Iob.* XXX. Mandebant herbas & arborum cortices: & radix iuniperorum erat cibus eorum. *Vide quæ dicta Comm.* X. *& Notis eiusdem.*

COMMENTATIO XVI.

DE

Satisfactionis vi Medica.

In quâ demonstratur omnes partes Pœnitentiæ Sacramentalis obtinere vim Medicam. Nominatim verò Satisfactionem Quæ continet tria potissimum operum bonorum genera, Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam. Satisfactio autem est Medicamentum non tantum Præseruatiuum: sed & Curatiuum. Quocirca respondere debet morbo, ac vulneri. Est etiam, Purgatiuum, Extersiuum, Cicatricem ducens, Exulcerans. Ab Adamo vsurpatum.

Dominica IV. Aduentus.

Venit Ioannes *in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Lucæ. III. 3.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Lucæ. XVII. 14.
Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Matth. III. 2.

NIHIL

NIHIL est in Sacramento Pœnitentiæ, quod non sit Medicinale, nulla eius pars, quæ remedii salutaris nomen, effectúmque non habet. Quum enim tribus omninò constet partibus materialibus, Confessione peccatorum, Dolore interno, seu Contritione, vel Attritione, ac Satisfactione, tum formali, quæ est Absolutio sacerdotis; omnes præter Satisfactionem vi Medica præditas esse satis constat ex hactenus disputatis. Eandem Satisfactioni inesse etiam facilè demonstrabimus, si antiquissimorum Patrum insistamus vestigiis, & sensa sequamur. Inter quos S. Leo Epist xc. ad Theodorum, *Mediator*, inquit, *DEI & hominum, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt, & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem* SALVBRI Satisfactione *purgatos, ad Communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Et S. Cyprianus acriter inuehens in eos, qui ad Martyrum preces remitti petebant peccata, antequam satisfecissent: *Contra Euangelij vigorem*, inquit, *contra Domini, ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura, non quærunt sanctitatis patientiam, nec veram de* Satisfactione MEDICINAM.

Notæ.

S. Cyprian. serm. de lapsis. lib. 4. epist. 2.

NOTAT vir doctus, quod Nouatiani olim, admisso peccato, laboriosa opera, quæ satisfactoria vocamus, admittebant, & præscribebant, sine spe tamen absolutionis, aut sanitatis recuperandæ. Lutherani contra absolutionem, perfectamque animæ sanitatem spondebant sine castigatione, siue vindicta, & operibus satisfactorijs. Quare sicut S. Cyprianus de Nouatianis pulchrè dixit: illos subtraxisse de satisfactione *Medicinam*, videlicet, non voluisse satisfactionem esse *Medicinalem*. Ita è contrario dicere possumus de Lutheranis, eos subtrahere de *Medicina*, videlicet Sacramento pœnitentiæ Satisfactionem. Sed rectè Nazianzenus, Oratione in sancta Lumina. *Aequale est malum, & dimissio absque castigatione, & castigatio sine venia, quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc verò nimium restringit.* Qua vna sententia iugulantur Nouatiani & Lutherani, inquit Cardinalis Bellarminus.

QVAMVIS autem actiones omnes piaque opera, quibus Deo grauissimè offensum satisfacere conamur, virtutem quandam Medicandi habeant, est tamen multò efficacior illa, quę à Sacerdote, vt cælestis *Medici* Vicario imponitur, magnoque animi adfectu adsumitur. *Afflictio pœnitentiæ*, inquit S. Gregorius Lib III. in 1. Reg. Cap 7. *ad delenda peccata idonea est, cum sacerdotis iudicio fuerit imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* Conuenientissimum autem fuisse, vt in Sacramento Pœnitētiæ DEVS vellet per ministros satisfactiones Medicinales imponi, quæ in Baptismo, in quo etiam peccata remittuntur, non solent exigi, ex discrimine horum Sacramentorum sumitur. Nam Baptismus, cum sit Lauacrum regenerationis, non requirit vt is, qui regeneratur, in ea re multum laboret. At Pœnitentia, quoniam *Medicamentum est animæ vulneratæ*, ac ægrotantis, id planè exigit, vt qui curatur, Medicinales vstiones, incisiones, Pharmaca amara, aliaque id genus multa sustineat. Monet autem grauiter Sacerdotes omnes Concilium Tridenti-

Lib 4. de Pœn. c. 9.

num sess. XIV. Cap. 8. Habeant præ oculis vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantum *ad noua vitæ custodiam, & infirmitatis* Medicamentum, *sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.*

Satisfactio tanta quãtum morbus.

QVASI dicat, satisfactionem esse debere *Medicamentum*, non tantum *Præseruatiuum* morborum in quos posset incidere, verum etiam *Curatiuum* præcedentium per modum vstionis, atque incisionis, nam eo ipso, quo est vindicta & castigatio præteritorum, est etiam *Medicamentum.* Si nimirũ seruetur Regula Ambrosij ad Virginem lapsam cap. 8. *Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis necessaria sunt Medicamina:* Sed quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia? quæ aut æquet crimina, aut certè excedat. *Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Grandi plaga alta & prolixa opus est Medicina:* grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem: similia planè præscribit S. Cyprianus de lapsis. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa Medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit.* Lactant. lib. VI. de vero cultu. cap. 13. agens de Satisfactione: *Circumspice*, ait, *conscientiam tuam, & quantum potes medere vulneribus.* DEVS *purgari homines à peccatis maximè cupit, ideoque agere pœnitentiam iubet* Et M. Basilius in Orat. *Attende tibi. Attende tibi*, inquit, *vt pro delicti proportione, hinc quoque mutuceris, ex admota tibi* Medela *valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & graue peccatum? Multa habes opus confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, in diuulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exæquetur pœnitentia.*

Medicina Orat. Ieiun. Eleem.

PORRO cum opera omnia satisfactoria ad tria præcipuè capita reuocentur, *Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam,* Constat hæc esse generalia quædam morborum omnium spiritualium medicamina, vt de singulis fusè à nobis probatum, vniuersè autem ita demonstratur. Morbi omnes animorum, qui sunt vitia, ac peccata, reducuntur ad tria illa à D. Ioanne recensita 1. Ioann. 2. Concupiscentiam carnis, Concupiscentiam oculorum, & Superbiam vitæ. Ieiunium autem & quę ad ieiunium spectant, atque corpus affligunt, vt cilicia, cineres, flagellationes, humi cubationes, carnis concupiscentiæ medentur, quæ dum, instar febris, inflammat, ieiunio extinguuntur. S. Leo serm. 1. de Ieiunio septimi mensis, *Oratione propitiatio* DEI *quæritur: Ieiunio concupiscentia carnis extinguitur: Eleemosynis peccata redimuntur.* Eleemosyna, & quæ repugnant Auaritiæ, aut certè in proximi vtilitatem cedunt, vt opera omnia Misericordiæ efficacissima sunt, contra oculorum concupiscentiam, id est, Auaritiam remedia. Oratio, quæque illi adnexa sunt, ac Deo propriè exhibentur, vt laudes, gratiarum actiones, contritionisque actus varij, proprium sunt Medicamentum cõtra vitæ superbiam. Quocirca satisfactio vniuersale est contra morbos, & vulnera omnia animæ remedium medicinale.

Theol. cõmuniter & Trid. sess. 14. can. 13.

NOTÆ.

Fructus Pœnitentiæ medicinales.

Eadem autem satisfactio fructibus illis pœnitentiæ continetur, de quibus Ioannes Bapt. Lucæ III. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quos Medicinales esse, iisque vitiorum plagas curari docet eleganter Chrysostomus Homil. x. in Matthæ. Exponens illam præcursoris sententiam. *Facite fructus dignos Pœnitentiæ. Quo autem modo*, inquit, *fructificare poterimus? si vtique peccatis aduersa faciamus.* V. C. *Aliena rapuisti? incipe donare iam*

propria

propria: Longo tempore fornicatus, à legitimo quoque vsu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare: iniuriam, vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te, nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato sufficiet ad salutem tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Delitijs antea, & temulentia diffluebas? ieiunio & aquæ potu vtrumque compensa. Vbi fructus Pœnitentiæ Medicinas appellat, quibus vulnera curentur: quas ad proportionem vulnerum comparatas esse debere Petrus Damiani seuerè pronuntiat. *Nec*, inquit, *tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur: Cum in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicq. id hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.*

Serm. 2. de S. Andre.

Lacrymæ satisfactoriæ medicinales.

MIRVM autem est, quam vim in hoc Medicandi genere habeant *Lacrymæ*, quę si satisfactoriæ, sunt maximè Medicinales. Quare inuehitur in eos Cyprianus Lib. 1. Epist. 3. qui non præmissa plena satisfactione, pacem pœnitentibus dabant. *Datur*, inquit, *opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta deleantur: ne vulnera lacrymis abluantur.* S. Hilar. in psalm. CXVIII. exponens vltimum versum; *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Conscius*, inquit, *peccatorum veterum, vt historia ipsa docetur, licet toto corde se direxerit: tamen, quia & peccati sui dolorem ante re ipsa scripserat, tum cum Nathan Propheta arguente crimen suum recognouit, & fleuit, nunc quoque non desinit vera pœnitentia lacrymis, facti veteris crimen abluere.* Infra. *Hæc pœnitentiæ vox est, Lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, et per hanc confidentiam dicere:* Lauabo per singulas noctes lectum meum. *Hæc veniæ peccati est, fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madesieri.* Egregia sunt illa Theodoreti in Epitome diuinorum decretorum, Cap. De Pœnitentia. *Sũt*, inquit, *Medicabilia etiam quæ post baptismum vulnera; medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas & fletus & luctus, & ieiunium & orationem, & laborem, facti peccati quantitati contemperatum.*

Vide S. Ambros. Lib 2. de pœnit. ca 5. Basil. in

Psal. 29. Conuertisti planctum meum.

Satisfactio Medicamẽtum Extersiuum.

EST autem Satisfactio *Medicamentum Purgatiuum, & Extersorium*, tum sordium peccati, quas suo modo eluit, tum reatus pœnæ, qui ablatâ culpâ remanet. Sicque PP. passim purgationem, ac detersionem Satisfactionis Medicinæ tribuunt. D. Gregorius Nazianzenus Orat: de pauperum amore: *Misericordia & fide peccata purgantur.* Ergo miseratione purgemur, animique labes & inquinamenta, egregia illa herba detergamus, dealbemus alii vt lana, vt nix, pro misericordiæ ratione. Quibus misericordiæ opera, quatenus satisfactoria sunt, docet esse herbam Medicam, quâ labes, næui, & maculæ detergentur, & sordes omnes auferantur. D Chrysostomus Homil. de lapsu primi hominis; *Ostendit Dominus quibus officijs delicta purgari, ostendit confessione & deformitate cultus veniam posse facillimè impetrari.* Nec minus clarè Seuerus Sulpicius, qui Lib. I. dialog. de miraculis S. Martini c. XIII. *Fornicatio*, ait, *deputatur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.* Ac multa congerens Cassianus Collat. XX. Cap. VII. ita habet: *Dum agimus pœnitentiam, & vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est, vt ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat. Cũ verò cuiquã in hac humilitate cordis, & spiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio ...*

composita, & conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserantis euulsa, certum est, eum ad satisfactionis finem atque indulgentiæ merita peruenisse, & ab vniuersorum criminum labe purgatum. S. Ambrosius autem lib. 2 de pœnit. cap. 5. vtrumque beatum pronunciat, & cuius iniquitates remittuntur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur: videlicet, tanquam cicatrice sanatiua, operibus bonis.

NOMINE etiam fletus, & Eleemosynarum vtens Cassiodor. psalm. XXXVII. & Satisfactionem iis fieri docens, eandem virtutem indicat. *Cogitabo*, inquit, *pro peccato meo*, id est, *talia te donante, faciam, quæ meum possint abolere peccatum, scilicet fletus adhibebo, eleemosynas faciam, & ab hoc, quod deliqui mandatorum tuorum me obseruatione purgabis.* In eandem sententiam S. Gregorius Lib. VI. in Libr. 1. Regum explicans caput XV. *Non solum*, ait, *confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda:* ibidemque, Corrigibilia equidem peccata portantur, quia postquam à delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt. Beda in psalm. 1. *Delectatio seu voluntas peccandi, quando ad satisfactionem venitur, leuiter eleemosynis, & alijs talibus purgatur: consensus verò non nisi graui pœnitentia deletur. Consuetudo autem, non nisi recta & ponderosa satisfactione absoluitur.* Claudat agmen Rudolphus, cuius hæc sunt Lib. XII. cap. 1. in Leuiticum. *Ab vnoquoque nostrum pœnitentia satisfactione commissa culpa detergitur.*

HIC cauenda fraus aduersariorum, inter quos Martinus Kemnitius hæc omnia hyperbolicè dici asserit, secunda parte Examinis, P. 108 2. *Veteres*, inquit, *vt ritus illos satisfactionum hominibus magis commendarent, sæpe cohortatoriè magis, quàm verè, iuxta Chrysostomi dictum, de ritibus illis, per hyperbolem, loquuti sunt, peccata scilicet, & pœnas peccatis debitas purgari, compensari, tegi operibus satisfactionum.* Verum, etsi sit tropica locutio in Patrum sententijs, à Medicina sumpta, tamen, dum pœnas purgari, deleri, tegi detergeri abduci dicunt. Hyperbolem sanè non v deo, neq; mecum, qui melius quàm omnes aduersarij, sunt oculati.

Cicatricem obducit satisfact.

ALIAM *vim medicam inesse satisfactioni docet Nazianzenus Oratione in sanctum Lauacrum:* vbi eleganter dicit, Cicatricem ex peccatorum vulneribus remanentem obduci satisfactoriis operibus, nimirum obnixis precibus, multo luctu, gemitu, ac lacrymis. Quare, qui illam non adhibet, *etiamsi alioqui* exterius mundus, purusque appareat, dicere potest. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Psalm. XXXVII. quæ fuit Dauidis, antea vulnerati querela: intelligitque peccatorum vulnera lethalia, quæ non satis tempestiuè, ac omninò perfectè curata cicatrices reliquerint, siue reatum adhuc temporalium pœnarum, ob quem veluti eruperint in corruptionem earum, quas sustinebat pœnarum, quæ obducuntur omninoque delentur tandem satisfactione: siue prauos habitus, qui subinde priorum peccatorum memoriam atque cupiditatem renouant ac suggerunt, qui etiam abolentur paullatim satisfactorijs functionibus repetitis. *Lerin. 16.*

Medicamentum Exulceratorium.

PRIMVS Parens vim satisfactionis non ignorans, videtur illa vsus, tanquam *Medicamento exulceratorio*: Certè hoc significat perizoma, quod sibi, post peccatũ, circumdedit, ex ea materia, quæ carnem pungeret, & cutem exulceraret: quo facto ciliciorum vsum primus dedicauit: *Consuerunt*, inquit Sacer textus,

folia

Vide Delrio. in Gen. & Adag. 5.

folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, id est, lumbaria, ventralia, subligacula. S. Augustinus XIV lib. cap 17. de ciuitate, vocat, *campestria*, vt nominabant luctatores *Succinctorium* S. Ambrosius, & S. Irenæus, qui lib. III. cap. 37. agens de satisfactione, Adami mysterium aperit, *Timor*, inquit, *Domini, initium intelligentiæ. Intellectus verò transgressionis fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam* DEVS. *Etenim per succinctorium in facto ostendit suam pœnitentiam, folijs ficulneis semetipsum contegens existentibus & alijs folijs, quæ minus corpus eius vexare potuissent; condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum.* Deinde, post nonnulla, introducit Adamum loquentem. *Quoniam eam, quam habui à Spiritu sancto, stolam amisi, per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sum dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstet, mordet autem, & pungit corpus. Et hoc semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro folijs ficulneis induisset eos.* Ex quo sumas, primam vestem, quâ induit homo, fuisse asperum cilicium, non ornandi, sed nuditatem tegendi, & corpus affligendi caussa. Verùm, vt magis innotescat, quomodo satisfactionis opera medicandi vim singularem habeant, de aliquibus sigillatim paullò fusius pertractabimus.

NOTAE.

§. SATISFACTIO Sacramentalis.] *De hac agunt Theologi, titulo de Sacramento Pœnitentiæ. S. Thomas in Supplem. 3. p. à quæstione 12. & in fine Supplement. q. 100. eiusq; Commentatores in 3. p. Summæ, Franciscus Suarez, Valentia, Vasquez, Henriquez lib. 5. Tannerus, Hurtadus, Ægidius Coninck, Robertus Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia, Valerius Reginaldus, Paulus Layman, alijq; innumeri.*

Nomine autem Satisfactionis *hic significatur exhibitio quædam compensationis pro offensa, seu iniuria Deo per peccatum illata; non quidem, quatenus spectatur secundum se, & quoad culpam, vel etiam pœnam æternam: sed quatenus consideratur secundum reatum pœnæ temporalis, qui post peccatum mortale, & sæpè etiam veniale, remissum superest.*

Quid autem est satisfacere? S. Thomas Supp. 3. p. q. 12. a. 3. ex Augustino, seu Fulgentio lib. de Eccles. dogmat. cap. 54. sic habet, Satisfacere, est peccatorum caussas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. *Per caussas peccatorum non intelliguntur caussæ remotæ peccati, sed proximæ, quæ sunt duplices. Quædã interiores,* vt libido ex consuetudine, & actu peccati relicta: & ea quæ dicuntur reliquiæ peccati: nempe specialis inclinatio ad malum, & difficultas ad bonum. *Quædam exteriores, quales sunt occasiones ad peccandum, scilicet locus relapsui obnoxius, mala societas, & istiusmodi alia; quibus omnibus diuersimodè medetur opus satisfactorium à Confessario iniunctum.*

§. FRVCTVS pœnitentiæ medicinales.] *Fructus digni pœnitentiæ, vel digni pœnitentiâ, ex sensu Theophylacti, & Euthymij sunt bona opera. quasi dicere voluerit Ioannes: Non est satis per pœnitentiam peccata confiteri & expiare, sed necesse est etiam fructus huius pœnitentiæ dignos ferre, id est, bona opera deinde facere.* Quia resipiscitis, *inquit Euthymius,* scitote, quod non sufficit prauitatem fugere duntaxat, sed oportet virtutem quoque operari.

Theophylactus: *Fructus pœnitentiæ non*

solum est fuga mali, sed elaboratio boni: hoc enim reuera est proferre fructum pœnitentiæ, si bonum operati fuerimus.

S. Chrysostomus, *Non sufficit à malignitate fugisse, nisi ad virtutis studia transeatur.*

S Bonauentura Lucæ 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, vt sit satisfactio condigna, quia dicitur, *pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Plura leges in Maldonato Barradio, Toleto, Regio.*

§. OPERA satisfactoria ad tria genera reuocantur.] *Probabile est ob precationem illam Sacerdotis factam in tribunali Confessionis*, Passio Domini nostri IESV Christi, quicquid boni feceris, aut mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, &c. *Omnia bona opera pœnitentis induere rationem Satisfactionis Sacramentalis: adeoq; ex opere operato pœnam temporalem, confessis in præsenti peccatis respondentem remittere. Ita S. Thomas quodlib. 3. num. 28. Paludanus dist. 14. q. 6. Petrus Sotus lect. 2. de Satisfact. Nauarrus in Manual. cap. 26. num. 24. & de Pœnitent. distinct. 16. cap. 1. num. 36. Suarez disput. 38. sect 6. n. 6. Henriquez lib. 5. cap. 19. & 20. num. 7. Ratio est, quia cum peccatum in communi possit esse materia Sacramenti pœnitentiæ, cur non potest etiam esse satisfactio in communi?*

EST *quidem hoc probabile*, *non tamen certum, vt notat Suarez. Tum quia non constat, an sufficiat ad hunc effectum ex opere operato designatio pœnitentiæ citra præceptum. Tum quia non est vlla in ea precatiuncula absoluta designatio, sed hypothetica solùm*, Si quid, &c. *Tum quia ex antecedentibus colligi videtur, totum illud tantum dici per modum precationis. Neque sanè ab omnibus ea precatio adhibetur. Ob quas rationes Vasquez qu. 94 art. 2. num. 10. negatiuam sententiam tuetur: ac vniuersè negat, Satisfactionem præcepto Confessarij non iniunctam habere vim ex opere operato: adeoq; esse veram pœnitentiam, seu Satisfactionem Sacramentalem. Quod negant alij. De quo Fusius in Commentationibus Scholasticis ad tertiam partem Summæ S. Thomæ.*

COMMENTATIO XVII.

DE

Lacrymarum vi Medica.

In qua, quantus sit Lacrymarum fructus, siue corpus spectes, siue animā, differitur. PRIMÒ: Animam lauant, mundant, purificant. SECVNDÒ: Sunt sudor animę mœrentis. TERTIÒ: refrigerant: & extinguunt ardorem febrilem. QVARTÒ: Sterilitatem auertunt. QVINTÒ: Sunt Medicamentum emolliens. SEXTÒ: Catapotium ex margaritis. SEPTIMÒ: Panis salutaris, sanans, nutriens. OCTAVÒ: Antidotum contra venena. Medicamentum ἀκραίπαλον, contra ebrietatem. DECIMÒ: Medicamentum dulce: ac dulcorans. VNDECIMÒ: Aqua destillata ad vsus varios.

Domi-

Dominica IX. post Pentecosten.

Videns ciuitatem fleuit super illam. Lucæ 19.41.

Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Feria V. post Dominicam Passionis.

Lacrymis cœpit rigare pedes eius. Lucæ 6.38.

Feria VI. post Dominicam IV. Quadragesimæ.

Lacrymatus est IESVS. Ioan. 11.35.
Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo. Psalm. 6.7.

Lacrymarum in re medica vtilitas.

LACRYMARVM magna est habenda ratio ijs, quibus cordi est sanitas. Et magnum est illarum apud excellentes Medicos precium: varius in Medicina fructus, siue corpus spectes, siue animum. Sanè Aristoteles accuratus naturæ scrutator, vetat in pueris cohiberi lacrymas: &, quæ ijs adiungi solent, suspiria, singultus, vociferationes, quod tanquam exercitationes quædam corporum, prosint ad eorundem robur, ac incrementum. Quotidiana etiam constat experientia, si quis cor doloris vi constrictum habeat, & non laxet liberè habenas lacrymis, ac gemitibus: ita, vt exhalet quodammodo mœrorem intus latentem, per geminos illos lacrymarum canales, obrui quodam modo, ac suffocari angustijs. Tum etiam tristitia, tanquam fuligine infici, non interius modò, sed exterius quoque. Quemadmodum caminus, nō habens spiramentum per quod vaporem, fumique copiam transmittat.

Polit. 7.17.

ADIVNGVNT *Medici*, quod, qui contrahunt vapores noxios, eosq; intra stomachum continent, ita, vt propulsi ad cerebrum, ibique densati, ac frigefacti non resoluantur in lacrymas, morbos sibi accersere, apoplexiæ, paralysis, ac similes. Sic, qui ad [illegible] lacrymas sunt difficiles, conflictantur animi morbis varijs. Addit Basilius, qui superiora etiam habet, in mortem ipsam interdum incidere, qui violenter lacrymas cohibet. Eiusdem est illud: *Alleuatum capite [illegible] cerebrum lacrymis: vt post imbres, cælum serenatur.* Oriri autem lacrymas ex quadam impressione minus præuisa, ac si [illegible] esset plaga, qua percellatur animus, & contrahatur, compressio, ac coangustatio [illegible] spiritu circa cor. Itaque [illegible]

Homil. [illegible] Gratiar. [illegible]

cogn[illegible]

crymis, recreatur quodammodo anxius, & æger: ac veluti potatus suisinet lacrymis, refrigeratur. Quale refrigerium postulabat summoperè afflictus Dauid cùm oraret. *Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.* (Psal. 38. 14.) Nam reuera, *mentem alleuant lacrymæ* vt loquitur Ambrosius: *& fletus refrigerat pectus: ac mæstum solatur affectum.* (Ambr. de obitu Valent.) Experientia etiam doctus Augustinus fatebatur, dulcem miseris esse fletum: seque in his requieuisse, substernendo cordi suo. (Lib. 4. Confess cap. 5. Lib. 9. c. 12.) Tanta vis est lacrymis ad salutem corporis, & refocillationem animæ.

Virtus lacrymarum ad sanitatē animæ.

MAIOR autem longè est earundem virtus ad animæ sanitatem spiritualem. Nam imprimis *lauant, purgant, mundant* animam à peccatorum maculis. Nota erat hæc virtus Dauidi, qui ideircò, admisso adulterio, *Laboraui*, inquiebat, *in gemitu meo.* (Psalm. 6. 7.) Quo verbo, studiosam quandam diligentiam significabat, si Gregorio, ac Remigio credimus, quasi contenderit, vt exprimeret gemitus, lacrymas, suspiria. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meū rigabo.* Rectè noctem illam lethiferam, qua fortè commissum erat adulterium, singularum lamentatione, ac comploratione noctium compensabat, quod notat Eusebius: ac lectū adulterio pollutum lacrymis lauabat, & quodammodo expurgare nitebatur, vt Theodoretus, Nyssenus, & Cassiodorus significant. Verùm, vt non lectum solummodò materialem lauisse existimes, magis abluebat, quas interius contraxerat, maculas. Quocirca, non malè Augustinus, *lecti* nomine intelligit, voluptatem, & omnem secularem delectationem, à quâ qui se conatur extrahere, lectum lauare lacrymis censetur. S. Gregorius, *lecti* symbolo conscientiam indicari putat: & per *stratum*, quod vilius quid est, carnē: cuius maculæ lasciuiæ peccatis contractæ plorando diluuntur. D. Ambrosius, corpus designari putat, in quo iacet anima. (S. Amb. in cap. 5. Luc. & lib. 3. de Virg.) Scribit etiam Climacus, ex Patrum sententia, arma iuuenum esse cantum Psalmorum: murum esse, orationem: lauacrum, lacrymas.

Voces lacrymabiles peccatorū.

HOC se mundari sperabat ille, qui non tam maculosa pelle, quam animæ post vitæ malè actæ errorem agnitum, ingeminabat identidem: Heu me miserum, ac calamitosum! heu me infelicem, ac infamē peccatorem! heu criminibus enormibus obsitum hominem! si tamen hominem, & non bestiam! certè, peiorem beluis, maledicto, morte, damnatione æterna, & omnibus cœli fulminibus dignum! ingratam, ac peruersam creaturam! infidum, ac perfidum pecus! cur non resolueris in lacrymas? O sceleratum caput, coram Angelis & hominibus, tot scelerum maculis deturpatum! Laxa habenas lacrymis. quid statis lacrymæ? Transformetur caput in Oceanum: in torrentes oculi: in alueos aquarum genæ: an gratissimum delitiarum ver, in tetricam miseriarum hyemem: gaudia in suspiria voluptates in dolores: rosæ in spinas lilia in aculeos: lux in tenebras: dies in noctem. Vt tempore fletibus opportuno mortiferas peccatorum fœdissimorum noctes lugubri lamentatione redimam: lectum scortatione pollutum lacrymis abluam: stratum lasciuiæ conscium pœnitentiæ imbre irrigem. Ita fixum est. Valete cara pignora. abite Sodales. Sat mundo, carnique datum. *Vixi, & quam dederat sortem natura, peregi.* Vale iucundum cœli lumen, amatum hactenus animo, gratum oculis, & expetitum sidus: luminibus nunc te meis surripe. Non lubet amplius radiorum luce-

luce serenari. Noctis caliginem consector, & ambio: in ijs sepeliri iuuat. Ipsa obscuritas mihi voluptas est, quamuis alijs sit tormentum. Cauernæ sepulcrales sunt mihi delitiæ: lamenta sunt carmina: panes, lacrymæ: fletus, potus.

VALE Luna tristitiæ solamen: euanesce, obscurare, extinguere: oculos ad te conspiciendum extinctos habeo. Valete pulcherrima cœli sidera: pulchritudo omnis in me emarcuit. Emarcescite prata, & viridantes horti, ac syluarum amœnitates deflorescite: defloruit in me decus omne. Exarescite suaues aquarum scaturigines. Vnus lacrymarum fons non exsiccetur.

Ps. 118. 136. *Exitus aquarum deducant oculi mei: quia non custodierunt legem tuam. Lauabo per singulas noctes lectum meũ. Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc sunt vota ac gemitus pœnitentis animæ, vt mundetur lacrymis. Qui est primus illarum effectus magni in Medicina spirituali æstimandus.

Sudoris vtilitas. IN corporali autem celebratur vtilitas sudoris, Nam quæ in habitu corporis, & sub cute colligitur tenuis materia, multorum malorum est caussa: commodissimè autem per locum vicinum, vel cutem euacuatur. Quod fit per sudorem, ac insensibilem expirationem. Hinc ad sudorem eliciendum, tam multa conquirunt *Medici*, vt is quàm copiosissimus proueniat. Et accuratè disputant de sudorificorum ratione, ac vtendi modo. Laudant autem magno numero remedia, tum, quæ sordes cutem obstruentes abstergent: tum, quæ poros laxant: & materiam euacuandam attenuant, ac incidunt: omnesque ductus aperiunt. Parant ad hæc balneum ex decocto herbarum: hypocaustum instrui curant: frictionem adhiberi imperant: exercitationem commendant, siue loco calido, per se, siue sub Sole, siue calefacto per ignem. Electuaria varia propinant. Externum quoque calorem prouocant, multa veste iniecta: aut per spiritum, sub linteaminibus coërcitum. Et hæc omnia, vt sudorem prouocent. Quod si in aliquibus morbis succedit è voto, vitæ, sanitatisque antea desperatæ spem certam concipiunt, & salutem spondent.

QVOD autem corpori est *Sudor*, id animæ sunt *Lacrymæ*, quas D. Hilarius scitè nuncupat SVDOREM ANIMÆ mœrentis. Et explicari satis non potest, quantum ad sanitatem spiritualem conferant: ideoque omni conatu sunt procurandæ. Iuuat ad illas in latere Christi, amoris flagrantissimi fornace, tanquam in calidissimo hypocausto demoratio. Exercitia, non corporis, sed animi, quæ meditatione, oratione, & seria constant peccatorum Confessione. Criminum commissorum recordatio. Labor pœnitentiæ. Ardor contritionis. Qui hunc sudorem in Petro Apostolo fecit perpetuum: adeò, vt ipsius oculi fuerint sanguinei. Quod scribit Nicephorus, quia assiduè plorabat. Et si Clementi credimus, in Recognitionibus: quoties audiebat galli cantum, toties erumpebat in lacrymas: ac pannum quo oculos extergeret, manu continenter gestabat. Quod fecisse etiam Arsenium legimus. *Lacryma sudor animæ. Lib. 10. de Trinit. Niceph lib. 2. cap. 37. Spe. Exemp. 14.*

IN anima haud secus, ac in corpore, colligitur conuersatione humana tenuis, sed multa materia peccatorum, saltem venialium. Quæ nisi euacuetur, magnorum potest esse damnorum caussa. Euacuatio fit sudore lacrymarum. Quem facilè eliciet, qui in peccatorum *Peccata venialia conceruantur ex conuersatione.*

detestatione, haud paullò vtilius, quàm in saltatorio ludo, aut in sphęristerio sese exercuerit. Eius solius conceptione, ac criminum ponderatione calefactus interius, prorumpet in lacrymas, & clamare cogetur. Funesta dies, ferale punctum, quo oculos ad vanitatem contemplandam primùm aperui. Heu! quo agebar spiritu? quis me mihi malus error auferebat? quò ruebam insanus? Ah! quàm intolerabilis illa fuit dementia!

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error!

Ob exiguam voluptatulam, momentaneam delectatiunculam, vilem sensualitatis appetitum, ac titillationem, quæ mille parit ærumnas, ad tantum me malum trahi passus sum, & in mortem animæ incidi. Sciebam probè: *Peccatum esse dictum, factum, concupitum contra mandatum Dei*: hoc est, præfractam aduersus Diuinam Maiestatem rebellionem, quoties nihilominus, ô insania! ô stoliditas! dixi, feci, concupiui contra legem, & iussa DEI: Parentem, Regem, Dominum ad iracundiam concitaui. Nunc plorare cogor: imò, iuuat. *In meditatione mea exardescit ignis*. Aperiantur pori: rumpantur venæ: dilatentur nerui: findatur caro. prosiliat *sudor animæ*: & tantorum fomes malorum extrahatur.

Per mea sanguineus pectora sudor eat.

Laborabo in gemitu meo. Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Lacrimæ extinguunt ardorem febrilem. SED non est iste solus lacrymarum fructus. Quam solicitè varia quæruntur remedia, cum corpus interius febri æstuat. Curritur ad fontes, multiplicantur refrigerantia: mille potiones apparantur. frustrà. Si malum interius in fibris depascatur vitalia: aqua omnis, oleum erit in ignem coniectum. Quod si vnus aliquis fons in vniuerso reperiretur, è quo ad extinguendam flammam exitialem certissimum peteretur remedium, quis non eo se conferret, expensarum nulla habita ratione?

TALIS fons est oculus pœnitentis, aqua, lacryma. *Fons, oculus.* Ardeat quis flamma concupiscentiæ: natiuus ille calor, quem nobiscum ex vtero deferimus, in ignem conuersus, exurat totam natiuitatis nostræ: luxuria renes occupet: lasciuia totum hominem interiorem inflammet: cadat in hoc incendium omnia absumens, vnica contrito corde procurata lacrymula, ignis noua metamorphosi in aquam mutabitur. Diuinè Chrysostomus homilia v. de pœnitentia. *Rogum peccatorum exguimus, non iam aquis multis, sed paucis lacrymis. Multus quidem peccati est ignis: sed modica lacryma illum extinguit*. Et sanctus Augustinus: *Ardes fortè conscientia delicti? lacrymis extingue flammam peccati*. *August in Psalm. 49.* Quocirca Dauidem, non solùm vindicasse concupiscentiam oculorum lacrymis, assero: vt loquitur sanctus Cyrillus, sed etiam restinxisse solitum. *Ierosl. catech.*

VERVM ita restinguit ardorem concupiscentiæ, vt simul animum à criminibus, quamuis grauissimis inde ortis, expiet. *Lacrymæ expiant animam.* Ob quam caussam, non veretur sanctus Chrysostomus, lacrymas baptismi aquis conferre, quod lacrymis, quasi altero baptismo homines à peccatis expientur. *Homil. 6. in Matth.* *Sicut aqua & Spiritu*, ait, *sic rursus lacrymis, & Confessione purgamur.* Et alio loco, Lacrymas appellat *lauacrum, & purgatorium delictorum*: ideoque vu dixisse *Homil. 5. de Pœniten.*

Ir pœni-

pœnitentem Regem: *Lauabo per singulas noctes lectum meum*, vt hoc *purgatorium* demonstraret. Maius quid profatur Gregorius Theologus, qui de iustis loquens, ait, eorum *Lacrymas esse diluuium, & piamentum mundi.* Noëticum diluuium ex aquis ortum erat, partim è cœlo, partim ex abysso profluentibus: cataractæ enim cœli fuerunt apertæ, & rupti fontes abyssi, vt dicitur in Genesi, cap.VIII. At lacrymarum diluuium à cœlo ortum habet: inde aquæ istæ medicatæ profluunt: sed admittit etiam illas, quæ ex horrore inferni, tanquam ex abysso prosiliunt. Differt autem plurimum ab illo per effectum. Quod Noëticum mortem attulerit: Lacrymarum det vitam, dum peccata expiat, & flammas cupiditatis extinguit.

Nazi.Or.3.

Genes 8.

EXPERTA est, quod dicimus Magdalena, de qua vetus rhythmus:

Magdalena lacryma.

Christus Vetus rhytmi auctor ante annos 600.

In domo quippe Simonis,
Cùm esset cum discipulis
Maria supplex,humilis,
Famosa quondam meretrix,
Locum quærit remedij.

Cuius remedij? ad quem morbum propulsandum? ad extinguendam febrim concupiscentiæ. Nec frustrata voto,inuenit,quod quærebat.

O felix illa meretrix!
O cor ardens mulieris,
Incendium libidinis,
Quæ pijs necat lacrymis!
Vulnus & fœdum pectoris
Crine detergens capitis!

SVNT eædem lacrymæ Medicamentum sterilitatis, quod tam auidè à multis expetitur. *Anna Samuëlis mater lacrymis tam diu madefecit ariditatem sui corporis, & naturæ, quam diu ei fuerat longo vitæ tempore negata posteritas*, inquit eleganter Chrysostomus. Neque homines solum, sed & tellurem fœcundant lacrymæ. Idcircò messuros *in exultatione*, qui seminauerint *in lacrymis*, lacrymarum amator Dauid pronuntiat. Scribunt aliqui ocimum herbam cum conuitijs plantatam vberius prouenire. Non credo, ni probauerim. Semina tamen quæcunque, iacta cum lacrymis lætissimam segetem, ac auream omninò messem producere negare non possumus. Vt terra imbre, tanquam cœli quodam semine: ita mens humana lacrymis fœcundatur. Quid vsitatius, quàm vt lacrymarum imber dicatur, profanis etiam vsitata phrasi. Et sanè, sicut vapores excitati è terra concrescentes coguntur in nubem, atque in pluuiam, iterumque decidunt: sic lacrymæ à Sole iustitiæ attractæ, recidunt in terram, eamque anteà sterilem, ac syluescentem fœcundant. Nonne Christus cum super Ierusalem fleuit, veluti pluuia sterilem terram fœcundare voluit?

Medicamentum sterilitatis.

Chrysost. ser.n.75.

Psal.125.5.

Robert. Trutius de dem.accep. c.4.

EST aliud genus medicamenti,quod à Medicis vocatur *Emolliens*, quoniam indurata corpora emollit. *Domine*, clamabat Ieremias, *percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & noluerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas, supra petram, & voluerunt reuerti.* Percutiatur istiusmodi petra semel, rerum externarum iactura: percutiatur iterũ, internis malis,nihil excutietur quod illam emolliat. Sed percutiatur tertiò Diuinæ gra-

Lacryma medicamentum emolliens.

Ierem 5.3.

tiæ efficacia, & erumpat lacrymula, mollis, instar ceræ, liquescet in posterum, & ad omnes formas recipiendas aptabitur. Tam *Emolliens medicamentum* est lacryma. Quę si in saxum, rupemve cadat, duritiem eius mitigabit.

LICET plurimum valeant in permouendis affectibus Oratores, & duritiem hominum infringendam: ad eamque rem varia adhibere soleant, ex arte, naturaque quæsita præsidia: tamen, tunc potissimùm se palmam obtinuisse existimant, & saxea pectora argillæ in modum subegisse, cum lacrymas eliciunt. quod palmarium habetur. Sic Orpheus, cùm descendisset ad inferos, Plutoni, ac Furijs moueri alioquin nescijs, lacrymas excussisse fingitur. Cicero puerum infantem manibus tenens: vel, excitato reo nobili, sublatoque filio eius paruulo, forum planctu, & lamentatione complebat, vt iudicum corda infringeret. Et in hoc victoriæ momentum ponebatur. Similia de Seruio Galba, M. Antonio, alijsque eloquentissimis Oratoribus memorant historiæ. Sed minuta hæc sunt, ac relatione vix digna, si meminerimus, DEVM hoc medicamento quodammodo mollescere.

Deus, Rupes. VSITATVM est in Diuinis Scripturis, Rupem pro Deo poni, ob fortitudinem, & nunquam mouendam constantiam, maximè in auxilio tribuendo. *1. Reg. 2. 2.* Primo Reg. secundo cap. sic scribitur: צור *Tsur.* *Non est fortis* (in Hebræo) *Rupes, Saxum, sicut* DEVS *noster*. Deuteronomij 32. *Deut. 32. 18* DEVM (Hebraicè, Rupem) *qui te genuit, dereliquisti?* Hanc Rupem non aceto humanarum rationum, licet illo Alpes Pœnus molliuisse legatur: non malleis timoris, qui in Omnipotentem non cadit, sed lacrymarum attactu mollies. Quamuis, quid attactu est opus? cùm sola species oculis subiecta hanc rupem flectant lacrymæ. Imò, si auribus tantum percipiantur.

QVAMOBREM clamabat solicitè Rex Dauid: *Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam. Auribus percipe lacrymas meas.* Hieronymus vertit: *Ad lacrymam meam ne obsurdescas.* Iubebat Deus renunciari Ezechiæ: *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas* Isaiæ 38. id est, audiui & vidi. Deus enim, cùm videt, audire; cùm audit, videre dicitur, vt Cassiodorus annotat: quia corporalibus membris, inquit, non distinguitur: sed omnia virtutis suæ diuinitate operatur. Fortasse fluxum lacrymarum Dauid respiciebat, qui sæpè non fit absque strepitu aliquo gementis. Quomodo potest accipi illud psalmi VI. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Et quod est in Ecclesiastico: *Lacrymæ viduæ descendunt ad maxillam, & exclamatio eius super deducentem eas.*

Deus audit lacrymas. *Psal. 38. 13.* *Isa. 38. 5.* *4. Reg. 20. 5.* *Psal 6. 9.* *Eccl. 35. 18.*

D. MACARIVS in laudem lacrymarum effusus, eamque colligens ex diuersis Scripturæ sacræ locis, & ex Magdalenæ exemplo, ait, quæ verè sunt ex summa contritione, & ex angustia cordis funduntur per agnitionem veritatis, cum ardore viscerum, esse CIBVM animæ, qui paratur ex pane cœlesti. Vocat idem lacrymas, preciosas Margaritas. Quibus videtur insinuare, *Lacrymas esse Catapotium*, vulgus, pilulam appellat; & rotunda specie, pilæ instar, ex pane cœlesti, benè trito, & vnionibus ac margaritis contusis compositum. Quo nihil est efficacius ad perpurgandos animi sinus omnes, à perniciosis quibuscumque humoribus. Certè preciosior est vnicus è lacrymis bolus, & salubrior, quā ille ex margarita, ducentis quinquaginta millibus aureis æstimata, quem Cleopatra Anto-

Lacryma Catapotiū sanans. *Psal. 38. 13.* *Psal 41. 4.* *Luc. 7. 38.* *Ioan. 20. 2.* *Philipp.*

Antonio appoſuit. Caligulam ferunt cōmentum portentoſiſſima genera cibo rum: & inter cetera, ex auro panes, ac obſonia: Sed nihil hæc omnia ad gemmeum lacrymarum panem.

Medicamētum regiū.

QVI idem, Medicamentum eſt regium, quouis Mithridatico nobilius; quo magnus Rex Dauid quotidie contra morbos omnes & pernicioſam con

Pſal. 41. 4.

tagionem ſe muniebat. *Fuerunt*, dicebat, *mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Quo loco S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & Romanum Pſalterium legunt in ſingulari, *Panis*, iuxta contextum Hebraicum, ac Græcum. Symmachus autem habet ἄρτος συντάξεώς μου: *Panis conſtitutionis*: id eſt, demenſi mei. Quaſi lacrymæ κατ' ἐξοχὴν ſint panis, in quo omnis virtus, tum nutriendi, tum ſanandi: nimirum, cæleſtis, ex vnionibus compoſitus. Rara Medicina: quæ nutrit ſimul, ac ſanat. Purgat à noxiis humoribus, & ſalutares ſuccos ſubminiſtrat.

Lacrymæ cur panis dicantur.

IDCIRCO enim *lacrymæ Panis*, dicuntur: cuius cauſſam dat. Ambroſius: quia *confirmant, ſicut panis, cor hominis.* Qui enim lugent propter Dominum, certi ſunt ſe conſolandos, vt conſtat ex Matthæi v. capite. Thomas verò, refectionis rationem in eo docet eſſe, quod cuique delectabilis ſit actio, quæ eſt conueniens naturæ, complexioni, indoli: itaque & triſtitiæ lacrymatio. Addit: ſicut per panem ſuſtentantur vires: ita per lacrymas confirmari hominem in bono. *Luctu ſuo anima paſcitur*, inquit Gregorius, *cum ad ſuperna gaudia flendo ſubleuatur. Et intus quidem dolorem ſui gemitus tolerat: ſed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris lacrymas emittit.*

Gregorius lib 5. mor. Cap. 7.

Conuiuante Chriſto, in menſa Phariſæi, Magdalena ſe ſuis lacrymis reficiebat, & curabat: ſimulque Chriſtū ipſum, cui illæ ſuauiores, quam eſcæ appoſitæ. Innuit illud S. Ambroſius: & exprimit elegans Poëta: qui ſic canit.

Accubuit tua vita, dapes exſpectat amoris
Magdala. ſi quid amas: iam cibus eſſe potes.

Eccleſ. 15 3.

Cibare dicitur DEVS pane vitæ, & intellectus. Quis ille panis intellectus? panis lacrymarum. Quia vexatio, quæ lacrymas elicit, dat intellectum, Iſaia teſte.

Iſa. 28. 19.

Antidotum contra Venena.

SOLENT appeti ab iis, qui ſtudioſè ſanitatis curam gerunt, pocula ex animalium cornibus, aut lapidum quorundam materia, quæ venenis vim infringunt, aut penitus abſumunt. Vel ſi hæc non ſuppetant, Antidotum quæritur, quod antequam potus ſumatur, poculo immiſſum miſcetur liquori. Habebat haud dubiè multa talia Rex potentiſſimus, & vaferrimorum inimicorum inſidiis toties appetitus Dauid. Sed poſt omnium experimenta, vnum eligit, contra vim exitialem tanquam potentiſſimum Antidotum, Lacrymas. Illarum vnicam poculo, quod exhauriendū erat, immittebat, periculi omnis ſecurus. *Cinerem*, inquit, *tanquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.* Qualis bolus, cinis? quale antidotum, fletus? præſentaneum contra improborum peſtiferam contagionem.

Pſ. 101. 10.

Lacrymæ Medicamentum. ἀκραίπαλον.

NISI fortaſſe Dauid habuerit *Lacrymas*, tanquam Medicamentum Acræpalum vt vocant *Medici*, quo, vel prohibetur, vel diſcutitur ebrietas, & crapula. Ideò, vt ſemper eſſet ſobrius, ac regni negotiis tractandis idoneus, lacrymas vino inebriare ſolito copioſè miſcebat. *Potum meum cum fletu miſcebam*, inquit. Varia paſſim à Medicis ſuggeruntur remedia, & expetuntur à mero bibulis ad ebrietatem arcendam: De ſale conſtat, cum à ieiuno ſumptū, ebrietatem prohibere:

Remedia contra Ebrietatem

Sal.

hibere: licet cum vino ebibitus inducat illum ocyssimè. Amethystum quidam celebrant, gemmam diluto violæ colore, fulgore purpuræ non prorsus igneo, sed in vini colorem desinente: ita dictam ab α. priuatiuo, & à verbo μεθύσκω: quod est inebrior: quia ebrietati resistit, vt Aristoteli, & Magis placuit: licet Plinius nominis rationem in colorem vinaceum referat. Idcirco amethystus olim vocabatur vuæ species, tam virium infirmarum, vt neminem inebriaret. Quam propterea Plinius sua ætate inerticulam nuncupatam asserit. Ab alijs herbæ, ac similia sexcenta, ad ebrietatem longè habendā adhibentur.

Amethystus

Plini. lib. 14. cap. 2.

EGO, si quid iudicio valeo, paruo quidem illo, vt fateor, aliquo tamen: si quid lectione in Medicorum Commentarijs assequutus sum, si quid ab alijs in eâ disciplina versatis auditione accepi, liberè profiteor; remedium ad ebrietatem omninò arcendam nullum efficacius reperiri, quàm, quod à sapientissimo Rege vsurpatum est, *Lacrymas*. Quas dum nomino, non illas de signo, quæ ab helluonibus, dum decumanos, non sanitatum, sed infirmitatum crateres magno labore ad omnium arteriarum, venarumque subsultationem exhauriunt ex oculis, vt in piscina natitantibus solent, in ipsa pocula, barbasque, tanquam distillatorius imber decidere: sed, quas cor contritum, & humiliatum, doloris Christiani virgula, potentiore sanè, quam fuerit Mosaica, ictum consueuit emittere. Quales erant Dauidis potum cum fletu miscentis. Experimentum capite, si placet: ausim spondere nunquam vos inebriandos, si singulis poculis lacrymarum amethystum, pœnitentis cordis indicem, miscueritis

Efficacissimè arcent ebrietatem Lacrymæ.

VERVM, vt corporalem ebrietatem arcet hoc medicamentum, ita spiritualem inducit. Verè *calix inebrians*. Et sanè illud psalmi XXI. *Calix meus inebrians, quam præclarus est!* de calice piarum lacrymarum intelligit auctor libri Meditationum, qui D. Augustini nomen præfert, postulans gratiam lacrymarum ex dulcedine amoris diuini, & commemoratione misericordiarum Dei. Et hanc vocat mensam, ac calicem inebriantem præclarum, qui sitim satiat, inducitque spiritus inhiationem in Deum, & ardorem in amore ipsius cum obliuione vanitatis, ac miseriæ.

Lacrymæ spiritualem ebrietatem inducunt.

Medit. c. 36.

PORRO istud est singulare in hoc medicamenti genere, quòd, cum amarum videatur, dulcescat tamen, quam primùm sumptum fuerit. Improborum panis in vtero vertitur in fel aspidum intrinsecus, vt dicitur Iobi XX. Amantium lacrymæ sunt merum mel, ac dulcedo. Suauiores fuere Christo lacrymæ Magdalenæ, quam Pharisæorum esca. Audite peccatricem, sed pœnitentem, ac lacrymantem:

Lacrymæ remedium dulce.

Lacrymæ Magdalenæ.

NOTÆ.

Dulces lacrymulæ, quas Christus amorque ciêre,
Currite meque sacris Dilecti adnectite plantis.
Felices plantæ, queis vis immota cucurrit,
Fulcite hanc animam, & titubanti occurrite vitæ.
Sat vixi, hic moriar. mortem hic vitam esse putabo.
Ite procul curæ sontes: procul ite timores,
Hæ mihi pro lacrymis vitam & bona gaudia spondent.

Sed dulcissimæ omnium fuerunt Christi lacrymæ, vt non ineptè fecisse videri possint, qui suauissimum generosissimúque vinum, Christi lacrymam indigetarunt. Sund quidem amaræ lacrymæ: si in se spectentur, & secundum naturā: dulces,

ces, si secundum gratiam, & effectum. Vocantur amaritudines oculorum. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Iob XVII.2 id est, in lacrymis, quæ salsæ, & amaræ: sed æquè dici possunt, suauitates animarum, inquit vir pius. Verum hanc dulcedinem non experitur, nisi, qui risum, delitias, inepta gaudia spernit. Vtenim rectè S. Gregorius scribit: *Non potest experiri, quæ sit interna lætitia, nisi qui perfectè contemnere exteriorem curat.* In quem sensum exponit illud Prouerbiorum XIV. *Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Extraneus, ait Gregorius, *qui ad huc de bonis exterioribus intentionem delectationis habet.* Hic extraneus, qui extraneæ lætitiæ se tradit, in gaudio cordis, quod amaritudinem suam nouit, non miscebitur: nempe, particeps non erit illius lætitiæ, quam interna amaritudo, pœnitentiæ fœtus, contritio, lacrymæ pariunt.

In 1. Reg. cap. 1.

Prou. 4:

Lacryma aqua distillata.

TANDEM, sunt lacrymæ, tanquam aquæ distillatæ ex varijs herbis, è quibus, quod preciosissimum, ac maximè purum, extrahitur, & plurimum ad varios morbos curandos conducit. Habent profectò magnam Lacrymæ cum istiusmodi aquâ medicata similitudinem. Vidistis fortasse aliquando in pharmacopæorum supellectile vasa quædam plumbeo tecta operculo, fornaculæ imposita, quæ Medici in Italia *alambicos* vocant; fortasse mutuato vocabulo à Græcis, quibus vasa montis supercilium referentia, dicuntur ἄμβικες, vt eloquens ex Italis orator obseruat. In ijs succus ex floribus, ac herbis, liquoresq; de cunctis ferè rebus eliciuntur, ac stillant: cùm vapor ex tepefactis ijs rebus eductus, & in operculum fastigiatum ac frigidum appulsus, commutatur in aquam salutarem, stillicidioque delabitur.

Athen. dipn. lib. 11. ca. 8.

Nigron. Or. 4.

Memoria vas capacissimum.

SVNT in capacissima hominis memoria, tanquam vase, rerum diuersæ species: cogitationes de peccatis: de cruciatibus Domini: de offensis hominum. Huic vasi, si supponatur diuini amoris igniculus, subtilissimus succus affectuũ piorũ ad editissimam hominis partem, mentẽ videlicet, attrahitur, & timoris tum seruilis, tum filialis algore frigefacti, in aquam commutantur, sicque resoluuntur in lacrymas, aptissimum morbis omnibus remedium.

Lacrymæ ascendunt. Iob. 16. 21.

HVC spectat illud Patientis: *Ad Deum stillat oculus meus* Iob. XVI. Vbi oculum distillare guttatim lacrymas translatio videtur à vasis pharmacopæorum: distillatoriis; nisi velis sumptam metaphoram à stillicidiis, & pluuia. Sed quomodo, ais, oculus ad Deum stillat? ascendit? at quo pacto? cùm sit res grauis: & est contra pluuiæ impetu ruentes naturam. Mirum profectò, quod quæ in imum ruere, & in terram cadere nobis videntur lacrymæ, non descendant tamen, sed ascendant ad Deum; & retro, contrario motu, quam imber, & stillicidia in cælum stillent. Nimirum, hæc est natura huius sublimatæ diuinitus aquæ. Caussa est pijs nota, occulta profanis. Quemadmodum enim sol, terræ vapores suo calore tepefactos sursum euehit: ita pœnitentium lacrymas benignissimus Deus excitat, eleuat, & ad se trahit. Sic docuisse visus Ecclesiasticus ca. XXXV. 18. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt: à maxilla ascendunt vsque ad cælum: & Dominus exauditor non delectabitur in illis?* Est igitur istiusmodi lacrymarum imber, non qui defluat à nubibus; sed qui nubes penetret, ibique, noue

nouo distillationis modò, in malorum omnium remedium transmutatus, morbos lacrymantium curat.

Heraclitus Philosophus.
NOTAE.

VTINAM hanc mihi facultatem dedisset Medicorum summus, vt omnibus hanc *Medicinam* paratam propinare possem; quàm multi sanarentur, qui nunc morbis lethalibus pressi, extrema inualitudine conflictantur. Certè, cum tam præsentaneum medicamentum sint Lacrymæ, sanus fuerit oportet Heraclitus, qui ad hominum quorumcunq; occursum, in fletum resoluebatur: quod doleret, nihil sani esse in vita, nihil non caducum, fluxum, defectibile. Si Heraclitum illum veterem Philosophico tectum pallio intelligas, sanusne an insanus fuerit non admodum laboro. Si nonum Christianis ornatum insignibus, fide, ac religione imprimis rectum: non fastu, ac superbia, sed expietate lacrymas fundentem POENITENTEM, dico qui vitæ malè actæ pœnitudine ductus lacrymas cogitat; lacrymas vbertim fundit, lacrymarum pane vescitur, lacrymarum calice inebriatur, lacrymarum catapotio purgatur, lacrymarum balneo abluitur. Qui, dum tacitè multitudinem peccatorum perpendit, lacrymando clamat:

Pœnitens Heraclitus.

Tot licet æthereis, quot aguntur in orbibus astra
Ex oculis manent flumina amara meis.
Nil tamen hæc facient ad nostras flumina culpas,
Neue meas maculas eluet Oceanus.

dum horret, & detestatur præterita, lacrymando ingeminat:

Vilescunt lacrymæ tantis pro sordibus; atque
Omnis pro tanto crimine vilis aqua est.
Solus erit sanguis dignè, qui crimina tanta
Defleat. Ergo meo corpore sanguis eat.

dum ingemiscit ob animæ ruinam, lacrymando immurmurat:

Hei mihi, quam grauibus premor vndique curis,
Anxietasque animum, quam grauis intus agit?
Me, me, nam mala cuncta premunt. Hæc vnica saltem
Sors mihi sit: sortem posse dolere meam.

dum suam deplorat ingratitudinem, id lacrymando vouet:

Quis caput hoc, Superi, largas dissoluat in vndas?
Torrentesque oculos, quis dabit esse meos?
Et liceat totis ingratam flere diebus.
Fletibus ingratum sollicitare caput.

dum dolet, ob amissam temporis opportunitatem, sic lacrymando optat:

Sint mihi tot lacrymæ, quot sunt in corpore sensus,
Pro tantis placet has posse referre malis.
Nam mihi, quæ viridis perierunt tempora formæ
Nil nisi præteriti pœnituisse iubent.

dum tristatur, de non acta, vt oportuisset, pœnitentiâ, lacrymando petit:

Nocte meum assiduo madefiat ab imbre cubile,
Omnis & à lacrymis nox erit vda meis.
Cor, dolor, insomnesque premant præcordia curæ:
Certa ea tristitiæ sint monumenta meæ.

dum execratur voluptatum, & gaudiorum mundi inanitatem, lacrymando occinit:

Planctu terra meo resonet: singultibus aër,
Condoleantque mihi sidera, terra, fretum.
Ergo vale luxus: valeas damnosa voluptas.
Sint mihi delitiæ: plangere, flere, queri.

dum

dũ propriam deplorat miseriam, lacrymando hæc sibi proponit:

Et si nox terris inducat opaca tenebras,
Atque aurora diem lucida inane vehat:
Semper me flentem, lamentantemq́; videbunt,
Quando subit miseræ sortis imago mea.

dum insanientis mundi fallacias, fraudesque arguit, ita lacrymando spondet:

Rupis inaccessæ latebras, atque antra subibo,
Vt pascar gemitu, & fletibus ora rigem.
Perfidus est Mundus, fallax, contagio, pestis.
Cum seruire nefas. Credere stultitia est.

dum bonorum cælestium amissionem recogitat, lacrymando hæc effundit:

Tot licet effundam lacrymas, quot in æquore fluctus,
Quot cælum stellas: gramina campus habet.
Nil tamen hi facient ad tanta incommoda luctus,
Iacturæ precium, nec dolor vllus erit.

dum mortem ante oculos habet, lacrymando concutitur, canitque:

Dum mihi supremæ subeunt certamina mortis
Atque animum pungit flebilis hora meum.
Omnia fatidico torpescunt membra pauore,
Per mea sanguineus pectora sudor abit.

Hinc ego Heraclitum (qualem te esse opto, quicunque me audis aut legis) sanissimum esse, semperque fore assero: modò nunquam, tam singulare morbis auertendis, sanitatique procurandæ remedium fastidiat.

NOTAE.

ANABAPTISTARVM *in Belgio secta quædam dicta fuit* Eiulantium, *teste Staphylo. Hi censebant nihil esse deuotionis, quod perinde gratum sit* DEO, *atque lacrymari, ac eiulari perpetim. Oppositus videri potest error Lutheri, & sectariorum, ab illo prodeuntium, cum ad pœnitentiam requirant solum eam contritionem, qui sit terror ex minis legis, & fidem ex Euangelij promissis conceptam. vel, summum, tertiam partem consistentem in noua obedientia. Nam satisfactionem lacrymosam, aut laboriosam penitus reijciunt.*

S. GREGORIVS *Lib.* IX. *Mor. cap.* XXXVII. *Moderata afflictio lacrymas exprimit: immoderata subducit. Quia mæror ipse, quasi sine mærore fit, qui afflicti mentem deuorans sensum doloris tollit. Herodotus Lib.* III. *Psammenitus Aegyptiorum Rex à Cambyse regno exutus est. Eius filiam ancillari veste indutam cum aliquot nobilibus virginibus Cambyses mitti iussit ad hauriendam aquam, vt parentis animum excruciaret. Ceteris indignè ferentibus, solus Psammenitus dimisit oculos. Mox duci iussit filium cum alijs vinctis, ore frenato. Nec tunc Psammenitus ad lacrymas est motus. At videns amicum exutum opibus mendicantem, adeò est commotus, vt ingenti fletu hominem compellans, caput suum barbarico more cæderet. Caussam iussus dare à Cyro tantæ diuersitatis; respondit, domestica mala grauiora sunt, quàm, vt lacrymis [illegible]. At amici [illegible]*

erat, qui è multis opibus ad summam inopiam redactus est : idque in extremo senectutis limine.

DVM *apiculæ mel conficiunt, tot medicamentis miscere solitum à lacrymis incipiunt: quas operis à se inchoandi ponunt fundamentum. Vnde illud Poëta de apum industria Lib. IV. Georg.*

Narcissi lacrymam, & lento de cortice gluten
Prima fauis ponunt fundamina.———

S. EPHREM *Serm. de Pœnit. Accede ad Deum, & pro optimo* Medicamento, lacrymas *offer. Vult enim cal stis Medicus vnumquemque lacrymis suis sanari.*

IDEM *sermone de Compunctione: O lacrymarum virtutem, quæ medicinalis es officina peccatorum! Per te peccatores efficiuntur beati. Vnde Dominus beatos tales prædicat dicens :* Beati, qui nunc fletis, quoniam ridebitis : *nimirum in futuro.*

PECCATA *triplici lauacro abluuntur : Lacrymarum, Baptismi, Sanguinis. Merguntur lacrymarum mari peccata, vt Aegyptij in Erythreo, Exodi* XIV. *Fit per eas via ad cælum sine impedimento. Sapientiæ* XIX. VII. *Euehunt, tanquam diluuij aquæ, Genes.* VII. XVII. *vt docet Nazianzenus Orat* III. *Arcam, aut lectum nostrum, & nos ipsos. Nihil autem crescit citius lacrymis. Ideò frequentanda esset lacrymatio. Quæ si vel vnica lacrymula fiat à iusto aut pœnitente, magnam vim habet.*

CVM *contra matrem multa scripsisset Antipater Alexandro. Respondit ignorare videri Antipatrum, quod vna matris lacryma deletura esset multas epistolas. Deletur per lacrymas, vt nubes iniquitas: & vt nebula, peccatum Isa.* XLIV *22.*

S. GREGORIVS *Lib.* VI. *epist. in* XXIII. *scribit in Vrbe tria millia monasteriorum fuisse, quorum lacrymis & abstinentia crederet vrbem subsistere, vt si ipsi non essent, nullus, per tot annos inter Longobardorum gladios superesse potuisset.*

S GREGORIVS *Nazianzenus laudat sororem Gorgoniam, quod in grauissimo morbo desperatis Medicorum auxilijs, ad altare procumbens lacrymarum pharmaco perungens corpus, sanitatem impetrasset.*

B. FRANCISCVS, *cum ei suaderetur à* Medico, *vt oculos à lacrymis abstineret, nisi vellet solis aspectu priuari : respondit : Non est frater* Medice *ob amorem illius luminis, quod habemus commune cum multis, visio sempiterna atque æterna lucis repellenda, vel modicum. S. Bonauentura in vita S. Francisci.*

LACRYMAE *rigant, vt pluuia Sic Pausanias in Phocicis, lacrymas vxoris Phalantum ait pro imbre intellexisse in eo oraculo, quod ad Tarentum est editum. Eadem dicendi forma vsus est Homerus Odyss P. ex obseruatione Bochij.*

Λέξομαι εἰς εὐνὴν ἥ μοι στονόεσσα τέτυκται
Αἰεὶ δάκρυσ' ἐμοῖσι πεφυρμένη.
In lecto qui dat suspiria multa cubabo,
Quemque meis lacrymis largo velut imbre rigaui.

Non omnes lacrymæ sunt animæ Medicina, *sed quæ fluunt ex pietatis motiuo, vt loquuntur Theologi, & sunt verè pœnitentium. Varij ob varias caussas lacrymantum, optima est peccati detestatio. Pro amissa benedictione temporali Esau irrugijt fletu maximo, Genes.* XXVII XXXIV. *Pro Sicelег, igne succensa, abductisque vxoribus & filijs in captiuitatem, planxerunt Dauid virique eius, donec deficerent ijs lacrymæ, lib. 1. Reg.* XXX. *3. 4. Att-*

3. 4. *Audito nuncio exploratorum de terra promissionis aditu difficili, fleuit omnis turba, nocte integra, Numeror.* XIII. I. *Ad Angeli sermonem exprobrantis ingratitudinem, eleuata voce fleuerunt Israelitæ, adeò, vt diceretur* Locus flentium, *siue* lacrymarum, *Iudicum secundo.* 5. *Ieremias fonte lacrymarum deflebat continenter interfectos populi sui. Capite* IX. I. *Sacerdotes Ioelis cap.* II. 17. *Paulus Roma.* IX. 2. *Samuel.* I. *Reg.* XVII

§. LACRYMAE Magdalenæ] *Has celebrant Poëtæ Christiani. Lege aliquot epigrammata lib.* I. *carminum Francisci Remundi, & Tom.* I. *Bibliotheca Antonij Posseuini: ac libros quinque Balduini Cabilliani, quorum titulus* MAGDALENA.

§. HERACLITVS.] *scripsit, & inscripsit Heraclitum Christianum Petrus Besseus, in quo peccatoris pœnitentis suspiria, ac lacrymas proponit.*

Quomodo Eloquentia lacrymas eliciat, disserit eleganter Iulius Nigronius Oratione. III. *Decidit pluuia sæpè post tonitrua, fulgura, fulmina. Sic lacrymæ post diuinas minas, oratorúmque vehementes commotiones.*

(:)

COMMENTATIO XVIII.

DE

Collyrio,

Ad sanandos oculos mentis.

In quâ multiplex Collyrij significatio exponitur. Est præstantissimum mentis Collyrium, I. Notitia legis diuinæ. II. Pœnitentia amaritudo. III. Humilitas. IV. Paupertas Christi. V. Imitatio Christi. VI. Contemptus rerum terrenarum. VII Munerum despicentia. VIII. Verbum caro factum. IX. Mortificatio passionum. X. Munditia cordis. XI. Meditatio legis diuinæ. XII Captiuatio intellectus. XIII. Verbum Dei. XIV. Tribulatio. XV. Dona spiritus Sancti. XVI. Memoria Passionis dominicæ.

Dominica II. Aduentus.

Cæci vident. Matth. XI. 5.

Feria IV. post Dominicam IV. Quadragesimæ. De cæconato.

Fecit lutum ex sputo: & liniuit lutum super oculos eius. Ioann. IX. 6.
Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Apocal. III. 18.

Oculi præstantia.

OCVLVS, eiusque functio, nobilissimum, inter res corporeas, & earundem operationes locum habent: estque is sensus homini carissimus. Nobilitatem satis declarat, quod quemadmodum DEVS in prima rerum creatione, Mundum in homine, tanquam in compendio inclusit; ita oculũ hominis, eiusdem epitomen esse voluerit. In quo, tot circuli cælestium sphærarum æmuli, superlunarem mundum; tot humores, elementorum numerum; tot officia, corporum diuersorum munera perfectè repræsentant. Vt non malè dixerit Cyrillus libro VI in Ioannem cap. IV. Christum, cum cæci nati curauit oculum, Patris mundum creantis imitatorem fuisse.

NOTÆ.

Carissimus sensus visus.

QVAM autem carus homini sit oculus, illud ostendit; quod, quem diligimus maximè, amare vt oculos nostros dicamur; & qui nobis carus est, *oculitus diligi à nobis spargatur*, & *oculissimus*, ac *ocellus* vocetur. Veteres etiam per oculos, vt rem carissimã, iurabant. Quare hoc symbolũ non inscitè Anastasius Papa IV. sibi sumpsit, vt auctor est Alfonsus Ciacconius. Quoniam autem tanta est oculorũ præstantia, tamque nobis sunt cari, & eorum læsione, morbisque maximè affligimur, idcircò nihil gratius solet accidere, quam medicinam certam & efficacem pro oculorum vitiis suggerere.

NOTÆ.

Collyrium.

Medicamentum autem oculorum morbis curandis idoneum dicitur Græco vocabulo, sed à Latinis vsurpato *Collyrium*. Porrò, quod in corpore est oculus, id in animo est mens, intellectus, ratio. Rectè Philosophus de Mundi opificio. *Quod mens in animo est, id oculus in corpore.* Videt enim vterque, alter intelligibiles res, alter sensibiles: visus autem mentis ad noscenda incorporea, oculi ad contemplationem corporũ conducit: quod ad multa alia prodest. Est autem menti quoque sua opththalmia & lippitudo, cui curandæ quod adhibetur, *Collyrium* rectè appellabo, quo vt inungeret oculos Laodicenus Episcopus, Christus monebat in Apocalypsi. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas*; cap. III. XVIII. Idem vt quilibet è vobis faciat, qui eo indiget, & quis non indiget? moneo, sed frustra sim, nisi prius quid similitudine Collyrii, & vnctionis significetur, indicauero: sunt autem variæ hac de re grauissimorum Patrum sententiæ.

Lex diuina illuminans.

PRIMA est, Collyrii rationem habere notitiam diuinorum præceptorum, eorumque exactam executionẽ; quo collimant omnes isti eruditione & sanctitate conspicui auctores. Beda, qui, *Collyrio, inquit, oculos inungere, est per executionem boni operis diuinæ scripturæ intelligentiam promoueri.* Ansbertus nobilis Apocalypsis interpres, qui ita admonitionem Domini exponit: *Adde diuina præcepta ad mentem cæcam, quatenus virtutum nuditatem, quam pateris videas.* Nisi enim quoddã essent Collyrium, diuina mandata, non diceret Regius vates psalmo XVIII. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Cum itaque superna aspiratione quilibet per singulas scripturarum paginas quid Dominus iusserit, legendo, vel audiendo, ad mentem reuocat, videt nimirum: vel quantum ex virtutibus habet, vel certè quod nihil habet. Quod si facere dissimulat, cæcus remanet. Victorinus, *Inunge*, ait, *Collyrio oculos, vt quod per scripturarum lectionem cognoscis, huius etiam facere coneris.* Primasius: *Monet*, (inquit) *nos his verbis Dominus, inclinandum esse cor nostrum*

nostrum ad obseruanda præcepta Dei, *Præceptum enim Domini lucidum, illuminans oculos; nimirum, quando intelligitur, probè illustrat mentē, & dirigit, vt Scriptura quæ liquet diuinitus tradita.* Et, non nuda mandanti notitia, sed eius custodia est *Collyrium*, & lippitudini ac cæcitati medetur: Seruare enim præcepta Domini, & secundum illa operari est illuminare sibi lumen scientiæ, vt est apud Oseā cap. x 12. pro quo legimus, *Innouare nouale.* Nec dissentit ab hac interpretatione Richardus de S. Victore, cuius verba retulimus. Pannonius, Hugo Cardinalis, & recentiores multi, quibus præiuit.

Quid sit Lippus. Magnus Gregorius, cuius sunt illa 1. parte Pastoral. cap. 11. *Lippus est cuius ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculus pupillæ sana sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ crassescunt, quæ, quia crebra infusione attenuantur, & acies pupillæ vitiatur. Sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, quia videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaque est, cuius sensum natura acuit, sed conuersationis prauitas confundit; cui benè per Angelum dicitur.* Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. *Collyrio enim oculos inungimus, vt videamus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis purgamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videri non sinitur, quoniam arrogantia sapientiæ, vel iustitiæ excæcatur.* *Quis Albugine sit viciatus.* *Pupilla namque oculi nigra videt; albuginem verò habens, nihil videt, quia si quis stultum se, peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Sin autē candorem sibi, vel iustitiæ, vel sapientiæ attribuit, lucem à se supernæ cognitionis excludit, de quibus dicit Apostolus.* Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. *Romanorum 1.*

Colyrij effectus. Hoc *Collyrio* aufert Deus velamen ab oculis, albuginem à pupilla. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectū dat paruulis*, aiebat illuminatissimus Propheta, Psalmo cxviii. cxxx. *Verbum Dei si executioni mandetur*, non solum est *lucerna pedibus*, & lumen semitis, psalmo cxviii. cv. verùm etiam *Collyrium* oculis: adde & specularis materia, siue perspicillum. Quod enim noster legit Deuteronom. vi. 8. *Ligabis ea*, videlicet mandata mea, quasi signum in manibus tuis, *eruntque & mouebuntur ante oculos tuos*; alij ex Hebræo transferunt; *Ligabis ea in manu tua, eruntque quasi specilla ante oculos tuos.* *Lex Dei perspicillū. Totaphot.* Etenim verbum thaphot etiam specilla, vel conspicilia significat; Rectè autem appellantur specilla, quoniam per ea clarè conspicimus, quantum Deo debeamus, quantusque sit noster in virtute progressus. Quo fortasse alludebat Propheta, psalmo cxviii. 6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

Collyrium Pœnitentiæ amaritudo. Sunt qui *Collyrium* esse putant Pœnitentiæ amatorem, cuius vi, excitata compunctione, sensus cordis clarificatur, sicut *Collyrium* per effusionem lacrymarum oculos corporis serenare solet. *Notæ.* Ita ferè Richardus de S. Victore, & Dionysius Carthusianus, quibus iunge Ambrosium, qui, per *Collyrium* (inquit) quod caliginem ab oculis detergit, & lacrymas educit, pœnitentiam & compunctionem cordis intelligere debemus. Hæc namque caliginem ignorantiæ à mente nostra discutit, eiusque oculos ad videndum, quæ sit retributio bonorum, & pœna malorum, acuit. Huic interpretationi lumen addit Thomas Angelicus, *Th. Angelicus.* ab Angelico Doctore diuersus; qui duos esse, ait, animæ nostræ oculos, alterum dextrum, quo æterna bona considerantur,

tur, vnde amor Dei accenditur in cordibus nostris: alterum verò sinistrum, quo æterna supplicia considerantur, ex quo timor iustitiæ DEI excitatur, animum à peccatis deterrens. Et quemadmodum *Collyrium* primò turbat oculum, & humorem de eo malum fluere facit, & clarum ei visum reddit; ita & cordis cōpunctio, atque contritio, prius turbat animum per tristitiam & dolorem, atque ita noxium euacuat humorem peccati, cuius signum aliquando est resolutio in lacrymas, per quas interni animæ oculi mundantur atque clarescunt.

Collyrium Humilitas. NOTÆ. *Matth. 11.* RVPERTVS Abbas nomine *Collyrij*, nō malè intelligit Humilitatem, ex propriæ vilitatis cognitione ortam. *Collyriū*, inquit, *quo visus, & morbi oculorum purgantur, atque sanantur, Humilitatis virtutem significat. Hæc enim paruulos adiuuat, vt ea, quæ sapientibus, & prudentibus absconditæ sunt, diuinarum rerum mysteria illis à Deo reuelentur.* Rectè igitur Laodicensi dicitur. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas*, id est, cor tuum humilitate purifica, vt paupertatem tuam videas, & varias diuitias bonitatis Dei cognoscas. An hoc significabat *Collyrium*, quod Christus ex puluere, & saliua compositum cæci nati oculis apposuit, eumque luteo malagmate sanauit? sanè si puluerem, ex quo conditi sumus, & lutum ex quo plasmati, oculis mentis applicemus nostræque vilitatis simus assiduè memores, ea cogitatione, tanquā *Collyrio*, aspectū ad Diuina contemplanda, nostraque omnia in Deum referenda, atque adeò ad diuinam gratiam cōsequendam recuperabimus. Est is plurimorum sensus, optimum *Collyriū* esse infirmitatis ac fragilitatis propriæ notitiam & considerationem. *Nosce teipsum Nouerim te, nouerim me.* ex quo oritur sui contemptus, atque abiectio, vnde intellectus, totiusque mentis sanitas. Qui enim in se, tanquam ex se nihil boni videt, nec esse sentit, is profectò per talem humilitatis spiritum, sensumque, continuò spiritualem visum recuperabit, quem per superbiam perdidit.

PAVPERTATEM Saluatoris *Collyrium* esse existimat Ambrosius, & Ansbertus, si videlicet illa, affectuosâ contemplatione mentis luminibus applicetur. Per *Collyrium*, inquit ille, *quod ex terra fit, adsumpta Redemptoris nostri temporalis egestas potest designari*: de quo, & per Apostolum fidelibus dicitur II. Corinthiacæ V. Scitis gratiam Domini nostri IESV Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis, *Collyrium* itaque oculos puluere cæcatos solet mundare, *medicamentum* videlicet *factum de terra, puluerem terræ ab oculis eijciens.* *Collyrium Paupertas. Ambros. Ansber.*

ET quid est aliud terrena concupiscentia, nisi quidam puluis corda terrenorum excæcans? Ergo qui puluere cæcatos oculos habet. *Collyrium* factum de terra superimponat, vt lumen recipiat, .i. qui per terrena delectamenta defluit, temporalem Redemptoris sui egestatem ad mentem reducat, vt ipsius consideratione, remota carnali concupiscentia, interioribus oculis contempletur Sanctorum futura prœmia. Vnde idem Redemptor noster in Euangelio ait; *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, Ioannis VIII *sed habebit lumen vitæ*; ac si alijs verbis diceret.

QVI Imitationis meæ *Collyrio* inunctos habet oculos, nequaquam terrenæ concupiscentiæ cæcitatem patitur, sed perpetuæ claritatis luce perfusus cœlestia contemplatur. Hanc oculorum emundationem Mediator noster in electis esse perhibet, quibus videndam Diuini-

uinitatem repromittit. *Beati mundo corde, quoniam ipsi* Devm *videbunt*, Matth. v. Ab hoc non abludit Andreæ Cæsariensis & Arethæ sensus, qui *Collyrium* præter terrenarum rerum penuriam atq; contemptum, interpretantur Munerum despicientiam. Si enim munera excęcant oculos prudentium, Deut. xvi. contemptus munerum, ac bonorum terrenorum despicientia, ad videndum, quod bonum, aperiet.

Collyrium despectus munerum Notæ.

Prætereà *Collyrium* sit ipsum *Verbum Caro factum*, sic enim lutum exponit S Augustinus. Ex saliua tanquam diuinitate, & puluere, vt humanitate à Domino compositum, atq; cæco nato, instar *Collyrij* applicatum. *Veniebat*, inquit, Tractatu 11 in Ioan. 1 *ad mentes infirmas, ad corda saucia, ad aciem animi lippientis, hominis quasi puluis in oculo*. erat terra, sauciauerat oculum terra; *videre non poterat lucē: oculus ille sauciatus inungitur, terra sauciatus erat, & terra illuc mittitur, vt sanetur Omnia enim* Collyria *& medicamenta nihil sunt, nisi de terra De puluere cæcatus es, de puluere sanaris. Ergo caro te cæcauerat, caro te sanat; carnalis quippe anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, deinde fuerat cordis oculus excæcatus. Verbum Caro factū est. Medicus iste tibi fecit* Collyrium. *Et quoniā sic venit, vt de carne vitia carnis extingueret, & de morte occideret mortem, ideò factum est in te, vt quoniam* Verbū caro factū est, *tu possis dicere*, Et vidimus gloriam eius. Multiplicem præterea Collyrij rationem suggerit Haymo, Apocalypsis interpres

Collyrium Verbum Incarnatum. Notæ. *Augustin.*

Per *Collyrium*, inquit, intelligere possumus *Mortificationem* passionum, secundum illud Romanorum viii, *Si spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis*.

Collyrium, Mortificatio.

Item, *Munditiam cordis* iuxta illud. *Beati mundo corde, quoniam ipsi* Devm *videbunt*, vel, *Imitationem Christi*: Idem significat, assiduam, & piam legis diuinæ *Meditationem*: scriptum est enim, *Declaratio sermonū tuorū illuminat, & intellectum dat paruulis*, Ps. cxviii. *Captiuitatem* quoque *intellectus, in obsequium fidei*, scriptum est enim, *Nisi credideritis, non intelligetis*, Isaiæ xxviii Nō minus variam interpretationem suggerit Cardinalis Hugo, ex cuius sensu, *Collyrium* est *Verbum Dei*, quod illuminat, & purgat spirituales oculos mentis, sicut *Collyrium* oculos carnis. Ps. cxviii. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, id est, affectionibus meis. & Psal. xi. *Eloquium Domini examinatum, probatum terra*, id est, à terra purgatum *septuplum*: hoc dicit, quia perfectè purgat à culpa; *Non herba, neq; malagma sanauit eos, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia*. Ad idem spectat, quod *Collyria* dici possint *Præcepta*, quæ sensus spirituales illuminant, psalm. xvi i. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Prætereà, per *Collyrium* significari potest quælibet *Tribulatio*, quæ per amaritudinem, sensus spirituales purgat ad videndum lucidè spiritualia, Threnor. i 13. *De excelso misit ignem tribulationis, & erudiuit me*, maculam videlicet auferendo à spiritualibus oculis; *Pœna enim oculos aperit, quos prosperitas claudit*, inquit Papa Gregorius. Ad hæc, *Collyrium* sunt *Dona Spiritus sancti*, quæ recepta in corde hominis, expellunt omnē amorem terrenitatis. Sophoniæ iii. *In igne Zeli mei*: id est, Spiritus sancti, quem ex zelo, id est, amore, homini misi, *deuorabitur omnis terra*. Hoc *Collyrium* suaue est nihil habens mordacitatis: cetera mordacia sunt. Deinde, *Collyrium* est *Passionis Dominicæ memoria*. De felle quodam fit bonum Collyrium. Per fel autem significatur *Passio Christi*. Tobiæ vi *tolle tecū ex felle piscis*. Piscis assus Christus passus, vel Christi Passio; ideo huius Collyrij compositio, atque contemplatio, integram cōmendationem post hæc.

Munditia cordis. *Imitatio Christi.* *Meditatio.*

Captiuatio intellectus. *Verbum Dei.* *Præcepta.* *Tribulatio.* Notæ. *Spiritus S. dona.* *Memoria Passionis.*

NO-

NOTAE.

§. COLLYRIVM propriè est medicamentum oculorum. Non tamen solis oculis adhibetur, sed aluo etiam subijcitur, in cura equorum & boum, ex Columella lib VI. cap. 6. vbi inquit, Collyria immittũtur aluo. Dicitur etiam Collyrium quoddam terra samiæ genus: quod eius vsus præcipuè sit in Collyrijs. Vide Dioscorid. l. v. Plinius lib. XXI. c. 20. mentionem facit Collyrij ex croco. Collyrio, ait, vni etiã nomen dedit ex eo quoq; expresso vnguento crocino: quod crocomagma appellãt. Habet suas vtilitates contra suffusiones oculorũ. Idem lib XXIII. cap. 4. Nuclei palmarum cremati in fictili nouo cinere, loto, spodij vicẽ efficiunt miscenturque Collyrijs.

§. OCVLI præstantia.] Hanc probat Philosophus. 1 quia tenuioribus, & à materiæ fæce liberioribus, & nonnisi per diaphanum illustratum transmißis imaginibus ad functiones suas vtitur. 2 nullam realem immutationem ab obiecto recipit: sed tantùm notionalem: nec enim; v g. exalbescit, viso colore. 3 eius actio celerrima est. fit enim momento. 4. è longiori tractu res attingit. 5. plures rerum differentias comprehendit. Visu namque totius mundi fabricam, & ornatum intuemur, lucis pulcritudine fruimur, colorum varietatem distinguimus, corporum omnium magnitudines, numerum, figuram, propositionem, situm, motum, quietem assequimur. Ideò ad cognitionem inuentione propria parandam oculus est aptißimus. Legendus Plato in Timæo. Philo de specialibus legibus: Augustinus de quantitate animæ cap. IV.

ET quoniam oculi sunt maximè necessarij, idcirco naturæ auctor mirificè prouidit ne facilè lædantur. Ideò concauis foraminibus inclusit: & genis, & palpebrarum tegmine circumuallauit, quibus, occurrentibus noxijs, [illegible]: tum supercilia addidit pilis breuibus adornata pariter, ac alternè mobilia, quæ sudorem à capite, ac frontem diffluentem repellant.

§. VISVS sensuum carissimus.] DEVS, vt ostendat, quàm sibi sint cari homines quidam, oculorum pupillis eos comparat. Zachariæ II. 8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Aut, vt alij, lædit me ipsum: seipsum. Deuter. XXXII. 10. dicit Moses, Deum custodiuisse populum, sicut pupillam oculi sui. Ecclesiastici XVII. 18. adfirmatur de eodem; quod gratiam, id est, collatum in alios beneficium, seu eleemosynam, quasi pupillam conseruabit: videlicet, vt rem sibi carissimam. Vel, vt alij, quod sic eleemosyna conseruet gratiam. Rogat Dauid Psalmo XVI. 8. Custodi me, vt pupillam oculi.

§. COLLYRIVM, Pœnitentia.] Hugo Cardinalis. Collyrium est Pœnitentia, quæ per compunctionem clarificat sensus cordis, sicut Collyrium per lacrymarum effusionem oculos carnis. Ieremiæ IV. Laua à malitia cor tuum; vt salua fias.

§. COLLYRIVM, Humilitas.] Tale Collyrium erat lutum, quo Christus in cæco illuminando est vsus: indicabat enim fragilitatis, miseriæq; considerationem. Ambrosius lib. III. de Sacram. cap. 2. Tibi imposuit lutum: id est, considerationem fragilitatis tuæ. Hoc vtitur Ecclesia dum puluere caput inungit: additq;: Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Sunt cæci quidam à natiuitate, ob natales, stemma, maiores: fragilitatem suam non vident, fastu, ac superbia efferuntur: quæ vera sit nobilitas non cernunt. Quod remedium? Collyrium ex luto. Considerent fragilitatem, ac vilitatem suam ex puluere, aperient oculos. Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.

Hanc Interpretationem Benedictus Pererius existimat maxime conuenire illi loco Apocalypsis. Nam Episcopus Laodicensis laborabat maximè sui ignoratione. Cùm enim esset pauper

ger, nudus, cæcus, se diuitem, nulliusq́; rei egentem existimabat.

§. COLLYRIVM, Conceptus rerum humanarum.] *Plinius lib.* x *cap.* 4. *Pugna est cum ceruis Aquila: multum puluerem volutatu collectum Aquila insidens cornibus cerui, excutit in oculos pennis ora verberans, donec præcipites in rupes. Idem facit Mundus, & Dæmon, puluerem cupiditatum in oculos iactando, & excæcando, à quo non nisi* Collyrio *despicientiæ, & contemptus liberamur.*

§. COLLYRIVM, Verbum Incarnatum.] *Sedulius lib.* IV. *Carmin.*

——cognoscite cuncti
Mystica quid doceant animos miracula nostros
Cæca sumus proles, miseræ de fœtibus Euæ,
Portantes longo natas errore tenebras.
Sed dignante Deo, mortalem sumere formam,
Tegminis humani facta est de Virgine nobis
Terra salutaris, quæ fontibus oblita sacris,
Clara renascentis referat spiracula lucis.

§. COLLYRIVM, Tribulatio.] *Isaiæ* XXVIII. 19. Vexatio dat intellectum. *Ieremiæ* XXXI. 18. Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus. *Deuteronomij* VIII. 5. *Moses, cùm populi molestias recensuisset:* Vt recogites, *inquiebat,* in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, castigando, sic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt custodias mandata Domini DEI tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum.

Prouerb XIII. 24. Qui parcit virgæ, odit filium suũ. Qui autem diligit illum, instanter erudit: *videlicet flagellis, ac increpationib. Legendi auctores S. Basilius Hom.* XI. *Hexaë. Ambros. lib.* V. *hexaëm. Augustinus in Regul & epistola* CIX. *Hugo de claustro animæ, lib* I. *cap.* 4. *Laurentius Iustinianus de interiori conflictu cap.* 3. *De vita Solitar cap.* 7. *De human cap.* XLI. *S. Thomas* 1. *part. qu.* LXXVIII. *Art.* 3. *Tiraquellus lib.* 11. *connubialium à num.* 3. *Petrus Fonseca lib.* 1. *Metap. cap.* 1. *Conimbricenses lib.* 11. *de Anima cap.* VII *quæst.* 6. *Iulius Mazarinus Sermone* IV. *in psalmum* Miserere. *Celsus lib.* VI. *cap.* 6. *vbi super varijs Collyriorum cõpositionibus ad diuersos oculorum morbos accommodatis copiosè, ac disertè disputat.*

Editus est libellus, anno M D. CXV. *à Patre quodam Societatis* IESV, *titulo,* Quadriga pietatis: *cuius quarta pars inscribitur* COLLYRIVM spirituale.

Edidit etiam Collyrium, *& dedicauit Regi Britanniæ Iacobo* VI. *Caspar Scioppius; in quo falsa multa, ac dentata.*

COMMENTATIO XIX.

DE

Collyrio,

Ex Christo passo composito.

In quâ disputatur, quis ille Piscis fuerit, è quo, confecto Collyrio, Tobias iunior sanitatem oculorum seniori restituit. Nominatur Callionymus: cum quo comparatur Christus, qui Piscis nominatus fuit ab antiquis. Passionis autem tempore id nomen illi maximè conueniebat. Ex eius Corde, id est, amore immenso: ac Iecore, quod virtutum solidarum est figura; & Felle, hoc est, dolorum acerbitate, conficitur Collyrium præstantissimum, quo omnia oculorum vitia curantur.

Dominica in Passione: in Palmis, & qualibet Feria hebdomadæ Sanctæ.

Festo Exultationis, aut Inuentionis S. Crucis.

Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Philip. II. 8.
Collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Apocal. III. 18.

Collyria diuersi generis.

PLVRIMA sunt, quæ ocularium morborum curationi deseruire possint *Collyria*, vt medicæ disciplinæ, & naturalium rerum Scriptores accuratè persequuntur. Sed inprimis inter omnia laudatur *Collyrium* ex felle piscis Callionymi. Sanè fel ad medicamenta in oculorum vitijs valere non semel docuit Plinius, lib. XXVIII. cap. XI. *Felle, inquit, tauri cum oui albo Collyria fiunt, aquaq; dissoluta inunguntur per quatriduum. Fel caprinum multis modis assumunt cum melle contra caligines: cum veratri candidi tertia parte contra glaucomata: cum vino, contra cicatrices; & albugines, & caligines, & pterygia, & argema.* Et qui copiosè de Collyrijs scripsit Cornelius Celsus, ad illa componenda, acribus medicamentis, & felle vtitur, quod si sit Callionymi, putant esse efficacissimum. Eius enim fel cicatrices sanat, & carnes oculorum superuacuas cõsumit, ait Plinius, lib. XXXII. cap. 4. *Nullum hoc piscium copiosius, vt existimat Menander quoq; in compelijs. Et coracini fel excitat visum, & marini scorpionis ruffi, cũ oleo vetere, aut melle Attico, incipientes suffusiones discutit. Eadem ratione albugines oculorum tollit.*

Plinius lib. 28. cap. 2.

I DEM

Galen. l.10.

IDEM confirmat Galenus lib. x. de simplicium medicamentorum facultate c.12. *Quorundam*, scribit, *animalium singulariter bilis in Medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionem initia digerat, veluti piscis, quem vocant* Callionymum, *hyenæ, & scorpij marini, tum galli, & perdicis.* Primas hic defert Galenus felli piscis Callionymi, secundas Hyenæ: cōsentit Ælianus, libro XIII. cap. 4. Rasis lib. IX. cap. 27. Odoardus Oxoniensis de animalium differentijs. Hæc cùm ita se habeant, existimant graues auctores, piscem, quem è Tygri flumine Tobias iunior, Angelo iubente, extraxit, fuisse *Callionymum*, cuius fel præcipuum est oculorum medicamentum. Tum quia piscis ille est vastus, carniuorus, immanis, serratisque dentibus, &c, vt auctor est Alēs. partim libr. II. de animalibus, littoralis, partim ἡμεροκοίτης, interdiu dormiens; Tum quia fel ipsius oculorum albuginibus est imprimis salutare; Tum quia aliorum piscium designatio minus est cōueniens. Nam, qui putāt fuisse balenam, non animaduerterunt illi branchias nō esse, quibus piscis à Tobia apprehensus est: qui Crocodilum nominant, non videntur legisse, crocodilos totos in terra dies agere, vt penè terrestre sit animal, piscis autem Tobiæ, extractus ex aquâ, palpitauit: qui *Lucium* piscem designant, allegoriæ magis, quàm litteræ seruiunt, & mystico sensui patrocinantur.

Piscis Tobiæ Callionymus. — *Qualis piscis Callionymus.* — *An balena?* — *Crocodilus?* — *Lucius?*

Callionymo significatus est Christus

IAM verò, vti præstantissimum fit ex felle Callionymi, ad oculorum morbos curandos, medicamentum, *Collyrium*; ita, ad animi ophthalmiam arcendam, ex *Christo passo* parari *Collyrium* constabit, si & illo pisce, Dominum quodam sensu figurari, & aliquid in Saluatore patiente esse, quod felle illius ocularij Ophthalmici effectus habeat, probatum fuerit. Non me quidem latet, Venerabilem Bedam in allegorica expositione libri Tobiæ, per illum piscem intelligere Diabolum, qui Leuiathan dicitur, ac in mari verè versatur, vt apud sanctum Hieronymum in Isaiam XXVIII. Ezechielem XXXII. Iudæi asserunt: Eum autem Christum in cruce cepisse, traxisse, & exenterasse, id est, vafritiem illius, ac nequitiam fidelibus aperuisse, & quasi arcana insidiarum, ex penetralibus, ac visceribus eruendo, exenterasse. Tres quoque illius partes reseruasse, *Cor, Fel, Iecur.* *Cor* quidem, quoniam calliditatem ipsius sacræ Scripturæ monumentis inuoluit. *Fel*, quia quanto malitiæ furore contra genus humanum sæuiret, propter cautelæ custodium scribi voluit. *Iecur*, quia malignam consiliorum eius aduersus humanum genus concoctionem declarauit; ferunt enim, calore iecoris occulta ciborum concoqui.

Cor, Fel, Iecur.

NIHILOMINVS, placet magis, quod habet Diuus Augustinus, sermone IV. in festo SS. Petri, & Pauli, vbi ita disserit. *Est Christus Piscis ille, qui ad Tobiam ascendit de flumine viuus, cuius iecore per Passionem assato, fugatus est Diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus est cæcus, & illuminatus est mundus.*

S. August. lib 18. de Ciuit. c.23. & de Baptismo cap 1. Christus Piscis.

Eadem allegoria vtitur S. Prosper libro de promissionibus & prædictionibus parte II. capite 39. Litteræ autem omnes, quibus Græcè *Piscis* exprimitur, ἰχθὺς, acrostichidem egregiam dant, qua exprimitur IESVS *Christus Dei Filius Saluator*: ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, quæ sententia reperitur in Sibyllæ Erythreæ versibus. Harum autem quinque dictionum Græcarum, si primas litteras iungas, vt notat Augustinus XVIII. de Ciuitate cap. 22. cōficietur vocabulū, ἰχθὺς, id

id est, *piscis*, in quo nomine mysticè intelligitur *Christus*, eò quòd in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate viuus, hoc est, sine peccato, esse potuerit, vt idem Pater loquitur. Allusit huc Tertullianus libro de Baptismo. *Nos*, inquit, *pisculi secundum*, ἰχθὺν nostrũ IESVM, *in aqua nascimur: nec aliter, quàm in aquâ permanendo salui sumi*. Optatus etiam Mileuitanus Libro III. contra Parmenianum. *Hic est*, (ait) piscis, *qui in Baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt qua aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen, secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas litteras turbam Sanctorum nominum continet*; ἰχθὺς, *quod est Latinè* IESVS Christus *Dei Filius, Saluator*.

SI AVTEM vnquam aliàs, certè Passionis tempore, velut *piscis* egit Dominus, tribulationum aquis immersus, in quibus ipse tanquam *piscis* mutus, non habens *in ore suo redargutiones*, os suum non aperuit. In libris quoque carminum Sibyllinorum lib. VIII. & apud Eusebium in oratione Constantini capite XVIII. versu VI. versus referuntur, de quibus à nobis facta est mentio, & adduntur aliæ litteræ, quæ reddunt vocabulum, Crux: quasi in Cruce *Christus* sit ille *piscis*, de quo tam varia est prædictio. Carmina à quam plurimis exscripta recensere non attinet. Illud minimè prætereundum, Eusebio teste, Ciceronem, cũ istud poema fortè perlegisset, in Latinum sermonem conuertisse, suisque scriptis intexuisse. Nec ineptè non nemo existimat, piscem assum, quo suos Christus refecit, Ioannis XI. 9. quando piscatores descendentes in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem, Christum ipsum significasse. Sic namq; scribit Euse. Emiss. aut quisquis auctor fuit homiliæ, quæ illius nomen præfert: *Hoc cibo Christi piscatores, & prædicatores semper recreantur, & vires suscipiunt, quotiescunque fatigati ab hoc opere redeunt. Quoties enim prunas, & piscem super prunis positum, quoties Christi Passionem recordantur, toties laboris & fatigationis, & omnium suarum angustiarum obliuiscuntur. Quis est enim piscis prunis assus, nisi Christus in Cruce passus? quis est panis, nisi Euangelica prædicatio, quia eos Dominus reficere solebat; Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matthæi x. 28. Nisi velis dicere, ignem, amorem esse Spiritus Sancti: *Piscem*, & *Panem*, *Christum*, id est, hominem simul, ac Deum, quem sensum S. Cyrillus suggerit.

Ex hoc ergo Pisce, in Passione exenterato, medicamentis aptissima sunt omnia quidem sed potissimùm, *Cor, Iecur, Fel*: *Cor eius, & fel, & iecur repone tibi*, aiebat Tobiæ Angelus, cap. VI. 5. *sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter*. Quare, cap. VIII. 2. recordatus Tobias sermone Angeli, protulit de cassidili suo, partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos. Quod ad Passionem Domini referendum manifestè docet Prosper lib. de Promiss. & Prædiction. par II. 39. Magistrum suum Augustinum secutus: *Mysticum*, ait, *actionis huius hoc est, quod ex interioribus piscis, & Dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus ex Passione sua Christus purgans Mariam, à quâ expulit septem dæmonia*; & deindè: ἰχθὺν *namque latinè* piscem *sacris Litteris maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis versibus colligentes, quod est*, IESVS Christus Filius Dei Saluator: *Piscis in sua Passione decoctus, cuius ex interioribus remedijs quotidie illuminamur, & pascimur*.

Christi cor.

COR CHRISTI passi, id est, amoris nũquam

Cor Amor. Iecur Virtus solida. quã satis explicandi immensitas, quæ in Passione potissimum sese exeruit: & *Iecur*, purissima virtutum solidarum decoctio prunis meditationum, in quibus exardescit ignis, ex his ascendat, sicut virgula fumi, optimus odor in conspectu Domini, *omne Dæmoniorum genus extricabitur, & extrudetur.* Hæreat semper in mente caritatis flammis accensa, & amor quo te dilexit, qui pro te passus est; & virtutum diuersarum, imò omnium exercitatio, ac pinguedo, quibus Passionem suam adornauit Dominus, nullum erit medicamentum ad internos hostes abigendos, nulla herba, vel potio, ad educenda ex animo noxia omnia, nullum alexipharmacum ad febres peccatorum leniendas, nullus exorcismus ad Dæmones expellendos, efficacius.

Fel passi Christi. SED ex *Felle* imprimis conficiatur *Collyrium*. *Fel* interpretatur Cruciatuum omnium toto Passionis tempore toleratorum amaritudinem, felle ipso vero significatam, quod ipsi propinatum est, cum dederunt ei vinum bibere, cum felle mixtum, Matthæi XXVII. siue enim fuerit vinum felle infectum, siue ita vocetur, quoniam amarum erat: quia solemus quicquid amarum, vel fel, vel felle mixtum appellare; certè ostẽdit temporis illius amaritudinem, atque acerbitatem; de quâ multò antè prædixerat Propheta: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto*, Psalmo. LXVIII. 22 Hæc amaritudo, tanquam felleum emplastrum oculis intellectus applicetur; perpetuò hæreat in cogitatione, semper internis obuersetur luminibus. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ* (inquit Dominus) *absynthij & fellis*, Threnor. III. 19. Cuius videlicet in poculum ebiberat, vt verè dicere posset: *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio*, Thren. III. 5. Nempe natio improborum, vel, vt vertunt LXX. *Saturauit me amaritudine, inebriauit me felle*; sunt enim fel & absynthium paris amaritudinis, quibus Christus inebriatus fuit ab impijs, copiosè potatus, ac saturatus. *Vua enim illorum*, id est, vinum quod propinabant, erat *vua fellis, & botri amarissimi: sed draconum vinum eorum, ac venenum insanabile*, erat inter illos *radix germinans, fel & amaritudinem*, Deuteronomij XXIX. 19. Quæ Saluatori conueniunt, qui, ex quo natus, toto vitæ tempore, nunquam amaritudine caruit, ad vltimum vsque spiritum; sed in Passione præcipuè, quod ipse testatus est. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: & vltima tandem hora felle potatus est. Huius fellis & amaritudinis recorderis, id est, tanquam *Collyrium* mentis oculis apponas, vt dicere possis cum eodem Propheta: *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, hæc recolens in corde meo: ideo sperabo.* *Ier. Thren. 3. 20.* Hic fructus *Collyrij*, apertio oculorum, vt agnoscas peccati amaritudinem, eius pœnam, tuamque infirmitatem, indeque spem remissionis, ac gratiæ concipias, nunquam obliuiscaris, semper recolas. Reminiscentia fellei calicis, quem tui gratia Christus exhausit, & cognitione practica, atque affectuosa penitissimè cordis tui latebras penetrabis, & humiliabitur, conteretur, pauescet ac liuescet anima tua, pudore, timore, dolore, vt exclamare cogaris: *A fortitudine manus tuæ ego defeci, in increpationibus, propter iniquitatem meam corripuisti hominem*, iustum, & sanctum, nihilque mali meritum, *& tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Ideoque & tabescet anima tua. Hebraicè est: *Incuruabitur*, humiliabitur, pudore, ac metu deijcietur, & consumetur. Symma-

chus reddit, *secum loquetur* ἑαυτῷ προσ-λαλῶν, accusans se ipsam, & sortem suã miserans, deploransque, quod cæcitatẽ suam hactenus non agnouerit. LXX. Interpretes habẽt καταδολεσχήσει ἀδολεσχεῖν. secum tacitè murmurare, multa queri & cogitationibus disserere incipiet, ob futuri temporis pudendam ignorantiam, recolensq; in corde, & subinde memoriam renouans tot amaritudinum, meritò spem diuinæ misericordiæ cõcipiet.

Quomodo Collyrium Passionis adhibendũ. HOC *Collyrium* ex felle Passionis non tantum leuiter applicari mentis oculis, sed penitus infigi vult Paulus, aut potius, eo oculos inuolui. Ita enim accipio illud Hebræorum XII 3. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Recogitate,* inquit, id est, sedulò, diligenter, animo ac cogitatione versate, imprimite mentibus, semper hæreat, nunquã excidat, singulis momentis sitis memores; Theodoretus legit, ἐπὶ αὐτόν, & positum putat pro ἐπὶ ἑαυτούς: quasi dicat, apud vos ipsos considerate.

Passionis meditatio. oculos mentis illuminat. Tom. 7. li. 4. Comp. Theol. c. 20. OPTIMVM itaque est oculorum internorum *Collyrium* amarissimæ Passionis memoria, quod mentis oculos purificat & illuminat. Ita censet Diuus Bonauentura, qui inter ceteros Passionis effectus versibus comprehensos, & alibi à nobis explicatos, hunc etiam celebrat:

A culpâ reuocat, reserat, illuminat, ornat.

Deinde, explicat, *illuminare*, sicut fel piscis. Idem placet Cardinali Hugoni, vt supra declaratum est, nec non Prospero, cuius est grauissima authoritas.

Quomodo applicandũ Collyrium. NOTANDVS autem est modus, quo *Collyrium* fellis Tobias cæco applicauit *Sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui, & sustinuit, quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi: quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimq; visum recepit.* Tobię XI. 1. inunxit, vel illinijt. sic in græco est, ἐνέχρισεν, καὶ προσέπασεν: *inungere, & illinere,* vel aspergere, quod non est leuiter applicare. *Collyrium* ex Passionis Domini felle illinendum est mentis oculo, quod Collyrijs propriè conuenit.

Hæc oculis ego nigra meis Collyria lippus
Illinere, aiebat vates. *Horat. lib. 1. Sermo saty. 5.*

Illinere autem est affricando vnam rem alteri inducere, vt illam obtegat, quæ illinitur. Passionis memoria tegat planè rationem & intellectum, si tenebras, & albuginem ex eo vis educere. Deinde, ita illinijt, vt morsus sequeretur, quod ad vim *Collyrij* pertinet, inunctos enim aspersosq; oculos mordet medicamentum, quem dum sentiret cæcus, albugines ipsas confricuit, detersit, abiecit. Sic enim dixerat Iuniori Tobiæ Raphael; *Tu fel vnge in eius oculos:* Vt verò morsi, punctique sunt oculi, eos confricuit, & ab eorum canthris seu angulis albugines, squamarum instar, deciderunt; quam vim naturalem fellis illius cognoscunt scriptores eruditi, ideoque naturale fuisse Tobiæ, sed supernaturaliter monstratum remedium, quibus assentior. Inungenda est mens, Passionis *Collyrio*, vnde inde morsus sequatur compassionis, vt sentiatur imitatione acerbitas, vt passo condoleamus, & *sequamur vestigia eius.* Sic perfectè Ophthalmiam curabimus.

NOTAE.

§ COLLYRIA *diuersam habere materiam ex quâ, docet Plinius lib.* XXVIII. *cap.* 11. *Vbi scribit:* Oculorum epiphoras, id est, delacrymationem, & pituitæ cursum bubulo seuo cum oleo cocto illinunt.

nunt Ceruini cornus cinere scabrities eorum inungũt: mucrones autem ipsos efficaciores putant. Lupi excrementis circumlini suffusiones prodest. Cinere eorum cum Attico melle inungi obscuritates. Item felle vrsino. Lupino adipe, vel medulla suum fricari oculos contra lippitudinem præcipiunt. *Plura alia ibi Plinius, qui sua & Menandri auctoritate fel Callyonimi commendat.*

§. PISCIS Tobiæ.] *Quis hic fuerit certatur. Legendi Franciscus Vallesius de sacra Philosophia cap.* XLII. *Serarius Tobia* XI. *Quæst.* 2. *Blasius Viegas in Apocalypsin. ca.* III. *Comm.* III. *Sect.* 4. *Delrio lib.* II. *Disquis. Quæst.* XXX. *Sect.* 3. *Probabile est fuisse Callionymum: aptũ Christi symbolum imprimir, si nomen spectes. Est enim idem, quod pulcri nominis. Estne pulchrius, & amabilius nomen, quam* IESVS.

Nomen cum violis, rosisq; natum.
Nomen nectare dulcius beato.
O suaue, ô etiam redimendum vulnere nomen.
Nempe latet IESV nomine cara salus.
Nescio quid sonus ipse refert, nec posse beatas
Dulcius hoc aliquid credo sonare animas.

Dicitur etiam Vranoscopos, quod habeat oculũ insignem in capite quo cælum spectat. Quod Christo in Cruce cælestia spectanti perbellè conuenit.

Sapientes Hebræi asserunt Piscem Tobiæ fuisse Lucium: qui sic dictus, quod luci faueat, soli respondeat, solaris sit, & ad sanitatẽ conducat, vt solaria omnia. Hæc Christo melius, quam Lucio pisci, fortasse per antiphrasin sic dicto, aut Lupo potius accommodari possunt. Legendi Franciscus Georgius Tom. VI. *Problemat. Problem* CLXXXV. *Rittershusius, halieutic. Gesnerus, & Vlysses Aldourandus de Piscibus.*

COMMENTATIO XX.

DE

Vi Medica Eleemosynæ.

In quâ explicatur, quomodo Eleemosyna sit Chymia medicinalis: & quomodo animæ morbis, ac vulneribus medeatur. *Primò*: Vt lauacrum mundans, ac purificans; tum à macula peccati mortalis & venialis; tum à tabo animæ; tum à reatu pœnæ. *Secundò*: vt Herba medica. *Tertiò*: vt Hydria purificationis. *Quartò*: vt Theriaca. *Quintò*: vt Amuletum contra fascinum laudis & liuoris. *Sextò*: vt Emplastrum. *Septimò*: vt vnguentum ex oleo. *Octauò*: vt Illex Medici cælestis. *Nonò*: vt remedium Sterilitatis.

Dominica VIII. post Pentecosten.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Lucæ XVI. 9.
Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Lucæ XI. 41.

MAGNVS

Auri vis maxima.

MAGNAS multiplicesque commoditates Aurum parere nulli est dubium. Auro in hominum commercijs est principatus. Auro nobilitas emitur: seruitia, clientelæ, regna ipsa comparantur. Cuncta sibi obnoxia aurum reddit. Cui aurum est plurimum, illi, quicquid inuenitur in vniuerso, sensibus subiectum, seruit: artifices, milites, nobiles. Nihil tam arcta detinetur custodia, nihil tantis munitum est præsidijs, quo non irrepat aurum. Arcem munitissimam, armis inexpugnabilem, miles, quamuis inermis, & imbellis occupabit facillimè, si asinum auro onustum, tanquam metatorem, possit præmittere. Nota est fabula imbris aurei in turrim vndique occlusissimam illabentis.

Ad sanitatem conducit.

SED hæc non tanti æstimanda essent, nisi ad sanitatem etiam, quæ omnibus præferri solet, conduceret. Ista auri vtilitas est longè maxima, & natiua, quæ ab hominum æstimatione non pendet, neque vllius maligni detractione minui potest; quod vim salutarem ad morbos abigendos, valetudinemque firmandam habeat. Eam autem non nisi auro vero, ac in terræ visceribus generari solito conuenire docent Medici. Quorum aliqui, quamuis opinentur, in Alchymistarum fornaculis auri veram substantiam effici posse: & credibile admodum esse, aliquando non mendacem fului illius metalli speciem Chymicorum arte prodijsse: tamen negare coguntur omnes, ob Theologorum consensum, cuiquam esse licitum, aurum ea arte productum, pro vero, naturalique auro vendere, vt quis in medicamentis eo vtatur. Nam aurum illud, vel nunquam habet proprietates auri veri; vel tam rarò, vt censendum sit, id non contingere. Ideoque putandum, quod veri auri vires salutares non obtineat. Nec qualitatibus ijs noxijs ab igne carbonario, & venenato hydrargyro contractis carere sibi persuadent viri docti.

NOTÆ. *Aurum Chymicum.*

Auri Eleemosynarij vis præstantissima.

PORRO maior est, Auri (quo nomine hic significamus, quicquid pauperum vsibus addicitur) virtus, & vtilitas, si Eleemosynæ titulo, egentibus distribuatur. Huius enim ad omnia ea est potestas, & fructus tam multiplex, vt de eo plena manibus terantur grauissimorum auctorum volumina. Chrysostomus sanè integra homilia, longa, lataque ad populum Antiochenum, quæ est XXXIII. demonstrare nititur, Eleemosynam esse artem, eamque quæstuosissimam. Exorditur in ea insolito quodam modo tripudians. *Eia, carissimi, hodie,* inquit, *ostendamus, qualiter est ars, omnium artium lucrosissima Eleemosyna. Si enim artis est proprium, ad aliquam vtilitatem peruenire: Eleemosynâ autem cum nihil sit vtilius: clarum est profectò, quod & ars, & omnium sit artium optima.*

Homil. 33. Eleemosyna Ars quæstuosa.

IMITEMVR Chrysostomum, exiles licet, maximum: sed intra terminos Artis medicæ, quos spontè nobis fiximus. Eia, Dilecti, hodie demonstremus, qualiter sit *Medicina* inter tot alias hactenus propositas efficacissima *Eleemosyna.* Si enim Medicinæ est proprium sanitatem inducere, vel conseruare. Eleemosyna autem remedium ad hunc finem, cùm sit singulare & eximium: clarum est profectò illam inter medicamenta non postremam, sed præcipuam censeri debere. Ejus autem vim multiplicem ex diuinorum oraculorum fontibus primo deducendam duximus. Si tamen prius Chrysostomi, tanquam optimi Doctoris auctoritate moti, eam artium illarum celeberri-

Eleemosyna Medicina. NOTÆ.

berrimarum, quæ à Medicis in precio habentur, non infimam ponamus. Nam id probare non est ocium.

Chymica Medicorũ. INTER artes, facultatesue, quæ Medicinæ ancillantur, est Chymica: non illa Chrysopœija, quæ, vel ex aspersis pauculi pulueris aurei ramentis aurum multiplicare se spondet: vel ex non auro, aurum se producere posse iactitat: sed quæ medicamentorum exquisitiorem apparatum promittit, atque efficit: quæ quintam quandam, vt appellant, essentiam extrahit. quæ aurum ipsũ reddit potabile: rem non minus vtilem ad sanandum, quàm ad alendum: & quo ad fieri potest, vitam prorogandam. Si quidem spiritus subtilissimos ex metallis, gemmis, plantisque eliciens: quo puriora, hoc efficaciora remedia præbet. Eadem metalla depurgat, segregat, perficit: lapides conflat aquam elicit: ignem vegetat: & in igne vegetato, ac quasi perennato specimen edit artis, & efficacitatis suæ in humana vita propaganda.

HANC artem, qui profiteretur, eamque certissimam non experimento minus, quam ratione probaret, & facilem eius addiscendi, atque exercendi modum traderet, quàm ille semper numerosam haberet concionem, quàm attentos discipulos, quot comitatus asseclis per plateas volitaret? quot artis illius vitam tam diu propagandi studio tenerentur? Et tamen, non nisi vitam hanc mortalem, & momentaneam produceret. At ego doctrinam illam, quæ cælestis Medicinæ pars est, & aurum potabile, non tam citò promittit, quàm efficit, vitamque in omnem æternitatem prolongat, ideò nunquam finiendam, omnes me docere velle profiteor. Quam pauci tamen seriò in disciplinam se dant, vt Artis reuera mirabilis magisterium nanciscantur!

Chymica spiritualis, distributio eleemosynarum. ARS illa non est alia, quam doctrina de distribuendis eleemosynis, aut ipsa eleemosynarum elargitio. Hæc enim est spiritualis quædam Chymica, cuius vi, aqua pauperi oblata in vinum sanitatis, plumbum in argentum, stannum in aurum commutatur. Eadem, aurum reddit potabile: vt non solum accipienti prosit ad mendicitatis remedium: sed etiam danti conferat ad valetudinis medicamentum. Spiritus subtilissimos ex metallis, gemmis, plantis, ac vilissimis quibuscunque rebus educens, qui in ipsum cælum penetrant, iuxta illud: *Orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: quo subtiliora, hoc puriora, & quo puriora, hoc efficaciora remedia animabus præbet. *Act. 10. 4* Metalla vilia ante & lutulenta, omni concretionis terrenæ fœce ablata, detractaque scoria depurat, ac cælo digna reddit. Lapides obstinationis mollit, & conflat. Aquam vitalem elicit. Ignem caritatis nutrit, ac vegetat. Nec minus vitalem gratiæ flammam in homine cõseruat, quâ perpetuata specimen edit artis, & efficacitatis suæ in humana vita propaganda. Quod Eleemosynæ est proprium, quæ vitam æternam meretur, si fiat ab homine iusto, ac in gratia existente, vt constat ex Tobiæ XII. *Eleemosyna à morte liberat: & ipsa est, quæ purgat peccata.* *Tob. 12. 9.* Qui faciunt eleemosynam, & iustitiam, saturabuntur vita. Psalmo XXXIV. *Ps. 34. 40* *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Ps. CXI. *Ps. 111. 9.* *Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.* Prouerbior. XIV. *Prouerb. 14. 21.* *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Prouerb. XXI. *Prouerb. 21. 21.* *Qui sequitur iustitiam, & misericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam.*

OLIBII Maximi liquor celebratur à Medicis Chymicis, illum enim arte sua perfectum existimant. Eius autem beneficio lucerna multis seculis fuit conseruata ardens: De quo scribit Bernardus Hardeonus in historia Patauinâ: & refert Patauij ante annos aliquot vrnam fictilem effossam, & intra maiorem repertam esse minorem, in qua duæ ampullæ erant affabrè elaboratæ; argentea vna, aurea altera, purissimo ambæ liquore plenæ, quo lucerna multis iam annis per secula aliquot conseruabatur. Diutius multò Eleemosyna, quàm vllus liquor arte Chymica sublimatus, distillatus, calcinatus, præcipitis vitæ ac deficientis lucernam prolongabit, cum in æternitatem producat.

Osualdi misericordia. Marulus lib. I. cap. 2.

IMO, carni quoque perennitatem tribuit. Quod probauit Osualdus Rex Britanniæ, qui miserorum turbam quotidie ad se in atrium confluentem alebat. At cum die quodam maior esset accurrentium multitudo, quàm ciborum copia, ne illos, qui supererãt, vacuos dimitteret, totidem argenti fragmentis, escaria lance in particulas commutata, donauit. Fortè aderat Adrianus Lindisfarnensis Episcopus, ac miratus liberalitatem, Regis dexteram apprehendens, exosculatur, hoc addito, vel elogio, vel vaticinio: Tam promptam in dando pauperibus manum non debere senescere. Fuisse oraculum probauit euentus. Nam hodieque integram in monumento illibatamque seruari scribunt auctores non suspectæ fidei. Nimirum, Eleemosyna est medicamentũ immortalitatis, quod dum incorruptionem corpori mirabiliter præstat, animum beata immortalitate frui testatur.

Fons senium prohibens.

HÆC narratio cum sua appendice multo est certior, quam illa, cuius post Hieronymum Cardanum, auctor est Langius, epistolarum medicarũ septuagesima nona: In orbe nouo insulam repertam. Bonicam nomine, in qua fons scaturiat, cuius aqua vino preciosior pota, senium cum iuuenta commutet. Sed mortui tamen sunt istiusmodi iuuenes. Melior Eeleemosyna, quę senium internum prohibet, & iuuentutem æternat.

Imò iuuentam inducens.

Eleemosyna sanat, & alit.

VT autem aurum potabile, arte Chymica sublimatum, vtile est, tum ad sanandum, tum ad alendum: sic quoque Eleemosyna misericordiæ artificio in medicamentum versa, vtrumque præstat in anima. De Simone Monacho Sitionis filio legitur, cùm in cænobio, vbi demorabatur, vesperi tantum comedendi mos esset, viritimque cibaria distribuerentur, eum sæpe numerò nihil solitum delibare, sed cænulam suam integram seponere, ac secretò pauperculis eò ventitantibus offerre: hebdomadatũ interdum inediam perferentẽ, vt alijs magis egentibus alimẽta prębere posset. Verùm, cum tot diebus nihil gustaret, famem non sentiebat, fami aliorum prospiciens. Videlicet Eleemosynæ auro potabili saginabatur. Quærant Medici aliud remedium, quo diutius perferatur inedia. Nam negat Hippocrates li. de carnibus, vltra septimũ diẽ, famẽ naturaliter prorogari posse. Eleemosyna in plures hebdomades extẽdit.

Simon Monachus. Marulus lib. I. cap. 2.

Eleemosyna mundat.

SED iam penitius ipsam medicandi vim Eleemosynæ inhærentem inspiciamus. CHRISTVS, cælestis Medicus, cũ Pharisæos suscepisset curandos: illique malè olentibus auaritiæ sordibus, & fędis concupiscentiæ maculis, ac abominanda superbiæ lepra inquinati, vicinũ etiam aërem inficerent: neque aliud ad tot morborum mala auertenda adhiberent remedium, quam leuem quandam cutis

cutis extimæ lotionem: aliaque baptismata legalia, vnicum illis, sed planè singulare & efficacissimum præscripsit ad perfectam corporis, & animæ, ab omnibus maculis purificationem, remediū: vnicum contra tantam fœditatem medicamentum, Eleemosynam. *Quod superest, date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Lucæ, XI. 41. vbi: Quis non videt, inquit doctissimus interpres, Christum dare consilium, & tanquam MEDICVM, remedium præscribere? idemq; illud esse, quod Lucæ XVI. in simili prorsus caussa proponebat: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis* Et, quod Daniel Nabuchodonosori consulebat: *Peccata tua eleemosynis redime.* Prima igitur huius medicamenti vis est mundare, non corpus solum, sed & animam. Nam hæc duo complectitur vocula, *omnia.* Vt obseruat Euthymius. Nempe, id quod foris, & quod intus est, carnem, ac spiritum Quam autem sit singulare remedium indicant illa: *Quod superest, date:* Quorum sensum hunc esse putat S. Bonauentura, sequutus venerabilem Bedam: quod vnicum vobis remedium superest, nam nullum aliud est reliquum, hoc arripite: & date Eleemosynam. Non displicet tamen, quod opinantur alij, qui sic exponunt: Quod superest victui vestro, atque vestitui.

Ioan. Maldonat.

Lucæ 16. 9.

Daniel 4. 24.

Nihil superest cupiditati.

SED dicit quispiam: Mihi nihil superest: desunt plurima. Voluptati ac cupiditati nihil superest, fateor, etiamsi omnium opes in vnum congestas habeat. Voluptas Macedoni similis est, de quo Poëta:

Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis.

Sanguisuga est auarus: semper dicit, *Affer Affer.* Necessitati, ac temperantiæ supersunt multa. Mihi, si mendicandi potestas esset data, ac diuitum domos circumeundi, ingeminarem: *Quod superest, date, precor, mendicabulo Eleemosynam.* Respondentibus: *Nihil superest:* rogarem ego suppliciter: Quæso vos, claues mihi porrigite: sanctè promitto, me ex arculis vestris, non nisi superuacanea extracturum, necessaria relicturum omnia. Plurima sanè congererem in gratiam pauperum, magnumque diuitibus quæstum facerem.

Quomodo Eleemosyna mundet.

AT, quomodo, inquis, Eleemosyna mundat animam? Iam alias à nobis est demonstratum, duplicem esse animæ maculam: Vnam, lethiferam peccatis mortalis: alteram, fœdam quidem, sed minus noxiam, quæ est peccatum illud, quod vocamus Veniale. Adde, reatum pœnæ: quæ ad animæ valetudinem aduersam cū superioribus spectat. Omnibus his medetur, dum mundat Eleemosyna. Sed diuerso modo.

Macula Peccatum Mortale.

Veniale.

Quomodo veniale tollatur.

PECCATORVM venialium macula abstergitur Eleemosynæ datione, tanquā lixiuij cuiusdam acrioris ablutione (liceat vti plebeio, sed accommodato ad rem, de qua agimus, exemplo) quas ipsas sordes, næuosq; auferre, cutis asperitatem tollere, nitoreq; eximium solet inducere. Hoc non temerè à me dici intelligunt rerum diuinarum haud ignari, quibus compertum est in Ecclesiæ officina medicamentaria, præter septem illa morborum omnium alexipharmaca, quæ *Sacramenta* nuncupantur; alia esse minoris virtutis leuioribus curandis destinata remedia: quæ *Sacramentalia* Theologis dicuntur. His autem veniales culpæ delentur: vel ipsorum virtute: vel hominis iusti illis legitimè vtentis opere. Quod tunc fusius declarabimus, cum de his dicendi ordo peruenerit.

Inter quæ Eleemosyna

INTER Sacramentalia autē est Elee-

 mosynæ

mosynæ largitio. Cõmuniter enim nouẽ adsignantur, quæ habet Glossa in proœmio VI. *Verbo, Benedictionem*: & Hostiensis in caput, *Omnis vtriusque*: De pœnit. & remissione. *Primùm*, est Oratio dominica. *Secundum*: pia & religiosa pectoris percussio. *Tertium*: generalis peccatorum Confessio. *Quartùm*: largitio eleemosynæ. *Quintum*: Pontificia, seu Episcopalis precatio, qua Episcopus solenni ritu, ac ceremonia, signo crucis adhibito, bona ac felicia populo adprecatur, Benedictionem vocant passim plebei. *Sextum*: Ieiunium religiose susceptum. *Septimum*: Venerabilis Eucharistiæ perceptio. *Octauum*: Vnctio sacra. *Nonum*: Aqua lustralis, quæ dicitur, benedicta. Quocirca, largitione eleemosynæ, à peccatis venialibus, saltem ijs, quarum virtualem pœnitentiam concipimus, mundamur. Quod docet S. Augustinus in Enchiridio cap. LXXII. & LXXIII. ac LXXV. Tractatu etiam XII. in Ioannem, & habetur D.1. De pœnitentia *Cap. Medicina: & cap. Medicamentum*. In quibus & alijs adiunctis adducuntur multa ad id Patrum testimonia.

Monita: QVID hinc discant Adolescentes, ad quos potissimum dicimus? Hoc nimirum: quoniam quotidie sæpius, quam septies in peccata venialia labuntur, & eorum fœditate inquinantur. Hic lingua, garrulitate, fabulis nugacibus, verbis ociosis: quæ proferuntur nullo locorum discrimine, etiam in templo: nam scurrilia, inhonesta, turpia in mortalium ferè sunt censu. Alter nimio risu, oculorum curiositate, iactabundo corporis, ornatusque externi vanitate. Ille, edendo, bibendo, dormiendo. Alius, crine, pede, manu. Aliquis his omnibus, vt peccatis venialibus densius, quam vllus Lazarus vlceribus sit obsitus: totus scabiosus. Si liberari velit, à tam fœdis pustulis; dum occasio sese offert, & quando non sese offert? pauperibus benè faciat. Si non potest dare vinum, aquæ haustum donet. Si nummum non habeat, verbis benè precetur: si verba non suppetant, nunquam desit animus: doleat non esse, quod det: daturus liberaliter, si facultas esset Nunquam misellos asperioribus verbis insectetur: multò minus, verbera intentet. Caueat, ne quem paupertas premit, onus Aethna grauius, ipse onus cumulando opprimat. Noli addere afflictionem afflicto. Dici non potest quantum id Christo, qui se egenum & mendicum fuisse aliquando recordatur, adhuc displiceat.

Eleemosyna delet mortalia. IAM verò eadem est peccatorum mortalium remedium: dispositiuè saltem, de quo nemo ambigit. Præparat enim animum ad illorum remissionem. Quod animaduerterunt S. Bonauentura, ac Beda venerabilis Lucæ XI. *Luc. 11. 41.* Nempe, liberalitas erga pauperem, diuinam misericordiam elicit: & ad condonationem criminum munit viam. *Mendici Dei sumus*, inquit Augustinus, *qui quotidie debitorum nostrorum remissionem, & panem necessarium mendicamus.* *August. Serm. 5. de verb. Domini.* Vt agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus & nos nostros, idque haud obscurè indicant, quæ in diuinis scripturarum tabulis habentur.

Eleemosyna Cornely ascenderunt. Act. 10. 4. ACTVVM X. dicitur Cornelio: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: hoc est, fecerunt; vt Deus recordaretur tui: vel, recordatus est illarum Deus: atque ad similitudinem de nouo recordantis disponit de salute tua. *Lib. 1. de Prædest. SS. cap. 7.* Ex quo loco probat S. Augustinus, Cornelium per

elee-

eleemosynarum largitionem impetrasse gratiam fidei Christianæ, ac Iustificationis perfectæ. Obseruat non nemo, postquam audiuit Cornelius, *Eleëmosynæ tuæ ascenderunt*: ne suspicaretur, ante cœli ianuam, vt viles quasdam sarcinas fuisse depositas, addidisse Oratorem cœlestē, *In memoriam in conspectu Dei*: vt indicaret ad Dei solium fuisse delatas, & in Omnipotentis sinu reconditas. Nec metuendum, ne Eleemosynæ excludantur: cùm benè dixerit quidam, Eleemosy nam claues cœli habere: vel, cœli portas bipatentes ex Eleemosynis fuisse constructas Certè Salomon fecit ostia Sancti Sanctorum ex lignis oliuæ, quæ Misericordiæ est symbolum. Et Christus in cœlum ascensurus, Olineti montem subijt Nec frustra dictum est: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*.

Eleemosynis redimuntur peccata. Daniel 4. 24.

EODEM spectat consilium Daniëlis Nabuchodonosori datum: *Consilium meum placeat tibi. Et peccata tua eleēmosynis redime: & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* In quo consilio, vtitur Propheta dubitandi particula; vt indicet, Eleemosyna non redimi peccata infallibiliter ex iustitia; sed ex gratia: idcirco hominem solùm disponi ad iustificationem; ac de congruo eam mereri. Quod insinuat in

Eccles. 29. 15.

Commentario S. Hieronymus. Et ducitur ex illo Ecclesiastici xxix. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Sic Angelus apud To-

Tob 12. 8.

biam ait Eleemosynam purgare peccatum: *Eleemosyna ipsa est, quæ purgat peccatum: & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.*

PRÆCLARE S. Ambrosius lib. de ieiunio & Elia: *Etsi gratia deliquimus, magnum* Medicum *inuenimus: magnam Medicinam gratia eius accepimus.* Deinde subijcit, quod habetur, *De Pœnitent.* Distinct. 1. cap. *Medicina*: *Medicina misericordia*, siue eleemosynę, *tollit peccata magna* Ecclesiastici x. secundum Interpretationem Septuaginta. *Habemus etiam plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus: Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus: sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis: redime pecuniâ tuâ. Vilis pecunia, sed preciosa est misericordia. Eleemosyna*, inquit, *à peccato liberat.* Crimina ergo eleemosynis redimuntur, & abluuntur.

Eleemosyna satis fit pro pœna.

AD HÆC, reatum pœnæ Eleemosyná mundari, penitusque auferri æquè certum est: cùm constet Eleemosyna satisfieri pro peccatis: nimirum pro pœna temporali à peccatore debita. Quo sensu non malè accipitur illud Tobiæ IV. *Tob 4. 2.*
Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat: & non patitur animam ire in tenebras. illudque Ecclesiastici III. *Sicut aqua extinguit ignem: ita Eleemosyna extinguit peccatum*, Cui consonat Salomon Prouerbiorum XVI. *Misericordia* (cuius actus est Eleemosyna,) *& veritate redimitur iniquitas.* Redemptionis enim vox æquiualet satisfactioni: imò plus videtur redemptorem esse, quam satisfactorem. Magna ergo virtus ad mundandum inest Eleemosynę.

Eccl. 3. 33.

Prou. 16. 6.

Eleemosyna Baptismo comparata

AN fortasse idcircò, S. Cyprianus, Eleemosynam Baptismi lauacro, quod medicinale probauimus esse suo loco, comparat? *Sicut lauacro aquæ salutaris*, inquit Ecclesię Africanæ illud lumē, *gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in baptismo remißio peccatorum datur: assidua & iugis operatio, instar baptismi, rursum indulgentiam largitur.* Nec abhorret ab ea similitudine Ambrosius, sermone

xxx. & xxxi. hac sententiâ. *Ita Eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo Eleemosyna est aliud quodammodo animarum lauacrum. Vt si quis post baptismum, humana fragilitate deliquerit, superest ei, vt iterum Eleemosyna mundetur.* Vbi doctissimus Præsul, in eo ab Eleemosyna Baptismum superari docet. Quod hic semel tantùm: illa sæpiùs peccata remittat. Et est bella Eleemosynæ cum Baptismo comparatio. Sicut enim Baptismus culpam, pœnamque tollit: ita, vt si quis mox à baptismo moriatur, nihil sit illi periculi à gehennæ, vel purgatorij flammis: sic eleemosynæ, post culpam pœnitentiâ remissam, satisfaciunt plenè pro pœna temporali.

Æ'eemosyna Puteus. Lib 5. pædag. cap. 7. SIMILI modo Clemens Alexandrinus lib. v. Pædagogiæ, confert Eleemosynam Puteo scaturienti, in quo vis mūdādi est eximia: & è quo etsi haurias multum, denuo scaturientibus aquis repletur. Sicut vbera, quæ si mulgeantur, rursum nouo lacte abūdant. Ad quod facit *Frumentū.* similitudo Basilij, qui Eleemosynā Frumento componit, quod iactum in terram cum fœnore prouenit. Multi satis facere operibus pœnalibus recusant Ad disciplinæ nomen, quanto magis ad somnum, horrent, vt mancipia ad seruilem scuticam: aut conspectu Gorgonis capite meticulosus. Ieiunia detestantur: peregrinationes obire non possunt: Humi cubare in stramine non audent: multum orare est inassuetis difficile: & tamen nollēt Purgatorij pœnas experiri. Quod remedium? purgatrix lympha, Eleemosyna, adfectu vel effectu etiam procurata. Alterutram nullus non, quamuis egentissimus, exercere potest. Quis dicat, non benè velle posse pauperi. Si dicat, mentietur splendidè. Cui non est pecunia, inest animus: inhæret voluntas, & cum ea sæpè facultas esurientes pascendi; potum dandi sitientibus; operiendi nudos; captiuos redimendi; ægrotos inuisendi; hospitio peregrinos suscipiendi; mortuos sepeliendi. *Opera Misericordiæ corporalia.* Vel, quæ non minus Eleemosynæ titulum, ac laudem merentur: peccantes corrigendi: ignorantes docendi: dubitantibus rectè consulendi: pro salute proximi DEVM orandi: consolandi mœstos: iniurias patienter ferendi: offensam remittendi. *Spiritualia.*

Eleemosyna herba medicamentali similis. QVAMOBREM S. Chrysostomus homilia sexta in cap. vi. epistolæ ad Ephesios, docens Pœnitentiæ medicamentum ex varijs simplicibus, &, vt loquuntur Medici, ingredientibus, componi, pronuntiat, efficacissimam inter eas esse Eleemosynam. *Medicamentum,* inquit, *validissimum, & quod maximè operatur, est Eleemosyna. Et quemadmodum in medicamentalibus auxilijs, ex artis præscripto, Medicamentum est, quod multas quidem herbas recipit; sed vnam præcipuam, & potentissimam; ita & in pœnitentia pharmaco potentior herba, est eleemosyna: ipsaque omninò totum præstiterit. Audi enim quid dicat Scriptura Diuina: Date Eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Pulchra sententia, & quæ Medicum spiritualem decet: quam alijs verbis reperies, capitulo, *Medicamentum,* De pœnit. Dist. 1.

Diuersimode purgat Eleemosyna EANDEM comparationem habet Gregorius Theologus, oratione de amore pauperum, vbi sic hortatur. *Miseratione purgemur, animiq; labes egregia illa herba, detergamus, & dealbemur; alij, vt lana: alij vt nix: pro misericordia videlicet proportione.* Est igitur Eleemosyna aquæ instar medicamentosæ, quæ maculas delere, ac super niuem dealbare potest. *Eleemosyna,* ait S. Leo Pontifex, *peccata delent, mortem perimunt: & pœnam perpetui ignis extinguūt.* Idem alio loco, Eleemosynam *S. Leo Ser. 5. Hom. 3 de collectis.*

Bap-

Eleemosyna Hydria. Baptiſmo comparat.

Serm. 1. poſt Epiphan. INGENIOSE S. Bernardus Hydriam tertiam, quâ peccatorum ſit ablutio, ſtatuit Eleemoſynam. Placet equidem medica illa ſuauiſſimi Doctoris cõtemplatio: qui cõſiderans Chriſti ſponſam nõdum ſine maculis, & ſordibus in hoc exilio: ideò purificationibus varijs indigere, concipit animo à cœleſti Medico in medicamentaria Eccleſiæ officina propoſitas eſſe omnibus ſex lapideas hiſtorias ad purificandos veros Iudæos, non littera, ſed ſpiritu. *Quia*, inquit vir Sanctus, *nondum Eccleſia peruenit ad perfectam purificationem, illam nimirum, quam habebit, quando eam Chriſtus ſibi exhibebit glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, multis interim purificationibus opus habet: quatenus, ſicut abundant peccata abundet indulgentia: ſicut multiplicatur miſeria, ſic & miſericordia. Niſi, quod non ſicut delictum, ſic & donum. Gratia enim non ſolùm peccata lauat: ſed & merita donat.*

Sex Hydriæ purificationis. Ezech. 18. SEX igitur ſunt *Hydriæ poſitæ* his, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur. *Prima* Hydria, & prima purgatio in Compunctione eſt. De quâ legimus: *Quoniam in quacunq; hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Secunda* verò, Confeſſio eſt. Omnia ſiquidem in Confeſſione lauantur. *Tertia*, Eleemoſynarum largitio. Hinc enim habes in Euangelio: *Date Eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. Quarta*, Remiſſio iniuriarum: ſecundum quod orantes dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra; Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quinta*, Afflictio corporis. Vnde & oramus: vt mundi per abſtinentiam Deo canamus gloriam. *Sexta*, Obedientia præceptorum. Sicut audiuerunt Diſcipuli: quod vtinã audire mereamur & nos: *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.*

Ioan. 10. Nimirum, quia non erãt, ſicut hi, quibus dicitur: *Sermo meus non cadit in vobis.* Sed in auditu verbi obaudierunt ei. *Ioan. 8.*

Ventus, inanis gloria. HÆ *ſunt ſex* Hydriæ *poſitæ in purificationem noſtram. Quæ vacuæ ſunt, & plenæ vẽto, ſi pro inani gloria obſeruantur, aqua replentur, ſi pro timore Dei cuſtodiantur: quoniam Timor Domini fons vitæ. Aqua timor Domini eſt: etſi minus ſapida, ſed optimè refrigerans animam noxijs deſiderijs æſtuantem. Aqua eſt, quæ inimici iacula ignita poſſit extinguere. Aqua sẽper ima petit: Timor ad ima cogitationem deducit: & in inferioribus immoratur: & horrenda pauida loca colluſtrat, iuxta illud Iſaiæ:* Vadam ad portas inferi. *Sed Diuina virtute aqua mutatur in vinum: quãdo perfecta caritas foras mittit timorem. Hæ Hydriæ ſunt lapideæ, non tam propter duritiem, quàm propter ſtabilitatem.* Facilè ex his liquere poſſe arbitror, Eleemoſynæ vim mundandi & purificandi medicamentoſam ineſſe: ideoque ad maculas animę abluendas remedium ſingulare. *Iſaiæ 38.*

Eleemoſyna Theriaca. QVOD ſi eandem *Theriacam* dixero, & contra venena, tum aliorum peccatorum, tum auaritiæ potiſſimùm vtiliſſimum antidotum, nemo reprehendat antequam dicti rationem perceperit. Ad Theriacæ compoſitionem adhiberi ſolent carnes viperæ: quæ licet veneno ſint infectæ: tamen, venenum, ſi diuidantur, extinguũt. Ita planè: pecunia eſt magna multorum pernities, quæ tanquam veneno infectos enecat, dum ei obediunt, & cupiditatibus ſuis homines ſordidi. Eadem concupita, à Paulo cenſetur, omnium malorum radix. Tamen per manus pauperum diſtributa, ac in ijs diuiſa, fit præſtantiſſima Theriaca: vtiliſſima contra peccata omnia, vt validiſſimum remedium: nam & præteritorum curat vulnera, & aduerſus futura præmunit: Medicina pariter, & Antidotũ Eccleſiæ.

QVAM-

Adolescentibus perniciosa pecunia.

QVAMVIS autem pecunia venenum omnibus esse possit: est tamen ferè semper adolescentibus exitiosum, ob inexperientiam ac cupiditates nondum domitas. Istis nummi sunt instrumenta nequitiæ, irritamenta vanitatis, ebrietatis illex. Ducunt ad aleam, popinam, nuptias, iuuenum certissimam corruptelam, vt quotidie experimur. Quare non probatur mihi parentum consiliũ quorundam, qui dum filios ad studia litterarum ablegant, ipsis committunt marsupium: in quo, quot sunt viperæ, quæ venenum transfundunt: maximè, si, præter necessarios, ad honestam sustentationem, multum addant æris superflui: de quo liberum sit desidioso, aut ludibundo iuueni disponere, ac in quoslibet vsus conuertere. Tamen si hoc contingat parentum indulgentia: & sapientes sint in ea iuuenes (vt quosdam quamuis pauculos nouimus) ex his viperæ carnibus præstantissimam, ac quauis Veneta efficaciorem Theriacam efficient, sibi adsignatam à parentibus ad lusum, vel honestam aliam recreationem pecuniam, (nam alterius, quam ad victum vestitumque acceperant, non sunt domini, nec in alios vsus licet impendere) pauperibus, ægrisque distribuendo. Hoc se alexipharmaco contra pestilentem improborum adflatum, & conuersationis noxiæ contagionem facilè præseruabunt.

S. Hermannus puer.

ET, vt paruuli quoque habeant, quod hic mirentur, ac imitentur, in mẽtem veniat Hermannus, qui Beati titulo in Ecclesia colitur, puerorum Innocentum decus, suauissimus pusio. Hic cum puerulus litteris operam daret, quod à librorum tractatione tempus vacuum habebat, in cõtemplanda Deiparæ quadam imagine consumebat, de sociorum ludis minimè solicitus. Cum effigie autem illa, haud secus quam cum Virgine ipsa præsente loquebatur, dabatque, ô sincerum, simplicemque Dei Eleemosynarium! quicquid vel panis, vel pomorum habebat. Ipsa autem illa piæ Matris imago, visa est aliquando manum tendere, ac dilatare, ac Hermanni munusculum, quod dabatur, accipere. nec ingratam expertus est Dominam, quæ illi post hæc locum, vbi pecuniam inueniret, demonstrauit.

Eleemosyna Amuletum contra fascinum.

HIS immorandum esset diutius, nisi alio raperer à Salomne, cuius est illud, medicum, vt suspicari fas, monitum. *Misericordia, & veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo.* Septuaginta legunt: *Eleemosyna & fides non deserant te.* Quam lectionem sequitur S. Chrysostomus, homilia 1. in epistol. ad Philippenses. Quod autem subditur: *Circumda eas gutturi tuo*, vertunt Septuaginta, *Alliga eas super collum tuum.* Hebraicè *liga eas in gutturibus tuis.* Quæ verba licet S. Chrysostomus ita exponat: Quemadmodum diuitum filij decus aureum circa collum gestant, illudque nunquam deponunt, quasi nobilitatis insigne circumferentes: ita Eleemosynam nobis ipsis circumdemus oportet, declarantes nos esse misericordis illius filios, qui solem exoriri facit super bonos, & malos. *Torquem hunc aureum animæ aptemus*, Eleemosynam *dico, quamdiu hic fuerimus.* Attamen nihil vetat dicere, Salomonem velle, vt appendatur collo *Eleemosyna*, tanquam *Amuletum*, quo fascinum, & sortilegia amoliamur. Nam ob hunc etiam finem olim pueris torques collo appendebatur.

Prou. 3.

NOTÆ.

Fascinatio quid & quomodo fiat?

MAGNA est, apud naturæ scrutatores, quæstio de fascino. In qua placet mihi equidem melius philosophantium

illa

NOTÆ. illa ſententia. Faſcinationem prout quidem vulgo dicitur, fabuloſum quid, ſuperſtitioſumque videri: optimis, ac antiquiſſimis, Hippocrati, Galeno, eorumque diſcipulis, tractantibus de morbis naturalibus penitus ignotum: neque vlla ſatis idoneâ ratione probatum: Sed ex pacto cum Cacodæmone, ad cuiuſpiam aſpectum malignum, aut malitioſam laudem, malum procreari. Non negarim tamen, quod alijs quibuſdam placere ſummoperè video: noxia quædam ex humanis corporibus interdum afflari, ſiue oris halitu, ſiue oculorum intuitu, quibus molli, ac imbecillo corpore, aliove periculoſo habitu præditi plerumque lædantur. Cùm autem verè dixerit Hippocrates: habitum, qui ad ſummum bonitatis perting t. eſſe periculoſum: & Cornelius Celſus, qui nitidiores ſolito ſunt, ſuſpecta ſua bona ijs eſſe debere. Sæpè autem contingat, qui ita ſunt affecti, mirum in modum laudari, ac curioſius ſpectari: ſi eueniat, vt repentè morbo corripiantur: quia ſubitæ mutationis cauſſam vulgus ignorat, in laude, vel aſpectu quandam faſcinandi vim eſſe putat.

Faſcinantur diuites laude.

SED quicquid ſit de varijs circa iſtiuſmodi opinionibus: mihi duobus modis verè, quamuis moraliter faſcinari videntur diuites huius ſeculi. Primò quidem, adulatoria & inani, ac falſa leuiſſimorum hominum laudatione: qua ſe vanè extollunt: plura, quàm æquum ſit, ſibi promittunt, alios præ ſe contemnunt: omnia ſibi licere arbitrantur: tandemque planè excæcantur, ac dementantur. An non contagioſo faſcino dementatus erat diues

Luc. 12. 17. Euangelicus, qui, *Quid faciam*, aiebat, *quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Et dixit: *Hoc faciam: deſtruã horrea mea, & maiora faciam. Dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Hunc fuiſſe dementatum Dominus ipſe pronuntiat: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Quod remedium ad amoliendum hoc faſcinum? *Eleemoſyna & fides te non deſerant. Circumda eas gutturi tuo*, tanquam amuletum: non oberit fraudulenta vaniſſimorum hominum laudatio. Nulla contagione laborabis.

ITERVM faſcinantur locupletes aliorum liuore, ac inuidia. *Inuidia Faſcinum.* Sanè qui Latinè ſcribunt, *Faſcinum* inuidiæ tribuere ſolent: quod illa faſcinet. Symmachus in epiſtolis: *Nullo*, inquit, *faſcino felicitas publica mordeatur.* *Lib. 1. ep. 7.* Et alibi. *Quis oculus faſcinauit deſtinatam quietem?* *Epiſt. 41.* Rurſus: *Nunc quoque nuncio ſi dictum, nullus fortunæ liuor effaſcinet.* *Lib. 6. ep. 78* Sidonius quoque epiſtola ſecunda: *Hæc mihi cum meis, Præſule Deo, niſi quid tu faſcinum verere, concordia.* *Lib. 2. epi. 2.* Auguſtinus autem idem notat vſitatum eſſe in ſacris Litteris. *Aug. lib. 5. cap. 28.* Nam lib. v. locutionum, in Deuteronomium, tractans illa verba ex verſione Septuaginta Interpretum: *Mollis & tenera in te valde faſcinauit oculo ſuo fratrem ſuum*: Notandum, inquit, quemadmodum id dictum ſit: *Faſcinauit*, pro *inuidit.* Apud Græcos idem eſt nominum illorum, ac verborum vſus. *βασκανία Faſcinatio.* Nam βασκανία eſt faſcinatio; à βασκαίνω, pro φασκαίνω. quod eſt inuideo. Et βασκαίνειν *inuidere* ſignificat. Sic Prouerb. xxv. quod Latini codices habent, inquit Auguſtiuus: *Non cœnabis cum viro inuido*: Græcus habet: ἀνδρὸς βασκάνου. βάσκανος autem eſt faſcinus. Et quidem ex Hebræo, ſic licet vertere: *Non comedes cum viro mali oculi*: id eſt, liuido: cuius oculi faſcinantes ſunt, quod inuidia, ac liuor alienam felicita-

 tem

tem quodammodo fascinent. Hinc apud Romanos olim triumphatores bullam gestabant, contra inuidiæ fascinum, vt Antiquarij exponunt. Qui etiam ex Plinio docent, inter Deos fuisse numeratum Fascinum. Hunc autem, Imperatorum quoque, non solum infantium DEVM custodem fuisse habitum. *Qui Deus*, inquit Plinius, *inter sacra Romana à Vestalibus colitur: & currus triumphantium sub his pendens defendit* Medicus *inuidia: iubetque eosdem respicere*, seu *recipere*. Ferunt enim triumphantium currus Fascinum Deum appendi solitum, vt in actores fascinum reijceret: eosdemque fascinum & inuidiam recipere iuberet: vel certè, humanam conditionem respicere, quæ triumphi gloria, ac honoribus elata inuidiæ patet.

Plin. lib. 28. cap. 4.

Diuitibus, & felicibus inuidetur.

PLVRIMORVM malignis oculis aspiciuntur diuites: in illos inuidorum torquentur lumina: maleuolentia multorum, tanquam fascino quodam turbantur. Huic fascinationi amoliendæ appendatur collo Eleemosynæ περίαμμα: nihil erit discriminis. Suadet igitur Salomon auditori, lectorique suo beneficentiam, ac liberalitatem in eleemosynarum largitione. Nam si videant homines, quantumuis æmuli, ac maligni, quod vir potens & pecuniosus in alios sit beneficus: ac pauperibus largè benefaciat, tantùm abest, vt illius felicitati inuideant, vt potius gratulentur. Nam, vt verè dixit Bernardus: *Verus beneficentiæ fructus omnium beneuolentia est.* Et Ecclesiasticus: *Splendidum in panibus benedicent labia multorum*: hoc est, liberalem erga pauperes in erogandis panib. multi laudabunt, eiq; benè precabuntur.

Eccl. 31. 28.

NOTÆ.

Triplex expuitio.

QVI de fascino multa scribunt præter torquem, & in eo amuletum, remedium aliud suggerunt, trinam expuitionem in sinum.

> Ὡς μὴ βασκανθῶ, τρὶς ἐς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον:

Theocr. Idyll.

aiebat ille. Et è Latinis quidam:

> *Hunc puer: hunc iuuenis, turba circumstetit arcta,*
> *Despuit in molles, & sibi quisq; sinus.*

Tibul. l. 1. Eleg. 2.

Qui despuit in sinum suum, semetipsum humiliter diiudicando, & abijciendo: qui non semel, sed sæpiùs despuit in sinum pauperum, facilè soluit fascinum inuidiæ: quod diuitibus à malignantium intuitu imminet. Nemo inuidet opulento, quem omnes vident liberaliter thesauros in sinum pauperum effundere: imò fauent, benè precantur, optant plura, vt pluribus benefaciat. Quis Gregorio Magno non benè precatus est, qui haud contentus vulgi inopiæ subuenire, omnibus vbique Christi seruis, quantum Romanæ census Ecclesiæ suppeditare potuit, necessaria suppeditauit. Quis Anastasio IV. Pontifici non optasset mundum pro horreo, cum pauperes pasceret suo ære, ac frumento, vniuersa penè Europa cum publica fame conflictante? Quis inuidebat opes Gregorio XIII. qui quotannis septuaginta aureorum millia erogabat in pauperes Vrbis, & per orbē vniuersum Seminaria adolescentum erigebat, quos adsignatis alebat redditibus? Quis non faueat Paulo V. qui centum millia Romæ annis singulis dispertire dicitur? Quod ab eleemosynario Pontificis acceptum scribit Germano nobili Cardinalis Bellarminus. Quis inuidos torsit oculos in fortissimum heroa Amadeum Allobrogum ducem, qui rogatus ab oratoribus ad se missis, an haberet canes venaticos, iussit vt postero die redirent responsum accepturi.

NOTÆ.

Anno 1615.

ri. Cùm adessent, Amadeus è pergula ingentem mendicorum multitudinem ijs ostendit vnà discumbentium: Atque, hi sunt, inquiebat, canes mei, quos alo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me venaturum spero.

Eleemosyna Emplastrū.

IAM verò, nescio quod emplastri genus insinuet esse Eleemosynam Chrysostomus, dum docet mendicos Medicos esse, in quorum manibus pecunia, & si quid aliud datur, conuertatur in medicamentum, quo animæ vulnera curentur. Sic enim loquitur homilia XIV. in epistola prima ad Timotheum. *Pauperes* Medici *sunt vulnerum tuorum: manus eorum tibi medicamentum præstant. Non ita* Medicus, *vt medicamentum imponat extendens manum curationem exhibet, quemadmodum pauper, vt à te accipiat, porrigens manum.* Memini Paulum alicubi dicere, opes, & cetera fortunæ bona, stercora esse: *Omnia arbitratus sum, vt stercora*, ad Philippens. tertio capite. Stercora in marsupijs, aut arculis malè locum occupant: Si in ijs reseruentur, omnia fœtore, ac situ complent: nullibi autem vtilius: quam ad agros, quales sunt pauperes, stercorandos adhibentur. Sed mihi in mentem veniebat, ingens lucrum facturum, qui ex stercoribus vnguentum conficeret ad vulnerum lethalium curationem. Id in manibus mendicorum contingit, in quibus si recondantur hæc stercora, ex iis tanquam optimis vnguentis fiunt emplastra, quibus vulneratæ animæ curantur.

Eleemosyna Deum Medicum quodam modo conducit.

DIVERSO à dictis modo Eleemosyna ad sanitatem, non corporis minus, quàm animæ conducit: videlicet, Medicorum optimum sibi demerendo, &, si ita liceat dicere, quasi conducendo, cum eoque totum hospitalis domus ministerium, chirurgos, pharmacopolas, clinicos, vnguentarios, infirmarios, similes: quorum munera promptissimè obeunt Angeli, DEO, Christoque Principe Medico firmum suum visitante, & salubria omnia præscribente. Hanc Eleemosynæ virtutem accuratè explicat Dauid Rex experientiâ doctus, Psalmo XL. vbi de ipsius Dauidis graui aliqua infirmitate agi putant nonnulli: alij de Ezechia ægrotante, sed ob susceptam pauperum curam sanitatem recuperante. Certè initio psalmi totus est in eo Vates, vt commendet eius felicitatem, qui egeno benefacit, ea potissimum de caussâ, quod DEVS illum, cum ceciderit in infirmitatem, liberabit: precaturque, ne sanitatis Dominus sinat in malum eum incurrere: aut certè, ab eo non vincatur: sed mox restitutus in statum pristinum valetudinis, aliarumve rerum secundarum, viuat felix. Quod si decumbat æger, soletur illum, ne succumbat doloris acerbitate superatus. Quin etiam lectum eius, stratumque inuertat: ita vt sanus eo amplius non egeat: vel sic eum alleuet, ac soletur, sicut solent stragula & culcitræ infirmorum excuti, versari, inuerti. Vel conuertat illum nunc in hunc, nunc illud latus, vt cubet mollius, & morbi vim lenius ferat. *Theodor. Mopsuest.*

Deus variè subleuat infirmos.

QVOCIRCA S. Ambrosius, Commentario in hunc ipsum Psalmum, monet eo vtendum apud illos, qui diutius infirmitate corporis detinentur, *Vt habeant*, inquit, *Medicinam Dei, quo sani esse mereantur.* Ex eodem Eleemosynæ fructum colligit S. Cyprianus, opusculo

 de

de operibus, & Eleemosyna. Addit & testimonium Raphaelis, quod est Tobiæ XII. & exemplum Nabuchodonosoris Danielis IV. qui si obtemperauisset præcepto Prophetæ, de eleemosyna, aduersa, quæ postea euenerunt, potuisset euadere. Profert adhæc, suspensam in Tabitha mortem, spiritumque reuocatum, precibus Petri Apostoli fœminæ meritis, Actorum IX. Nonne Deus super durum, flammeumque & acerbissimi doloris lectulum Laurentij, qui super egentes & pauperes distributis thesauris intellexerat, misertus, cubanti in flammis opem tulit? & in illud craticulæ sacrificium inspersit oleum, quo ignis deuotionis vehementius arderet, & hilarius alacriusque tormentum tantum pateretur? Vtinam tempus permitteret, producerem historias, quibus innotesceret, DEVM visis, sonis, cibis, alijsque modis mirabiliter recreasse in lectulis propter ægritudinem iacentes viros misericordiarum. Inter quos numeratur Anselmus, Thomas Aquinas, Franciscus, alij, quos suo loco commendamus.

Tob. 12. 9. *Dan 4.* *Act 9 40.*

Deus versat stratum infirmi.

QVANTOPERE optanda est illa homini eleemosynis dedito promissio, quæ effectum haud dubiè sortitur: *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Et ad litteram explicatur, ex interpretatione Theodoreti, Euthymij & Nicephori, fore, vt decubitum infirmitatis, & infirmitatem DEVS, tanquam Omnipotens *Medicus* in sanitatem mutet; lectum infirmitatis in lectum sanitatis. Sensus quoque est, fore, vt Deus, instar famuli domestici, ô bonitatem incredibilem! componat, sternat, vertat, angulos, ac latera strati ventilet, aut aliud substituat, vt mollius æger cubet: nempe, remittente vi morbi: vnde fiat etiam, vt commodè possit ipse stratum vertere: & ipse in illo sese, nullius egens ministerio. Diuus Chrysostomus explicat lectum doloris, diem mortis, qui molestus est propter metum iudicij; & stratum in infirmitate, tentationes. Eo autem tempore opitulari cœlestem Medicum amatoribus pauperum, ac eleemosynas remunerare. Nimirum sostrum, quod requirit Medicus diuinus, anticipatò dant, qui eleemosynas in sinu pauperum recondunt.

Homil. 1.

Eleemosyna sanitatem.

Ex quo colliges, eleemosynas non sanitatem solùm corpoream, verùm etiam spiritualem animæ obtineri. Quod maximè confirmat illa Præsulis Ambrosij commendatio: hanc pollicitationem ad peccatorum, tanquam morborum auersionem referens. Sic autem scribit: *Dominum conuertere stratum in infirmitate, cùm, qui fuerat adulter, iracundus, petulans, cunctorum scelerum infirmitate plenus, assuetum illius corpus malo versando efficit, vt sit castus, humilis, modestus.* Quæ sanitas maioris est momenti, magisque desideranda, quàm corporis. Et ferè semper beneficos consequitur, licet corporea non semper, quamuis pauperum amicissimis tribuatur. Quare laudo Scriptorem recentem, qui accuratè disputat: Quid caussæ sit, cur non rarò benefici magnis grauentur infirmitatibus, ac molestijs, non obstante illa Psalmistæ sententia: *Dominus conseruet eum, & viuificet eum*: illaque Pauli Apostoli, prioris ad Timotheum IV. *Pietas promissionem habet vitæ præsentis, & futuræ*; & eius rei rationes, præter exempla, adfert admodnm idoneas.

Tilman. Bredenbac. lib. 6. collat. Sac. ca. vlt.

ADDA-

Oleum Eleemosynæ symbolum.

ADDATVR istis: Eleemosynæ symbolum esse *Oleum.* quis hoc ignorat? nihil autem magis ad omnem sanitatem accommodatius est oleo, & ex illo, vnguento. Vulneribus infunditur oleum, vt vniuersale quoddam medicamentũ, Lucæ. x Quare & Spiritus-sanctus oleo significatur: proprius enim effectus Spiritus-sancti est sanare. Inungitur idcirco oleum, & Spiritus-sancti vnctio cum sanandi virtute coniungitur *Actuum.* x. inquit Petrus, *Vnxit eum Deus Spiritu-sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes* Vbi *sanandi* verbum planè est *medicum*: & significat adhibere remedium siue corpori, siue animo. Imo Christus vnctum se dicit hunc in finem Isaiæ LXI. *Eò, quod vnxerit me, vt mederer contritis corde.* Quasi oleum non solum sanet, si infundatur; verum etiam sanãdi virtutem aliis conferat. Et sanè inunctione olei significatur, Sacerdotes, Medicos esse debere sibi subditorum, ac vniuersè, proximorum, eorumque virtute omnes ad sanitatem oportere perduci.

Luc. 10 34. *Isa. 1.6.* *Actuum. 10.38.* *Isa. 60.1.*

Eleemosyna remedium sterilitatis.

TANDEM, quas non opes profunderent Principes si medicamentum fœcũditatis inueniri posset, quod sterilibus coniugibus partum addiceret. O nobilissimæ, & Christianissimæ Imperij familiæ! ô inuictissimi heroes, serenissima Austriæ, Bauariæque sidera! quam id vobis, quàm nobis omnibus optandum? sed peccata forsitan nostra præpediunt, ne efficaciam, remedium, quod suggeram habeat. Est enim, si quod aliud, præsentaneum ad sterilitatem arcendam, Eleemosyna. Alexium, qui nouit; illum à sub scalis nobilem non ignorat, quò tendam. Eius parentes Euphemianus, & Aglaë cum diuitiis pollerent, sed sterilitas negaret prolem: quotidie positis tricliniis, pauperculos domi conuocatos reficiebant propriis manibus ministrantes. Dum pauperes reficiunt, sibi remedium contra sterilitatem parant. Fit sterilis fæcunda, parit Alexium, qui vnus illis meritò fuit pro centum millibus. Et iis, quibus optamus, vouemus, Misericordiæ viris

O natos da mille Deus, da mille nepotes!

NOTAE.

§. AVRVM Chymicum.] *De hoc disputatum ex professo in Commentationibus nostris physicis. Lege Conimbricenses Lib.* II. *Physicorum: Pererium Disp. de Magia. Delrium lib.* I. *Disquisitionũ magicar. cap.* V. *Godefridum Sthegium in Medicina practica lib.* I *cap.* 15. *Valentiam Tom.* III. *disp.* VI. *Qu.* 15. *S. Thomam in secundum, Dist.* VII. *Q.* III. *Art.* I. *Sec. secundæ. q* LXXVII. *Art.* 2. *Caietanũ, Siluestrum, Fumum in summa Casuum.*

§. ELEEMOSYNA Medicina.] *Consule quæ collegit Ioannes Busæus in viridario & Fran. Labata verbo Eleemosyna: ac Serarius Tobiæ* XII.

Bellarminus concione XXII. *quæ est de Ieiunio & Eleemosyna.* Medicus animorum animaduertens morbum nostrum esse grauem, nec sufficere inediam, aliud Medicamentum instituit, quo egeruntur excremata, & corpus releuatur, ac purgatur. Tale medicamentum est *Eleemosyna*, qua diuitias, vt Apostolus, arbitramur, vt stercora, ac facile, & libenter eiicimus, vt animæ sanitatem recuperemus.

A S. Leone obseruatum reperio, licet Ieiunium sit efficacissimum medicamentum, tamen nisi accedat oleum Eleemosynæ, paruam vim habere. Sermone III. *de ieiunio Pentecost. sic scribit.* Sanctas continentiæ delitias ap-

petentes aliquantulum nobis de terrenorum ciborum abundantia subtrahamus. Ita proficiat eleemosynis, quod nō impenditur mensis. Tunc enim demū ad animæ curationem proficit *Medicina* ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis.

§. FASCINVM.] *Multa veteres non sine impia superstitione de fascinatione ac fascino fabulati sunt; de quibus Plinius Lib.* VIII. *cap.* 2. *&* 8. *Theophrast. lib. de Charact. Aristoteles in Problemat. Plutar. lib.* V *Symposiac. Gellius lib.* IX III. *p.* I. *Qu.* 4. *Lege Leonardum Vairum, lib. de fascino, Lalium Gyraldum dialogo* VII. *Abulensem Numerorum* XXI. *Quæst* XIV *& sequentibus vsque ad* XVIII. *Franciscū Vallesium lib. de sacra philos cap.* LXVIII. *Lorinum Sapient.* IV. 12. *Iustinianum, Cornelium, & alios Interpretes epistolæ ad Galatas* III. *Vbi Paulus.*

O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?

hoc est: quis suis præstigijs, ac fascino delusit, vt tam facilè à cognita veritate desciveritis? Quis vestram salutem, & veram fidem vobis inuidens adeò vos dementauit, vt ad lucem clarissimam caligetis, & adeò subitò defeceritis ab eâ fide, quæ tam perspicuè vobis proposita fuit?

Sapientiæ IV. 12. Fascinatio nugacitatis obscurat bona: βασκανία φαυλότητος: id est, *Fascinum leue, vile, nihili, nugax: vana quæcūque res: auri, argentique fulgor: nullius precij rubricata terra: leues quisquiliæ, quasi fascinum, diuitibus imponunt; quasi rerum scientiam iustamque æstimationem inuideant: ijs ludificantur miseri, & oculi, tanquam præstigijs quibusdam tenentur, vt existiment summa bona, quæ ne mediocria quidem sunt. Ab his liberat amuletum Eleemosynæ.*

§. ECCLESIASTICI XXXI. 28. Splēdidū in panibus benedicent labra multorū.] *Qui beneficus est, qui suos panes, & res liberaliter alijs, præsertim pauperibus dispertit, ab omnibus laudatur, & benedicitur.* Et testimoniū veritatis illius fidele, *addit Ecclesiasticus. Id est, quod veritati, nempe veræ virtuti, probitati, honestati, ac liberalitati, seu beneficentiæ eius perhibent ciues, illud est testimonium verum, certum, diuturnum, stabile, permanens: vt non nisi per auaritiæ actus contrarios multo tempore continuatos deleri & aboleri possit. Huic opponitur, quod subiungit Ecclesiasticus versu* XXIX. Nequissimo in pane murmurabit ciuitas: & testimonium nequitiæ eius verum est. *Nimirum testimonium, quod nequitiæ, id est, auaritiæ ac sordidæ tenacitati illius perhibent ciues, præsertim pauperes, est verum. Græcè* ἀκριβὴς *id est, diligens, exactum, certum, permanens, vt non nisi post multos liberalitatis actus diu iteratos deleri & extingui possit.* Cornelius de Lap. in Eccl.

Exemplum prioris illustre est in vita S. Ioannis Eleemosynarij, cui ob liberalitatem in pauperes benedixit DEVS, *Angeli, & homines. Posterioris ibidem extat in Petro Telonario, cui ob auaritiam, omnes pauperes detrahebant, donec per visionem à* DEO *correptus mores mutauit, & ex auaro factus est liberalis.*

Quoniam autem magnates, diuites, Principes etiam, & multarum possessionum dominos malignorum sermones inficere conantur, maximè suadendum hoc fascinationis remedium. Quod fecit egregiè Agapetus Diaconus Admonitione ad Iustinianum Imper. *num.* 51 *illum veluti Solem quendam beneficentiæ comparare desiderans. Soli profectò partes sunt,* inquit, *illustrare radijs orbem: Principis verò virtus est egenorum misereri. Iam verò ijs clarior est Imperator pius. Ille namque (Sol) cedit succedenti nocti: hic (Imperator pius) rapacitati prauorum non concedit, indulget ne quidpiam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.*

Idem numero 53. *Quantum potestate ceteri antecellis, tantum factis etiam emicare ante*

ante alios enitere. Persuasissimum enim habe, eã abs te postulari honestorum operationem, quæ magnitudini virium proportione respondeat. Vt igitur à Deo, quasi per præconem victor declarere, coronâ inuicti Imperij tuo capiti imposita, coronam etiam ex promerendis pauperibus adquirito.

SIMILIS *superiori sententia est Prouerb.* XXII. 9. Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. *Hoc est, qui suopte ingenio in virtutem misericordiæ, & eleemosynarum largitionem propendet, atque adeò quamlibet illius exercendi occasionem arripit, benedicetur, laudabitur, ab omnibus extolletur. vel, vt,* Salazarius *interpretatur, beatus erit, omniaque illi ex animi sententiâ cedent.* Nam benedici *in scriptura Sacra passim idem est, quod fortunari, ac ditari, & bonis omnibus cumulari. Plura in hanc rem ad illustrandum Salomonis effatum, & in commendationem Eleemosynæ, adfert idem, lectu digna.*

Vniuersè autem hominum mereri gratiam, fauorem & laudem qui libenter donat, vti liberalis ac splendidus solet, ait nouit S. Thomas 2.2. qu. 117. artic. 4. adducens illud Poëtæ:

Si quis in hoc mundo multis vult gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

§. GREGORIO XIII. *In hoc Pontifice charitatis, ac misericordiæ erga egentes ingenium, adumbrauit elegantissimè, facundus Orator, Vincentius Guinisius, Allocutione* IX. *Denique lege, quæ de hoc argumento disserimus in* THEOLOGIA IVRIDICA, *Comment.* XXXIII. *de Vsura.*

COMMENTATIO XXI.

DE

Salis Euangelici Vi Medica

In quâ repræsentantur Apostoli, tanquam satis medicati Montes, cingentes Christum, Montem in vertice montium. Docetur autem, Sal esse symbolum Incorruptionis, Pacis, Amicitiæ, Aeternitatis Eius virtutem esse variam. Eminere eius Calorem in primo gradu: in Apostolis illius ad instar, Caritatem. Siccare egregiè. Ideò symbolum esse Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ: quarum votis obstricti fuerint Apostoli. Ostenditur, quomodo Apostoli, Salis instar, à putrefactione Mundum præseruarint, Corrupta reparauerint: Sterilitatem induxerint: Veneno restiterint: Conditurae fuerint idonei: Soliditatis ac constantiæ admirandæ.

In festo cuiuslibet Apostoli.
In festo Doctorum.

Vos estis sal terræ. Matth. v. 13.

SEXTA

Mundus tendens ad interitum.

SEXTA Mundi, ab eius die natali, ætate, eaq; vltimâ, ac proinde senili, post quàm quattuor annorum millibus, & quod excurrit, partim in pueritia, ac adolescentia, partim in iuuentute, & reliquo ad senium tempore, magnū hoc, vastumque Vniuersi corpus, quod hominum genus omne complectitur, variis fuisset tentatum ægritudinibus, quas omnium fons, Peccatum inuexit, tandem ad extremum, communemq́ue corruptibilibus interitum, qui ferè putredine accidit, tendere videbatur. Eius certissima erant indicia: gratiæ, tanquam caloris optimè temperati, læsio: frigus impietatis: teterrimus odor superbiæ, lasciuiæ, infidelitatis: aëris omnis circumstantis, occasionum prauarum adflatu, corruptio. Iam partes aliquæ illud vocaliter quodammodo exhalabant: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Et actum fuisset de ceteris, nisi *Medicus cælestis*, qui illo ipso tempore, curandi caussa, ad hunc ipsum ægrum diuerterat (de Christo loquor infirmitatum humanarum curatore) mali origine, caussisque peruestigatis, præsentaneum ostendisset remedium. Quo, modò vti vellet, in illa etiam præcipiti ætate, ab omni putrefactione, ipsoque adeò interitu præseruaretur.

Arist. lib. 4. meteor. 1.

Psal. 37. 6.

Duodecim salu montes.

SED remedium planè insolens, catenus inauditum, bis senas moles, pyramidum instar erectas, sed Ægyptiorum omnium altiores, candidissimi salis: nisi lubet dicere statuas, vel columnas, sed animatas: quibus deinde tertia decima accessit, reliquis haud inferior mole, vel virtute. Hic, qui ingenio sunt perspicaciore, haud dubiè præuolant mente dictionem: &, cum animo ipsi suo sic sermocinantur: neque opus alio explicatu.

APOSTOLOS Ecclesiastes intelligit, Duodecim viros, Medici cælestis assedas: quibus tertius decimus adiunctus, auxit numerum, Paulus, cælo altitudine, caput coronatum inferens. Duodecim igitur, medicati, animatiq́ue montes salis in orbem cingentes *Montem Montium*, & vnus ijs additus, sunt Apostoli tredecim, in quorum medio CHRISTVS. Quis autem nescit Christum, eiusque Apostolos Montes dici. Peruulgatum est illud Isaiæ: *Erit in nouissimis diebus præparatus Mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles.* Colles designabant Discipulos: Montes, Apostolos. His omnibus superior Christus: sed in vertice Apostolorum, quibus circumfusi colliculi Discipulorum, Montes illos coronabant, *Fundamenta eius*, inquit Psalmista, cuius? Ecclesiæ, *in Montibus sanctis*: quibus? Apostolis.

Duodecim salu montes.

Apostoli Montes. *Isa. 11. 2.*

Psal. 86. 1.

IIDEM dicuntur *Columnæ*. Sic illos vocat, sine assentatione, Paulus Galat. II. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur* Columnæ *esse, dextras dederunt mihi.* De Apostolis potissimum intelligo, victoribus coronatis, quod est Apocalypsis cap. III. *Qui vicerit, faciam eum* Columnam *in templo* DEI *mei.* Sal appellantur Apostoli, ab ipsa Veritate. *Vos estis sal terræ.* Christus etiam sal erat, quo nisi saliretur omnis victima, insulsa erat, atque insipida. Quod si Apostoli Montes sunt ac Columnæ: nec minus Sal, coniūgantur hæc, fient *Montes*, ac *Columnæ salis.* Neque his quispiam argutior tricas mihi moueat dialecticas, de diuersis, & coniunctis: de rectis, & obliquis. In his rebus atque in hac exedra non est quærenda spinosa subtilitas, sed vtilitas amæna.

Apostoli Columnæ. *Gal. 2. 9.*

Apoc. III. 12.

Matth. 5.

amæna. Rectè igitur concipiuntur Apostoli, quos à Christo relictos Mundo, vt hominum genus à putrefactione, ac interitu seruaretur, tanquam *salis Columnæ*, aut *Montes*.

SS. Petrus & Paull. Apost. Princip. INTER quos altius verticem attollunt, Diui, Petrus, ac Paulus, Apostolorũ Principes, quibus hodiernus cõsecratus est dies: ac de quibus meritò vsurpatur:

Æneid. 1.

——— geminiq; minantur
In cælum Scopuli ———

Et prioris nomen adludit, quod est *Petra*, haud dubiè. *Salis* Cuius imitatione *Petram salis* esse debere Sacerdotem pronuntiat Gregorius homilia XVI. in Lucam. Paulus verò, quamuis nomen illud non gereret, *Rupes* tamen erat: ambo, *Montes*. *Hom. 16. in Luc. c. 10.*

Montes Salis. NEQVE absurdum videatur, aut fictitium Montes salis erigere. Illos Natura etiam exhibet, cui in nullo cedit Gratia, semper altissima petens. Montes salis in Hispaniæ Alpibus circa Iberum repertos auctor est Cato, lib de Originibus, vt refert Gellius. Saxa ingentia à sale, scopulorum modo, circa littora S. Michaelis, in orbe nouo comperta tradunt, qui eò nauigarunt. At in Africa etiam montes memorantur, quod Solinus habet. Et nominantur, qui salibus domos extruunt. De Carthis Arabiæ oppido id Plinius adfirmat. Inibi enim muros ac domos massis salis facere incolas, aquâ ferruminantes scribit. Idem memorat in oppido Gerra in sinu Capæo Arabici maris turres constructas è salis quadratis molibus. *Gell lib. 11. Cap. 22. Pet. Hisp. p. 5. cap. 25. Solin ca. 30. Pli. lib. 31. cap. 7.*

PORRO, quærunt plurimi sapientiæ secretioris cultores, quid in mentẽ Christo venerit, vt Apostolos in mundum vniuersum mittendos SAL TERRÆ dixerit. Hoc symbolicè à Magistro enunciatum dubitari nõ potest. Symbolum autem, vt hic quidẽ accipitur, est nota quędam, vel imago rei, in qua latet quidpiã illi persimile. Pro qua ponitur, non nisi diligenti excussione eruendum. Mirum autem videtur homines *Sal* appellari. Si *Salitores* dixisset Dominus, aut *Salarios* magis expedita esset responsio. Itaque varia cõminiscuntur homines egeniosi, prout cuiusq; affectus erga hæc aut illa magis inclinat. Mihi medicum aliquid spectasse cælestem animorum *Medicũ* ex ijs, quæ præmisi, pronum est asserere. *Salitores Salarij.*

Sal à putredine conseruat. SIQVIDEM corruptioni orbis & putredini vitiorũ in mundo occurrere volebat Dominus, Apostolis, per orbem vniuersum, ceu *Sale*, sparsis. Commodissimè autem *Sal* ad hunc finem designauit. Nam, vt rectè Philo, libello de offerentibus victimas: *Sal conseruator est corporum, secundo post animam ordine.* Quemadmodum enim anima est caussa incorruptionis corporum: Ita *Sal* diutissimè illa tuetur, ac quodamodo reddit immortalia.

Cur maris aqua salsa. Ex quo principio illa commodissimè soluitur quæstio à Philosophis agitata. Cur Deus ab ipso mundi exordio mari salsedinem indiderit, adustarũ exhalationum interuentu, vt adstruere videtur D. Basilius in hexameron, & D. Isidorus lib. XIII. etymolog. Quamuis enim non desint, qui existiment, id eo fine factum, vt piscibus, quibus mare est domiciliũ, idoneum esset nutrimentum: quod sine conditura satis minus aptum videtur, cũ marini pisces maiori ex parte extra aquã salsam non viuant. Alij nauigationis cõmoditatem, vt caussam adsignent. Est enim aqua salsa nauigationi aptior. Si quidem crassior, & grauior multo melius nauium pondera sustinet. Et, cùm calidior sit, multo minus brumæ frigoribus stringitur, quam amnes, qui dum *S. Basil. hom. 4. S. Isid. lib. 13. ety. c. 14.*

algore pigrescunt, nauigationisq; cursum per id tempus solito magis morantur, vt ex Plutarcho notant recentiores Philosophi. Tamē placet magis dicere, id eius rei gratia à summo rerum Conditore prouisum, ne aqua maris, perpetuo solis calore computrescat. Ad quod minimè sufficere videbatur motus reciprocus. Nam non omnia maria hunc motum subeunt. Quocirca, cùm bona pars aquæ marinæ, cessante vento stet: imò etiam, cum ventorum motio ad putredinem impediendam non videatur sufficere, vt est animaduertere in stagnis, ac lacubus, quæ non subinde recentibus aquis innouantur: vtique nisi mari etiam beneficium salsuginis adesset, vitium faceret. Ita ferè disserunt Philosophi Conimbricenses. Quorum sententiam adprobo. Vti & illius, qui dicebat: Belluis animam salis instar esse: quasi corpus nullum sine sale conseruetur.

Plutar. lib. de caus. nat. q. 7.

Li. Meteor. Tract. 10. c. 5

IMO corpus humanum salsuginem ad sui conseruationem requirit. Hinc salsa per corpus discurrens materia, phlegma, sputum; & id genus alia. Quare Auctor de mirabilibus Scripturæ sacræ nomen præferens Augustini, modum, quo vxor Loth in statuam salis est versa, hunc adsignat: quod in eius corpore, sicut & cuiusuis alterius hominis, quicquid salsæ materiæ fuerit, per omnia membra se infuderit, atque ita totū corpus infecerit, vt sal euaderet. Et illud obseruatum à nautis reperio: Aquas nonnihil salsas, tamen potui adhuc idoneas, vtiliores esse nauigantibus, quod diutius incorruptæ seruari possint. Atque eam ob caussam dicunt, eas se ex puteis mari vicinis haurire. Quin etiam, qui naturas rerum diligenter perscrutātur, adfirmant, puteos malè olentes, ac prauo aliquo sapore infectos, nulla ratione meluis expurgari, quam sale in eos iniecto: inijci autem salitam quartam partem modioli in singulos.

Corpus humanum salsugine conseruatur.

Lib. 3. ca. 2.

HINC est, vt *Sal* perpetuitatis, ac æternitatis sit nota. Numerorum XVIII. magni instar beneficij Aaroni, ac Sacerdotibus additur, *Pactum salis. Pactum salis*, inquit scriptor diuinus, *est sempiternum coram Domino, tibi, ac filijs tuis.* Vbi LXX. Interpretes, epithetum, *sempiternum*, non pacto, sed *Sali* adiungunt, hac sententia: Διαθήκη ἁλὸς αἰωνίου. *Pactum salis sempiterni.* Sic etiam Chaldæus insinuat. Simile quid dicitur libro secundo Paralipom. cap. XIII. *Num ignoratis, quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid, super Israel in sempiternum ipsi, & filijs eius in pactum Salis?* Erat autem hæc paræmia apud Hebræos, ac significabat pactum perpetuum, incorruptum, inuiolabile. Ac licet Caietanus neget se scire, quare pactum firmum, ac stabile vocetur *pactum salis*: tamen ex ipsa natura eam elicere est facile. Cum enim *Sal*, vt rectè dixit Philo, sit *conseruator corporum*, soleatque rebus in se corruptibilibus, durationem quandam, & incorruptionem tribuere, aptissimè pe petuitatis est figura.

Sal æternitatis symbolum.

Pactum Salis.

NOTA.

2 Para. cap. 13. 5.

QVOCIRCA auctores non contemnendi censent, dum dicitur Genesis XIX. de vxore Loth, *Versa est in statuam salis*: significari rem incorruptibilem, atque in æternum permansuram: allusione facta ad salem metallicum, quem nullo imbre liquescere, & pro saxis ad ædificandas domos idoneum Plinius docuit. Licet reuera, salua fide, negari non possit, fæminam illam, verè, in salem mutatam: vt esset *incredibilis animæ memoria*, μνημεῖον, *stans figmentum salis*, vt loquitur sapiens. Quod profectò Christus nostrorum condimentum morum, &c

Statua salis.

Gen. 19. 26.

NOTÆ.

Plin. lib. 31. Cap. 7.

Sap. 10. 7.

S. Ambro. Psal. 43.

Aug. 66. de Ciuit. c. 30.

Rupert. l.6. in Gen cap.12. Orig in Gen. Albin. lib. Opt. lib. 3. in Parm.

rum, & pharmacum sapientiæ esse voluit, vt consensu Patres docent.

Qvare scitè Cromatius: *Sicut sales, cum operantur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fatores auferunt, sordes expurgant, vermes non sinunt generari; ita & cælestis gratia, ac fides, quæ per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur.* Aufert enim carnalis concupiscentiæ corruptelam: peccatorum sordes expurgat: odorem malæ conuersationis excludit: vermes delictorum non sinit generari: id est, in corpore libidinosas ac mortiferas voluptates non permittit exsurgere. Quoniam itaque *Sal* perpetuitatem quandam confert, idcirco rectè Apostolorum est symbolum, quos hoc vnum curare volebat Dominus, cum *Sali* comparabat, vt homines à corruptione liberos, æternitati aptarent. Id Petro, id Paulo in votis fuit semper. Neque alium finem, tam laboriosæ per orbem susceptæ peregrinationes, tandemque gloriosa pro Christo mors tolerata habuit.

Qui non sint saliti sale Euangelico.

Hoc *Sale* minimè saliti sunt, qui non nisi temporalia spectant, viles animæ, qui terrenis inhiant: voluptatibus eneruantur, & corrumpuntur: vanitatis fumo victitant: inquinantur auaritiæ sordibus: fœtent concupiscentię graueolentia: deuorantur criminum, tanquam vermium, multitudine: hęrent in luto luxuriæ: voluuntur in suo volutabro: computrescunt, velut iumenta, in stercoribus suis. Sed ne omninò intereant; ad montes fugiendum est, *Montes Salis.*

Varia genera salis. Notæ. Sal ex aqua.

Vervm, vt intelligatur, quomodo Mundum hoc sale Devs à putrefactione seruauerit, salis virtutes consideranda sunt. Salem varium habemus. Primi generis ex aquis, marinâ, fontium, vel lacuũ salsorum, solis, aut ignis vi, ad crassitiem excoctis. Simili modo Apostolos in salem mutatos cõcipit S. Remigius. *Sal,* inquit, *per aquam, & ardorem solis, ac flatũ venti in naturam alteram mutatur. Sic & Apostolici viri per aquam baptismi, & ardorem dilectionis, ac flatum Spiritus sancti in spiritualem regenerationem sunt commutati.* Bellè equidem: sed quod maximè propriè Petro conuenit, quem ex ipsis aquis, solis iustitiæ diuinæ radijs illustratum, in Cõstantiæ, ceu Salis, Petram cõcreuisse audiuimus. Deinde, est Sal fossilis, complectus, ac purus, è terra egestus: vel ex terra salsa aquæ admistione excolatus, excoctusque, post terræ subsidentiam, quemadmodum in alijs salsis aquis fit. Sed & artificio fit lixiuium, ex quibusuis ferè herbis, & lignis aridis exustis, inde decoctione Sal. In Vmbris, inquit Aristoteles, locus quidam, vnde arundo, ac iuncus protuberat, salem suppeditat. Nam vtrumque deurunt, magnamque salis copiam colligunt.

Sal fossilis.

Vires salis.

Cvivscvnqve generis sit sal, calorẽ habet in primo aut secundo genere intensum. Siccitatem, præcipuè fossilis, maiorem. Adstringit: densat: absorbet humiditatẽ excrementitiam: putredini, ac veneno resistit: gingiuas confirmat: dentes mundat: ventriculum roborat: appetentiam conciliat: ita gratus, vt sine eo vix cibum amplectatur ventriculus: frigidis ac humidis constitutionibus vtilis: infestus siccis, biliosis, atra-bilarijs. Nam humiditatem, vt abundantem absumit: ita, ea non obuia, naturalem depascitur: ideoque vsu copiosiore sitim mouet. Hinc est, quod C. Crispus Salustius in bello Iugurthino Cappenses, quia salem non appetebant, sitim facilius tulisse scribat. Ad hæc, mordet: vellicat intestina: exulcerat: dysenteriam, tenesmonem,

Isa.52.7. Rom.10.15. Matt.10.12 Luc.10.5.

inter vos. Quod Apostolis fuit dictum, Angelis pacis, quos oportebat euangelizare pacem: & *ministerium gerere reconciliationis*, vt loquitur Paulus. Ac gestare cum tintinnabulis doctrinæ, mala punica caritatis, vt notat S. Gregorius in Pastorali.

2.Cor.5.19. 2.par. Past. cap 4.

Siccitas in Sale, quid?

HIS adde alteram Salis dotem pręcipuam, Siccitatem, Apostolis maximè conuenientem. Per hanc autem, morali interpretatione, significamus, vitiorum, ac prauorum adfectuum, qui non secus, quàm humores superflui, & excrementitij putredinem inducunt, carentiam: maximè verò, luxuriæ, auaritiæ, ac voluntatis propriæ. Qui tres humores facilius, quam vilius pituitæ cursus, aut phlegmatum integra cloaca, in corpore interitum, corruptionemque operantur. Ab his liberrimum fuit *Sal* Apostolorum. Nam si id hactenus à vobis non fuit auditum; Apostoli haud secus, ac modò Religiosi, Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ votis fuere obstricti, ac perpetuò mancipati. Castitatis autem sponsione sacra, humor luxuriæ: Paupertatis voto, auaritiæ: Obedientiæ promissione, voluntatis propriæ, haud secus, ac viciatorum humorum noxiæ distillationes, ac defluxus exsiccantur.

Petrus aliquando maritus. Matth.8.

PETRVM Apostolorum Principem coniugij vinculo aliquando fuisse adstrictum non inficior. Id enim Socrus, cuius meminit Matthęus; & vxor, quam martyrij laude floruisse scribit Clemens Alexandrinus, apertè testantur. Aliorum Apostolorum neminem habuisse vxorem probabile est. Vt non malè dixerit Tertullianus: *Petrum solum inuenio maritum per Socrum: ceteros cum maritos non inuenio, aut spadones intelligi necesse est, aut continentes.* Et etiamsi illorum plerique, aut omnes habuissent cōiuges; tamen, postquam à Christo vocati fuerunt, & *relictis omnibus*, ei sese perpetuò comites adiunxerunt, vsu coniugij omnes abstinuisse adfirmant Catholici. Sed eximia fuit Pauli castitas, qui sui exemplo, ad eandem virtutem alios Christi sacris initiatos hortabatur. Eam autem is haud dubiè, sicut & Paupertatē, & Obedientiā, voto firmauerat, sicut Sodales ceteri.

Cle lib. 7. stro.

Tertull lib. de monog.

Christus voto astrictus.

NEQVE id à vero, rationeque abhorrens videri debet, cùm multis doctrina, ac pietate præclarissimis viris probetur, Christum ipsum; cuius dignitati, siue quam diuina cōferebat hypostasis: siue, quæ à gratiæ & cœlestium plenitudine oriebatur, necessitas, quę ex voto est, minimè repugnabat: Christum, dico, Incarnationis initio, ac primo quasi temporis puncto, quo Patris sui voluntatem exequuturum spospondit, se ita totum obtulisse Patri, vt se, suam vitam, omnesque actiones DEO deuouerit. Eo quas voti nuncupatione perfici, & porrò voto nuncupato, quis dubitat, ad eius actiones illud referri debere, quasi absolui Theologi communiter asseuerant. Quo genere rerum, Castimoniam, Paupertatē, Obedientiam maximè contineri, hæreticis solummodò reclamantibus, inter Catholicos cōuenit.

Sal Hieroglyphicum. Paupertatis.

TRIA autem illa bellè admodum Salis Hieroglyphico exprimūtur. Quod imprimis Paupertatis est imago. Constar apud eruditionis antiquę amatores, *Sale*, *Salillo*, & tenui *Salino*, parcum, frugalemque, ac pauperum egentium victum significari. In ore est quorundam, illud Diogenis Cratero datum responsum, apud Laertium: se malle Athenis ἅλα λείχειν: *Salem lingere*, quàm apud Craterem opiparâ mensa frui. Eadem phrasi Plautus Curculione. *Hodie apud me nunquam delinges salem.*

Ll 3 Hinc

Hinc, *Salinum regustatum digito terebrare*, apud Persium. Cuius Commentator Cornutus, scribit, *Salarium* esse victum vnius diei, videlicet tantum, quantùm ad vitam tolerandam est necessarium.

Castitas is. Valles. de sacra Phil. cap. 34. EODEM Castitas denotatur. Nam Salis vsu copioso, ac frequenti sterilitatem inferri constat Medicorum consensu, quod exsiccet vehementius & acrius reddat semen. In sacra Scriptura simili de caussa *Salsugo* opponitur terræ fructiferæ, Iob XXXIX. *Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in loco Salsuginis.* *Iob 39.6.* Psalmo CVI. *Terram fructiferam in Salsuginem.* *Ps. 109. 34.* Ieremiæ XVII. *In siccitate, in deserto salsuginis, & habitabili.* *Ier. 16. 7.* Denique Obedientiæ etiam typum habere Salem ignorare non potest, qui nouit eorum solere dici nos *Salem* comedere, quibus libenter dicto audientes sumus.

Cur Deus videatur delectari Sale. Ex his facilè est respondere ad illud quorundam quæsitum: Quare Deus Sale videatur delectari? Nullum enim sibi gratum esse sacrificium significat, quod non sit Sale conditum. Id verò non tantùm in veri Dei, sed & falsorum sacrificium solenne fuisse constat ex Plinij historia naturali, in qua de Salis agens encomijs; inquit: *Maximè autem in Sacris intelligitur eius auctoritas, quando nulla conficiuntur, sine mola salsa.* *Plin lib. 31. cap. 7.* Quo ritu ille ductus fortasse Plato, dixit Dialogo de Natura: *Sal Deo amicum corpus.* Quasi verò in omni oblatione offerri sibi Salem expetierit, tanquam gratum amicumque corpus. Quæ huiusce rei caussa? Explosa est iam dudum, illa quorundam vanissima opinatio: Angelos, cùm corporei sint, vt aiebant, rebus quibusdam corporeis capi: alijs pelli: Nimirum inter spiritus illos, haud omninò puros, vt existimabant, similesque res sympathiam, vel antipathiam aliquam imaginabantur. Illud idem ad Deum transferendum esse, fortasse non nemo ex ijs potuit arbitrari. Sed non cadit in hominem Christianum tanta impietas. Idcirco igitur *Sale* potissimùm in sacrificijs delectari se ostendit, quoniam *Sal* nota est eorum, quæ Deo gratissima sunt, & à nullo vult abesse sacrificio, gratię, amicitiæ, paupertatis, castitatis, obedientiæ, integritatis, virtutumque aliarum.

QVÆ, cum ita se habeant, non est difficile declarare, ex Salis similitudine, quomodo orbem terrarum à corruptione putredinis præseruarint Apostoli. Id enim facit Sal calore præsertim, & siccitate. Siquidem calore suo, internum, ac natiuum animalis confirmat, & auget, vt perfectas operationes suas in corpore habeat. Siccitate autem aduentitiam humiditatem, quæ corruptionis est caussa, absorbet, & absumit. Atque idcirco docent Medici, Salem frigidis, ac humidis constitutionibus vtilem esse: infestum siccis: quod humiditatem abundantem, ac superfluam absumat: & nisi illam inueniat, in naturalem vires exerat. Vnde manifesti miraculi speciem habet, quod de S. Portiano refert Turonensis: solitum illum in magnis æstibus, feruentissimo Sole, post longa ieiunia, arentibus intestinis *Salem* mandere, cumque Salis acumen augeat internum calorem, ac sitim, illi tamen sedabat, ac refrigerabat viscera. Porrò confirmato calore interno, absumptaque humiditatis superfluitate, à putredine nullum est periculum. Nam, vt docet Aristoteles in Meteoris: putrefactio est proprij, ac naturalis caloris in humido primigenio existentis ab extranea corporis ambientis maleuola vi (nempe inimica caliditate, corruptio.

IAM

Calorem amoris Apostoli excitant.

IAM recogitate, Apostolici muneris fuisse, ardorem illum ingentem, quem igneo Spiritus baptismo conceperant, in alijs quoque excitare. Hoc fine, se in aliorum familiaritatem insinuabant: omnibus sese coniungebant: neminem aspernabantur: influebant in animos: obdurata pectora perrumpebant, vt Salis instar, languentes ipsorum stomachos excitarent: id est, desiderium cœlestium accenderent: natiuum caritatis calorem fouerent: amorem Dei, ac proximi, in auditoribus ingenerarent. Idque triplici modo: *Exemplo*, *Doctrinâ*, *Prece*. Exemplũ amoris immensi, quo relictis omnibus, sequuti erant Dominum, desertâ patria, spretis amicorum blanditijs, ac posthabitis corporis commoditatibus omnibus, vagi, ac inopes alienas terras oberrabant, salutis alienæ gratia, veluti *Sal*, frigida mortalium corda accendebat. Doctrina de diligendo Deum, super omnia: de amando proximum: de amplexandis inimicis, tanquam conditura Salis internum calorem prouocabat. Prece à Deo hunc ignem, quem venerat mittere in terram, accendi in omnium pectoribus postulabant.

Apostoli libidinis calorem extinguunt.

VERVM, vt calorem internum ignis diuini excitat Apostolicum *Sal*: ita extraneum libidinis penitus sopit, ac extinguit. Huius figuram habemus in Sale benedictione consecrato, quod incendijs solet resistere. Bonifacius magnus Germaniæ Apostolus, cuius hodieque supersunt plurima, quæ religionem antiquam sapiunt, vestigia, salem benedixerat, qui, cum monasterium Bischofcheim incendio fortuitò conflagraret, in ignem coniectus, illum diuina virtute restrinxit.

Rudolf. in vita S. Lioba.

Sal & lux copulata.

PORRO, quia Apostolos exemplo non minus, quam doctrina agere volebat Christus, copulauit *Salem* & *Lucem*: *Vos estis Sal terræ*: *Vos estis lux mundi*. *Sal* quidem terræ, quia homines, & sua sapientia docere debebant, & suis moribus, atque exemplis ad virtutis studium inflammare, non aliter, ac Sal saporem cibis impertit, &, à carie, putredineque conseruat. *Lucem* verò mundi; quod cunctas orbis nationes Euangelicæ doctrinæ, & vitæ morumque cœlesti quodammodo luce illustraturi erant. Argutum est, sed dubito, an æquè verum, quod habet Auctor operis imperfecti: Apostolos comparari *Sal*, Iudæorum respectu; *Luci* verò, Gentilium intuitu. Videlicet, quod Iudæos, qui iam veritatem agnouerant, in ea fidei veritate conseruaturi essent, ne quodammodo putrefierent: Gentiles autem nouæ cœlestisque doctrinæ præceptis instituturi: quod luci maximè conuenit. Nam licet Iudæi verum Deum agnoscere possent, ac deberent, nulli tamen magis doctrinæ Euangelicæ, quam Apostoli prædicabant, sese opponebant. Illi enim erant, quos Apostolus Paulus velo obductos, id est, perfidia obcæcatos oculos habere adfirmabat; ideoque non videre Christum, neque Prophetas.

Matth. 5.

2. Cor. 3. 15.

CETERVM, non minus alia virtute Salis, quæ est exsiccare, superfluum omnem rerum terrenarum humorem absorbebant Apostoli: suadendo deferendas esse diuitias, nec pluris, quam exitialem profluentiam humorum æstimandas: voluptates carnis, velut perniciosa phlegmata, & abundantes pituitas nauseabundi instar experendas: abneganda propria voluntatis desideria: adamandam paupertatem: castimoniam: con

Exsiccant humana corda.

re, & animo purè excolendam: cupiditatum abnegationem sanctè suscipiendam esse. Id ipsum, non verbis magis, quàm exemplo, reque ipsa apud alios ad imitationem prouocatos perficiebāt. Hinc, tot in vniuerso homines, qui haud dubiè putrefactione, tanquam iumenta in stercoribus suis, interijssent, à corruptione præseruarunt. Hic exclamet Poëta:

Libenter ad Montes hos fieri velim
Prometheus.———

Apostolicū Sal corrupta restituit.

Hoc & nobis optandum: sed multo magis, vt in desumpto *Sale* condiamur. Cuius ea est virtus, vt non solùm à putrefactione præseruet: quod Salis materialis est proprium: verùm, quod huius vires superat, corrupta penitus pristino vigori restituat. Corruptos homines, & vitijs magis, quam tabificum & vlcerosum corpus, sordibus putentes ab omni putrefactione liberat. Ac, vt rectè dixit in Matthæum scribens D. Hilarius: *Apostolica doctrina si obsequetur* Sal, *in æternitatem corpora conseruabit incorrupta.* Addit idem S. Pater: *Apostoli sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut* Salitores: *meritò* Sal terræ *nuncupati, quia per virtutem doctrinæ, quasi salientes æternitati corpora seruant.* Sed omnia virtute Christi, vt caussæ principis. Quod monet S. Chrysostomus, qui sic commentatur in Matthæi xv. caput.

S. Chrysost. hom. in cap. 15. Matth.

DICENDO, *Vos estis* Sal terræ, *ostendit vniuersam hominum esse infatuatam naturam, & peccatorum vi corruptam; atque idcirco illas ab ijs virtutes requirit, quæ maximè ad multorum salutem procurandam necessariæ sunt, ac vtiles. Ergóne Apostoli putrefacta medicati sunt? Nequaquam: quia fieri non potest, vt ea, quæ iam corrupta sunt, salis perfricatione reparentur. Non ergo hoc fecerunt. Sed antè renouata, sibiq; tradita, atque ab illa iam putredine liberata, aspergebant Sale, & in ea nouitate conseruabant, quam à Domino susceperant. Liberare quippe à putredine peccatorum Christi virtutis est. Vt autem ad illa iterum non reuertantur, Apostolorum curæ est, ac laboris.*

Sal veneno resistit.

AD *Salis* quoque virtutem spectat, quod resistat veneno. Veneno mortifero plena erant omnia. Quicquid in mūdo, venenum vibrabat: nec inueniebatur vbique sparso toxico remedium. Itaque Salis montes erexit Dominus, quorum vel intuitu, venenatæ bestiæ, tanquam cœlitus tactæ profugiunt. Quid? quod & vmbra horum montium terreantur. Quod nunquam mihi lectum de Sale materiali, cuius vmbra non est medicinalis, sicut Salis Apostolici, quę morbos non secus spirituales, & corporales, quàm realia pharmaca curat. Testis & Petrus, cuius vmbram prensabant ægri, vt sub ea liberarentur ab infirmitatibus.

Sal alicubi venenum.

SED alicubi *Sal* venenum est. Nam vt taceam, quod Augustinus habet libro secundo, de moribus Manichæorum cap. 8. *Si immodicè sumatur, Sal venenum est: Nitrum,* quod procul dubio ad *Salem* spectat, tam acrem obstruendorum meatuum vim habet, vt plurimum lædat viscera. Quin sparsum in ore leonum, ac vrsorum, eius est facultatis, vt obstructis meatibus mordere nequeant, teste Isidoro. Leonum omnium rugientium, nobisque insidiantium vrsorum ora cōclusit: imò edentauit, vt mordere amplius non potuerint, Salis Apostolici auctoritas. *Isid lib. 16. cap. 2.*

Sal sterilescere facit agros.

AGROS etiam, in quibus radices iecit, cogit *Sal* sterilescere ab omni inimici germinis frutice: mordet enim atque extinguit quicquid aduersariarum partium caput exerit. Non crescit quicquam

quam hæreticæ prauitatis illo in agro, in quo Petrus, & Paulus altissimi Salis montes consistunt. Ideò tam cultus est Romanæ fidei campus. Auditumne aliquando à vobis, quod referunt Indicarum rerum Scriptores? In Ormuziana Sinus Persici insula, quæ, præ omnibus orbis regionibus sale scatet; imò, tota, quamuis ampla, sale constare videtur; fluitque perpetuò, ac in montes coagulatur; esse salem tam mordacem, vt præ maximo acumine, quidquid illo sale conditur, absumatur. Nulla ob id in insula est herba, auis nulla, aut fera: imò nullæ animantes cicuræ, fons nullus potabilis. Ac cum præ nimio calore tota ferueat insula, indigenæ perpetuò in aquis degunt, toto corpore, præter caput, demersi. Talis est ager Ecclesia, in quo tantum est Sal Apostolicus: imò totus ex hoc Sale constat. Quod tam est mordax, vt quicquid falsarum opinionum illo conditur, absumatur. Sic, quod de pennis Aquilæ Plinius refert, ab ijs mixtas aliarum alitum pennas deuorari, in re præsenti credamus contingere.

Casp. Barr. Ann 549. Sur. Comm. 1565.

CVM Abimelechus Sichem expugnasset, eamque solo æquasset, fundum omne ædificijs destitutum sale conspersit, vt est Iudicum IX. in perpetuæ detestationis notam, aut signum. Hoc autem denotabat, verba sunt Theodoreti, sterilitatem, quoniam ex sale nullus fructus nascitur. Licet interdum plantas, vt crithon; & arbores, vt palmas, eo valde iuuari scribat Theophrastus. Atque hinc Deuteronom. XXIX. in plagis, quas ob impietatem nonnunquam terræ infligit Dominus, est & illa, quod eam sulphure salisque ardore comburat; ita, vt vltra non seratur, nec virens quidpiam germinet, in exemplum Sodomæ, & Gomorrhæ. Et Psalmo CXVI. cantat vates Regius: *Posuit flumina in desertum, terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantium in ea.* Sic Mediolanum exaratum, saleque conspersum fuisse legimus, vt scribit Carolus Sigonius. In Hispania autem vrbes complures, vt Abulensis narrat, eodem pacto interitus sui reliquerunt monumentum. Mundum hunc expugnauerat ferarum domitor excisis aduersarij superbissimi, quas orco deuouerat, arboribus, & vt nunquam amplius pullularent, cautum esse volebat: Salem igitur spargit, sed Apostolicum, quo mundi arua sterilescunt: at palmæ feliciter proueniunt, quibus Ecclesiæ amœnissimam siluam conserere proposuerat. Vtinam *Sal* iste in Germania copiosè spargatur, & spuria hæreticorum fruticum germina eradicet stirpitùs.

Sal ita vrbium excisarum loco. Iud. 9. 45. Theod qu. 17. Iud. Theod. lib. 3. de caus. plan cap. 14 & 24. Deut. 29. 23.

Sigon. lib de regno Italiæ 14. 45. Iud.

ALIAM comparationis à nobis institutæ rationem reddit sanctus Gregorius. Cùm enim constet *Sal* ad condituram tam esse necessarium, vt sine eo cibum ventriculus vix complectatur, id Magnus Papa ad Apostolos, ac viros Apostolicos refert, & *Petram-Salis* nominat: *Si Sal sumus*, inquit, *omnium nomine, condire mentes fidelium debemus. Vos igitur, qui Pastores estis, pensate, quia animalia Dei pascitis. De quibus profectò animalibus à Deo per Psalmistam dicitur:* Animalia tua habitabunt in ea. *Et sæpè vidimus, quod* Petra-Salis *brutis animalibus anteponitur, vt ex eadem Salis petra lambere debeant, & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia* Petra-Salis *debet esse Sacerdos in populo. Curare*

Sal conditura seruit.

Hom. 17. in Luc. 10.

namque Sacerdoti necesse est, quæ singulis dicat: vnumquemque qualiter admoneat, vt quisquis Sacerdoti iungitur, quasi à Salis tactu æterna vitæ sapore condiatur. Sal etenim non sumus, si corda audientium non condimus. Quod condimentum ille proximo veraciter impendit, qui prædicationis verbum non subtrahit. Huius Salis conditura, quæ amara erant anteà, fiunt dulcissima.

Sale edulcantur aquæ. Lib. 4. Reg. 2 QVI est alius Salis effectus. Sanè Eliseus, cum aquæ Hierichontinæ pessimæ essent, ac terra sterilis, adferri sibi iussit vas nouum, & mitti in illud *Sal.* Quod, cùm attulissent, egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: *Hæc dicit Dominus; sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergò aquæ* Sale nimirum. *Sed nunquid potest ficus vuas facere, aut vitis ficus?* inquit Iacobus Apostolus. *Iacob 3.* quomodo salsa dulcedinem inducit? Fortasse DEVS nullam hic naturæ rationem habuit, sed adhiberi voluit rem prorsus contrariam, & noxiam, maioris potentiæ declarandæ caussa. *Francisc. Vall de Sac. Philos. c. 54* Probabilitate tamen non caret doctissimi Medici sententia: naturæ hic habitam rationem, licet DEVS plurimum facultatis Sali naturali adiecerit. Vitium enim aquæ, si corruptio fuit putrida, ac olida, sale tolli potuit. Nam sal calidæ, ac siccæ naturæ cùm sit, ac facilè cum aqua dissolutus commisceatur, putres in ea siue vapores, siue partes consumit, & putredinem emendat, atque integritatem facit diutius retinere. Testantur enim nautæ, vt superius diximus, aquas nonnihil salsas diutius seruari incorruptas. Hoc igitur videtur rationi maximè contentaneum, præsertim, cum terra vitio aquarum, quibus irrigabatur, fuerit quoque sterilis, sterilitate orta ex putrescentia, & graueolentia magis, quam ex sanguine. Maiorem multo vim habet *Sal* Apostolicus, siue ad sanandas aquas putridas & amaras opinionum erronearum mundi; siue ad amaritudinem calamitatum, & ærumnarum dulcorandum. Eo enim saliti homines opulenti ac nobiles, præ delitijs, Christi crucem amplexati sunt, in persecutionib. quam in voluptatibus lætiores.

ERANT autem Apostoli *Sal* admirandæ duritiei, quod nulla violentia corporis alterius, nulla circumstantium aduersitate, aut minui poterat, aut vim amittere. *Sal constantia admiranda.* Sal, quo ad cibos condiendos vtimur, si in aqua conijciatur, dissoluitur, liquescit, ac interit. *Sal aqua liquescit, ac perit.* Nota est historia, quã habet Ælianus de Thaletis Milesij mulo. *Aelia. lib. 7. cap. 37.* Is, cum sale onustus fluuium transmitteret, vsu fortè euenit, vt & caderet, & sarcina euerteretur: sal autem aqua perfusus liquesceret. Asinus ex eo, quod iam ab onere solutus, & liber factus esset, magnam lætitiam, voluptatemque cœpit: & simul, quantum inter laborem, & ocium interesset, cognouit, in reliquum tempus fortunam iam sibi magistram habens, quod primo casu contigerat, posteà sciens repetijt, sponte cadens, & sic se exonerans. Quod, vt Thales intellexit, sapientia vlciscendam malitiam arbitratus, pro sale, spongijs, ac lana onerari præcepit. Mulus instructarum sibi ignarus insidiarum, ex veteri consuetudine, in casum ruit. Cùm autem aqua oppletum onus grauius esset, sicque premeretur, detrimentum passus ab astutia, ex eo tempore sine fraude flumina transiens, ab omni lapsu tibias sustinebat, salemque ab eo incommodo integrum conseruabat. Sal quoque Agrigentinus si igni iungatur, soluitur vstione. *Solin. c. 10. Plin lib. 31. cap. 7.* Quod

si

si liquor aquæ approximauerit, crepitat, ac si torreatur.

Sodaliditas Apostolici Salis. APOSTOLICVS. Sal neque igne, neq; aqua sine tribulationis, siue prosperitatis soluitur, aut perit: sed immotus, cautis instar, perstat, Tragusæ sali similis: quem memorat Isidorus, in igne positum, neque exilire, neque crepitare, minis omnibus, ac terriculamentis potentiorem. Talis Paulus, talis Petrus, *Isid. lib. 16. cap. 2.*

Res generosa Petra est, temnit nimbosq; niuesq;,
Despicit AEthneas tela trisulca minas.

Plin. lib. 31. cap. 7. Refert enim Plinius in Africa circa Vticam constitui aceruos salis ad collium speciem, qui vbi Sole, Lunaq; indurverunt, nullo humore liquescunt, ac vix ferro cæduntur. Maior fuit constantia salis Apostoli, quæ nec ferro cædi potuit. Ad hanc soliditatem perduxit eos vnius Solis Iustitiæ radius, qui omnem terrenam humanamque concretionem in ijs decoxit.

TRADVNT ii Patres, qui Ægyptum, vicinasque regiones peragrarunt pietatis caussa, compertam à se vallem, ex se humorem gignentem salsum, quem illicò solis calor, velut hyemalem pruinam in glaciem, ita in salem stringit, & tanquam sudes acutas efficit. Vnde omnia illa loca exasperantur, vt non solùm nudos pedes, vti erant Anachoretis, sed & calceamentis munitos terebret, ac secet. Ex Apostolico sale igne diuino indurato murices fiunt, quibus hæreticorum pedes, licet ferro obstinationis muniti, terebrantur. Claui sunt ipsis in oculis, sudes in lateribus, lanceæ in pectore. Quæ cum ita sint, haud ineptè, vt opinor, Apostoli cum sale comparantur, vt totidem *Salis Montes*, ad quos nobis, si sapientia æterna saliti esse velimus, est confugiendum, illudque vsurpandum crebrò, quod Ecclesia in sacrificio occinit: *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis* PETRA *solidasti.*

NOTAE.

§. VOCANTVR *Apostoli* Sal terræ. *Nomine terræ homines significari docet Augustinus, lib. 1. de sermone Domini in monte. Fortasse Apostoli dicuntur* Sal terrę, *quia Christus erat* Sal cœli, *diuina Sapientia cuncta saliens: cuius, quicquid est expers, est insipidum, fatuum, insulsum, incondi-tum.*

Multa de Montibus, quibus comparantur viri præclara patrantes, Helicon Christianus, ab Ingolstadiensibus Eistadiano Episcopo scriptus Anno MDCXIII.

Ludit Poëta recens in nomen Doctoris Theologi Ioannis de Salas,

SAL Sala orbis erit, gratas qui condiet escas.
Chara Dei vt soboles vaticinata fuit.
Vt *Sal* hęreseon, eius doctrina cruentas
Sanabit plagas, quas stygis vnda tulit. (cant.
Vt *Sal* ne ingenij vires torpore putrescEfficiet tanto certa medela malo.

§. CHRISTVS mons montium.]
Pelion est tuber si cõparo, scrupulus ossa.
Vix poteris Rhodope ad Montem hũc verruca vocari.

§ PACTAM Salis.] *Lege Martinum Delrio Tom. 1. Adagio* CIX. *Varia est interpretatio. I Hieronymus Oleaster, putat Sal fœderibus omnibus, ac pactis fuisse adhibitum, ad significandum fœdus inuiolabile, ac perpetuum fore. II. Antonius Fonseca scribit, significari sale, pactum hoc perpetuò ita seruandum*

dum, sicut Deus voluit seruari præceptum suum de apponendo omnibus sacrificijs. Leuitici II.13. In omni oblatione tua offeres Sal. *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies. Nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. Quo loco consule Ioannem Lorinum.* III. *Sebastianus Barradas Tom.* II. *Harmonia lib.* VII. *cap.*5. Pactum Salis *idem esse opinatur, quod* Pactum amicitiæ: *Sal enim sumitur pro mensa, cibo, consuetudine amicorum, contubernalium: Vt* 1.*Esdra* IV. Memores salis, quod in palatio comedimus. *Verum istud non conuenire loco Numerorum, & Paralipomenon notat Delrio.* IV. *Franciscus Vallesius lib de sacra Philosophia cap.* XVI. Pactum Salis *explicat*, Pactũ sacrificij, *quia à nulla oblatione aberat Sal. Aut*, V. Pactum Salis, *id est, perpetuum, quia Sal tollit corruptionem* VI. Pactum Salis, *id est*, perpetuum, *quia hoc pactum inuicem & Deum homines, & Deo homines arctissimè deuinciebat, ita, vt inuicem violare non liceret.*

§. STATVA Salis.] *Adagium fuit in Sacris; quale apud profanos*: Conspecto Gorgonis capite, *apud Heliodorum, lib.* IV. *historia Æthiop. &* instar Gorgonum *apud Aeschylum. Et, viuens* Niobes archetypum *apud Lucilium. Istud quidem de homine stupido, ac immobili: proximum de terriculamento: primum de attonito, ac metu externato. Lege Martinum Delrio Tom.*I. *Adag.* XXVI. *& Ioannem Lorinum Sap.* X.7.

§. VARIA genera Salis.] *Est* Sal fossilis, *qui è terra visceribus effoditur*: Sal condimentarius: *qui aromatis, aut odoriferis seminibus irritandæ gulæ gratia conditur.* Sal Indus, *Saccharum.* Sal popularis, *vulgaris* Sal fusilis, *qui facilè liquescit.* Sal purus. Salis flos, *pro candido prima nota.* Sal natiuus, saxeus: *qui Sal gemmæ hodie dicitur, à pellucido nitore lapidis specularis, qualis olim* Sal Cappadocius.

PVERVM *olim in lucem editum, lotumq́; saliebant, & sic veluti condiebant infantem, ne citò ingenito sibi mortis semine computresceret. Ezechielis* XVI. 4. Quando nata es in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus: & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis. *Nimirum plebs Israelitica, quæ prope interitum erat, nec sale salita, id est, Salis beneficium à suo benefactore non erat consequuta, quo diutius conseruaretur.*

Hieronymus. *Tenera infantium corpora, dum adhuc vteri calorẽ tenent, solent ab obstetricibus sale contingi, vt sicciora sint, & constringantur. Quod ex Medicinæ præceptis fieri videtur. Nam Galenus lib.*1. *de Sanitate tuenda, cap.*7. *eam tuendæ valetudinis infantis rationem præscribit: vt primum, Sale medico inspersa cutis eius densior, solidiorq́; ijs, quæ intus sunt, partibus reddatur. In vtero enim æquè cum reliquis mollis erat: cum nec durius vllum externum corpus inibi contigerit, nec aër illic vsquam frigidus inciderit. At nostra ætas, quippe mollis & tenera, salis non modo non perfricationem, sed ne leuem quidem inspersionem admittit. Addit Hieronymus. Infantium corpora delicata pannis inuolui, tum alia de caussa, tum vt sale siccentur, nisi enim pannis inuolueretur, ac stringeretur, Sal facilè deflueret.*

§. SAL *Symbolũ*, 1. *Incorruptionis.* 2. *Pacis.* 3. *Aeternitatis.* 4. *Sterilitatis.* 5. *Sapiẽtia. Teren. Eunuc.* Qui habet Salem, qui in te est. *Vbi Donatus, Sal neutraliter condimentum: masculinum, pro sapientiâ.* 6. *Vrbanitatis. Ponitur frequenter pro ioco, ridiculo, dictis ad risum, & delectationem compositis. Catull epig.* LXXXI.

Nulla est in toto corpore mica salis:

id est, nihil venustum, argutum, facetum.

Quintilianus *lib.* VI. *Salsum pro ridiculo accipimus, consuetudine, natura non vtique: quamquam & ridicula oporteat esse salsa. Sales quoque Ciceroni sunt ridicula.*

7. *Disce-*

7. *Discretionis ac modi in omnibus rebus seruandi. Nam si vlla in re, in sale maximam, plus, aut minus, facit differentiam. Ex quo discas, qua per se bona sunt, nimietate vitium contrahere, vel adferre. Multa salis irrigatio, aut inspersio siccat omnes plantas, & solum ipsum vrit, ac facit sterile. Moderata quibusdam plantis est amica: nullis plurimum nocet. Animantia omnia à maxima salsugine moriuntur, qualis maris mortui est: moderatiori benè habent, vt reliqui maris. Generantur quam plurima, & in molem ingentem augentur ac maxima fruũtur salubritate: mortua etiam asseruari possunt diutius. Hominibus multus salis vsus est noxius. Siquidem sanguinem salsum facit, & sterilitatem infert siccando vehementer, ac acrius efficiendo semen. Vsus moderatus salacitatem, irritationem, & pruritum auget: ac proinde ad generationem confert. Profectò non sine caussa Poëtæ antiqui fabulabantur Venerem in mari natam: & à spumâ vocatam ἀφροδίτην.*

Itaque 8. *Sal est Symbolum fœcunditatis, & salacitatis.* 9 *Rei indifferentis, ad bonum, & malum. Cum, vt Hippocrates dixit, omnia sint ad aliquid bona & mala: de sale id videtur dici posse optimè. Est enim sæpe ac plurimis rebus noxius, plurimis alijs vtilis.* 10. *Paupertatis.* Sale emptum mancipium, *veteribus vsurpatum adagium, quo mercis vtilitas significatur.* 11. *Castitatis.* 12. *Obediẽtia.* 13. *Rei, in quâ facile decipimur. Facillimè in sale ab alijs discernendis contingit allucinatio. Quis salem, saccharum, farinam accuratè dijudicet? Ecclesiastici* XLIII. Gelu, sicut salem effundet super terram. *Quod non ad salis naturam refertur, quasi concrescat frigore, vt gelu: sed ad phantasiam, atque id quod apparet. Nimirum nomine gelu hic pruina designatur, quæ aspectu quidem sali per terram sparso est simillima, adeò, vt, si procul aspicias, non valeas discernere. Res verò adeò similes aspectu, discrepant naturâ plurimum. Nam pruina eandem habet cum niue generationem: hoc solum discrepans, quod circa terram consistit. Habet enim se ad niuem pruina, sicut ad pluuiam ros, & ad grandinem glacies. Hæc verò omnia sunt aqua concreta, exiguis differentia conditionibus. Sal autem insignem habet naturam, vix alteri vlli similem.*

14. *Rei de cuius ortu plurima est concertatio. Magnis inter doctos agitur contentionibus, quomodo generetur sal: tam occulta eius censetur productio, tam abditum genus. Sunt qui existiment, Salem concrescere, vt gelu à frigore, haberiq; illi similem generationem. Sed refellitur hoc à Clarißimis Medicis: sicut & illud, quod à frigore simul, ac calore producatur. Certè, sal neque in metallis est, quia non dissoluitur calore: neque in lapidibus, quia dissoluitur aqua: neque in terræ generibus, quia totus dissolutione abit in aquam: non quidem in ea subsidens, sed solutus in aquam crassiorem. Neque verò est aqua, quia non absumitur ab igne. Quid ergo illum esse dicas: nisi αὐτόγενον sui generis.*

1. *Innocentiæ, ac prudentiæ Christianæ. An fortasse idcirco inter ceremonias ante baptismum adhiberi solitas octaua erat gustus salis? Dabatur enim Catechumenis gustandum* Sal, *vt apparet ex Origine homil.* VII. *in Ezechiel. & Concilio Carthagin.* III. *Can.* V. *ad hunc salem sunt qui allusisse putent S. Augustinum, eum de puero ait, lib.* 1. *Confess. cap.* 12. Signabar in signo crucis eius, & condiebar eius sale. *Dabatur etiam panis benedictus loco Eucharistiæ, vt Augustinus testatur lib.* 11 *de peccat. mor. ac remiss. cap.* 26. *licet ipsum salem datum loco Eucharistiæ constet ex Concil. Carthag. citato.*

De Sale iustum volumen edidit Bernardus Gomesius & Gonzales à Meidis.

COMMENTATIO XXII.

Aphorismi sanitatis spiritualis.

In quâ, declarato vsu Aphorismorum, adducuntur aliquot ad sanitatem spiritualem pertinentes: quæ illustrantur Medicorum sententiis, accommodatione facili: Capitalis Aphorismus est, fons plurimorum: Contraria contrarijs curanda sunt. Huius sunt riuuli: Dilatare oportet nimis constricta: & contra. Humores, hos expellere: illos siccare: alios generare: nonnullos impedire est necesse. Repletio inanitione curatur. Corpora pinguia attenuanda sunt. Corpus extenuatum, impinguandum. Asperis inducenda lenitas. Nimis lenibus asperitas procuranda. Mollia induranda: &, contra. Sensus & motus stupidis exsuscitandi. Stupefaciendum aliquando. Resistentia vincere conuenit. Victus sit morbo contrarius. Dilatare oportet ea, quæ constricta.

Dominica qualibet Aduentus.

Ecce Saluator tuus venit. Isaiæ. LXII. 11.

Dominica XVI. post Pentecosten.

Vade, recumbe in nouissimo loco. Lucæ. XIV. 10.

Quid Aphorismus. Quibus familiaris.

EST in Medicorum scholis sententiarum genus quoddã, breue & accisum, quas familiari, ac proprio artis suæ vocabulo, *Aphorismos* vocant, vt Philosophi *Axiomata, dignitates, maximas*: quo loquendi genere vsus est Medicorum Princeps Hippocrates: in cuius Aphorismos extant luculenti commentarii, & Galeni, & aliorum quam plurimorum. In iis autem sententiis mira atque artificiosa breuitate continetur rerum maximarum compendium, & vt ita dicam, succus & medulla, siue sanitatem inducendam, siue conseruandam, siue ad illam spectantia prognostica cõsideres. Hinc factum, vt tralato ad alias quoq disciplinas vsu, *Aphorismi* dicti sint doctorum quorundam, sacrorum æquè ac profanorum enunciata. Ita qui multa lectione Theologorũ sententias de casibus quos vocant Conscientiæ collegit, easq;

easq; breuissimè ad vsum Confessariorum disposuit, libro edito *Aphorismos Cōfessariorum* vocandū censuit. Et ante annos paucos prodiit libellus pestilens, cuius titulus est: *Aphorismi doctrinæ Iesuitarū*, tum alibi, tum Vvittenbergę typis excusus, sed librum mendaciis ac calumniis refertum, castigato auctore, refutauit, haud paullò melior Theologus scriptor, aliumque opposuit hac inscriptione, *Aphorismi doctrinæ Caluinistarum.*

Aphorismi vsus in sacris.

QVOCIRCA non minus à sacris animorum, quàm profanis corporum Medicis *Aphorismi* vsurpari videntur, & eorum vsus etiam prophetarum seculo fuisse asseritur, si rem spectes, quod crediderim. Certè summo vir ingenio, & iudicio singulari Robertus Bellarminus, in expositione psalm XXXVI. obseruat Regem, continuata oratione in eo minimè vti, sed diuersas sententias, tanquā *aphorismos* collegisse, ideoque, vt facilius memoriæ mandaretur, per alphabetum digestum esse, ita, vt primus quasi aphorismus continens duos versiculos, incipiat à prima littera: secundus aphorismus à secunda, & sic de aliis. Quod hic in psalmis regijs, idem in Medici cælestis sermonibus diuinis obseruasse non diffiteor, cum quandoque post salubres multas exhortationes, aphorismos quosdam apponere plurimorum præceptorum instar: aliquando sermones integros ex aphorismis contexere: interdum vnum aliquem aphorismum enarrandum suscipere. Quare, cum toto hoc anno in Cælesti Medici arte planè diuina illustranda versati fuerimus, nequaquam officio nos nostro ritè functos existimaremus, nisi Magistri aphorismi aliquot à nobis explicarentur. Verum, cū tot sint, vt annum integrum, ad sui explicatum postulent, quem fortassis Aphorismis Euangelicis, suo tempore, dicabimus; hodie tantū specimen aliquod dabitur, vt vnico tot pomorum aureorum fructu degustato, de reliquis quid exspectandum, feratur à beneuolis iudicium.

HOC autem præ oculis habendum, quod initio præfati fuimus, medicandi rationem spiritualem cum corporea magnam habere similitudinem: neque dissimilia esse, analogia seruata, medicamenta, vt morborum etiam est magna affinitas. Quod in Aphorismis quoque contingit; qui accommodatione tantum egent, & materiæ immutatione, vt spirituali Medicinæ deseruiant, vt exemplis aliquot ex Euangelio hodierno petitis, manifestum faciemus; sunt enim in eo Aphorismi aliquot, siue Gnome, aut sententiæ modicæ; sed quæ omnes nituntur communi quodam, quod naturali lumine habemus, & ab Hippocrate, ceterisque Medicis omnibus commendatur. Est autem illud *Contraria contrarijs curanda sunt*; Quæ est maxima morborum omnibus generibus communis, sic calida frigidis, & humida siccis emendare solent. Ex quo tanquam vniuersali principio plurima alia deducunt Medici. Ex eo enim est, vt postea docebimus, Aphorismus XXXVI. Hippocratis. 6. Epidemion particula. 8. Contraria in morbo victus ratio adhibenda, in quo vniuersam victus rationem morbo contrariam esse debere contendit, ita vt si morbus calidus & siccus fuerit, victus ratio frigida ac humida sit. Hinc idem alibi: Victus humidus omnibus febricitantibus conducit. Quod autem de calido & sicco dicitur, ad alias quoque oppositiones transferendum est.

Contraria contrarijs curantur.

HVNC

Christus contrarijs sanat.

HVNC Vniuersalem *Aphorismum* sanciuit Cælestis Medicus ipso sui aduentus ad infirmos exordio, non tam verbo, quàm exemplo. Id obseruandum est à magni huius *Medici* magno asseclа, Gregorio Papa, qui libro XXIV. Moralium ita scribit. *Mos medicinæ est, vt aliquãdo similibus, aliquando contrarijs curet: calidis frigida: frigidis calida curare consueuit. Veniens ergo desuper ad nos* Medicus *noster, tantisq; nos inueniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit, ad homines quippe homo venit: sed ad peccatores iustus: concordauit nobiscum in veritate naturæ, sed discordauit, vel discrepauit à nobis in rigore iustitiæ.* Eo autem principio vsus est Christus in omni penè medicandi genere, ex eoque non minus varios ad spiritualis Medicinæ vsum Aphorismos nos diducere docuit.

PRIMO quidem ad curandam superbiam ex communissimo illo principio ducitur hoc minus vniuersale. *Recumbe in nouissimo loco.* Primo loco è diametro est oppositus & contrarius nouissimus, superbus laborabat appetitu primi, illum occupare semper conatur: hoc morbo primus superborum interijt, qui dicebat in corde suo: Isaiæ XIV. 13 *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altißimo.* Superbus in foro primas salutationes, in conuiuijs primam sedem, in senatu primam exedram, in consessibus prima subsellia; in ambulatione, dextrum, id est, dignius latus, vbique primas tenere concupiscit, & nisi dentur, vi alijs eripere, quandoque contra ius, fasque conatur. Huic efficax primo illo Aphorismo remedium, à contrario petitum suggeritur, *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouißimo loco.* Cui geminus est ille, qui præcesserat; *Cum inuitatus fueris ad nuptias, nõ discumbas in primo loco.*

HIC est modus, quo Deus superbiæ morbum sanare est solitus, quem ægris suis præscribit, quod si vtantur benè, sanitatem recuperant; si vsurpare detrectent, ipse opportuno tempore, etiam non volentibus, reclamantibus, ac repugnantibus ingeret. Cælestis enim Medicus est, qui superbo altiores sedes occupanti dicit. Heus tu præsumptuose, da huic locum, sicque superbus, cum rubore incipit nouissimum locum tenere, & ad sanitatem disponitur, Isaiæ XIV. *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Iob XX. 6 *Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur* Huius autem Aphorismi appendices sunt istæ. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Lucæ. I 48. *Qui se exaltat humiliabitur.* Lucæ XIV. *Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam.* I. Petri. versic. V. Eundem Aphorismum multo ante præscripserat Sapiẽs. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam* Ecclesiastici. III. 20.

Ex isthoc autem Aphorismo medicandi modum conuenientem, non superbiæ solum malum, verum etiã quoduis aliud, traxerunt præclari in asceticis magistri, qui morbos spirituales contrariis curandos remediis docent; Memini me legere in religiosi Ordinis adhuc florentis Constitutionibus, *Antevertere oportet tentationes adhibitis earum contrarijs: vt cum quis animaduertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipsum vtiles futuræ videantur, & sic de alijs prauis animæ propensionibus.* Hæc omnia ex Aphorismo illo medico: *Contraria contrarijs curantur*, de-

sumpta sunt. Cuius vis & energia, vt magis innotescat, & quam cælesti Medico is medicādi modus familiaris fuerit perspiciatur, lubet alios eiusdem generis Aphorismos adtexere, qui cum capitali illo cognationem habent, vel ex eo facili collectione ducuntur. Sit itaque

SECVNDVS, *Dilatare, constringere oportet hæc quidem: illa verò non* Qui est primus apud Hippocratem. VI. Epid. particula. 2. & sensus est. Dilatare oportet ea, quæ constricta sunt, constringere verò ea, quæ plus æquè dilata & aperta sunt; nimirum; *Contraria contrarijs curantur.* Contingit autem, vt nonnunquam præter eam, quæ secundum naturam est cōmoderationem, constringantur, aut dilatētur vasorum aliarumq; partium ora sensui obiecta, & quæ in profundo corporis latent, atque etiam in cute; proinde, vt cōtrarijs, quibus id ipsum accidit, succurratur, necesse est. Id quod fit, vbi ea, quæ arctata sunt, mediocriter calidis aperimus, ac dilatamus; quæ verò nimium aperta sunt, frigidis constringimus, & obduramus. verbi gratia. Si immodicum sudorem, ob plus iusto apertos cutis meatus, erumpere conspexeris, eosdem frigidis, ac cōstringentibus medicamētis, potissimum vbi hinc virtutē dissolutum iri timueris, recludas. E regione, si vsque adeò meatus esse obstructos cognoueris, vt nullo pacto sudor elici queat, dilatantia, ac detergentia medicamenta adhibenda sunt.

NON venit vobis hic in mentem, quę Christus aliquando disputauit de duabus vijs, ac portis: alteris nimis latis, alteris angustis. Matthæi VII. 13. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Per *vias,* & *portas* intelliguntur præcepta, per quæ ad cælū gradimur, vt interpretatur S. Chrysost. Quamquam alij per *viam,* præcepta, per *portam,* præceptorum finem, id est, ingressum in regnum cęlorū intelligant: est enim in porta finis viæ; sed ad rem nostram. Vt magnum hoc infirmorum nosocomium ingressus est cælestis *Medicus,* in prima statim visitatione contemplatus ægrotorum vultus, exploratąq; dubia, ac periculosa ægritudine: animaduertit quædam nimis dilata, quędam nimis constricta, & arctata: Medicum itaque se agere non ignorans, Aphorismū condidit: *Constringere oportet ea quæ plus æquo aperta ac dilatata sunt: dilatare quæ constricta nimium.* Itaq; rem statim aggressus est. Neque enim Christus erat ex ijs Medicis, qui dū infirmos inuisunt, vt ignorantiam tegant, recitato vno vel altero Hippocratis Aphorismo, eoq; Galeni aut Fuchsij, aut Curionis glossemate, tāquam embammate, & iusculo condito, officio se satisfacere existimant, nullo præscripto remedio, nec manu, quod possent, ad locum affectum adhibita; sed Christus eodem temporis momento faciebat, & docebat, docendo faciebat. Erat enim eius sermo operatorius, & faciendo docebat, siquidem Verbi functiones; cuius opera, non poterant non esse loquutiones.

ANIMADVERTENS ergo mandata legis veteris nimis esse laxa, eaque laxiora facta esse prauis Scribarum ac Pharisæorum interpretationibus, hominum obstinatione, praua consuetudine; partim constringentibus consilijs partim nouis præceptis comprimentibus, sanisq; expositionibus, ad conuenientē commoderationem ea redegit. Legatur cap. V. Matth. à versu XI. Nihil aliud inuenietis,

dum illi hodie, qui obseruabant Dominum, vt intelligerent, an Sabbato curaret. Prioribus, vt optimus *Medicus* constringit nimis laxam viam. *De omni verbo ocioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Matth. XII. 36 monet, vt cogitationum diligentem curam habeant, sensibus custodiendis inuigilent. Posterioribus, auferendo prius errorem, laxat: permittit, vt Discipuli in Sabbato spicas vellant: si manus non lauent ante cibum, non arguit: curationem etiam corporalem festo die aggreditur: hodie sanat hydropicum in obseruantium criticorum conspectu; deinde, adducto bouis, & asini exemplo, quàm bene id factum sit, aperit. Eodem Aphorismo, qui conscientijs præsident, illarum tranquillitati solent consulere, & succedit ex voto, si non desit prudentia in Confessario, obsequendi studium in pœnitentibus. Nam illud obseruandum monent *Medici* circa indicatum Aphorismum, vt eo vsque dilatetur pars aliqua, vel constringatur; & vniuersè adhibeatur contrarium, quoad pars illa ad symmetriam, & naturalem habitum producta sit; cuius neglectu facilè contingit, vt dum constrictæ conscientiæ medemur, ita dilatemus, vt laxa peius habeat, quam arcta habuerit.

SVPERIORI Aphorismo nectit alium planè similem Hippocrates. *Humores*, inquit, *hos sanè expellere, illos siccare, alios generare: huic equidem, illi verò non.* Vbi vides idem sanandi genus; *Contraria contrarijs.* Primò enim expellere oportet humores, qui redundant, & nimium sunt aucti, vel 1. venæ sectione, vel 2. medicamentis purgantibus, vel 3. Clysteribus, vel 4. per vomitum, vel 5. per vrinam, vel 6. per sudores, vel hæmorrhoidas, vel vterum, vel scarificationes, vel alia his similia auxilia, & loca; aut per media extrinsecus admota, quæ discutiendi facultate sunt prædita: quod Hippocrates *siccare* dicit quasi disijcere, seu dispergere per euaporationes, & per spirationes. Secundò, quod si nimia sit humorum euacuatio & substantia diffluat, oportet similem substituere ac generare. Inducimus autem, ac generamus humores, per ea, quæ comeduntur, & bibuntur, quæ omnia paucissimis complectitur Medicorum princeps, cum ait; *Huic quidem, illi vero non:* quasi diceret. Cum morbus omnis, aut ex plenitudine, aut defectu succorum contingat, curabis diligenter, vt huic, cui ex repletione totum corpus, aut particula aliqua ægrotat, humores expellas, aut sicces, seu discutias; illi verò, qui ex defectu potius malè habet, minimè: imò illi potius, per alimenti inductionem, humores generabis, qui in illorum, qui defluxerunt, locum succedunt.

QVOD in corporibus, idem in animis contingit: quorum aliquos constat repletione, alios defectu ægrotare. Et illi quidem plenitudine, vel peccatorum, vel passionum, ac perturbationum; hi vacuitate rerum salutarium, & ad virtutum functiones necessariarū laborant. Nam, vt demonstratum alias, sanitas animi non minus, quā corporis, in medio inter excessum ac defectū cōsistit; estque commensuratio quædam, quare eundem curationis modum, quem corpora, requirit animus: & ita à cœlesti *Medico* obseruatum, est animaduertere. In hodierno Euangelio sanat hydropicum, qui a qua intercute haud dubiè ex humorum redundantia, laborabat; ideoque remedium

adhibuit, quod humores expelleret, hydragogum siue aquiducum nominatum, quoniam aquam educit, atque inanit. Si quæras, quodnam illud erat? certè nō fuit aliud, quam *Verbum tuum*, Domine, *quod sanat omnia*. Secundum eundem Aphorismum sanandus est spiritualis Hydropicus, de quo alias integra commentatione, ex hoc loco actum est, quæ repetere nolumus.

SIVE autem Hydropici imagine repræsentetur lasciuus, & luxuriosus, quatenus nimio, eoq; noxio humore redūdat, quæ luxuriæ sæpè caussa est: siue exprimatur auarus, quatenus hydrops ardentissima siti hominem laborare facit, vt *quo plus sunt pota, plus sitiantur aquæ*; siue gulosus figuretur, qui semper in pastum, potumque inhiat, nunquam saturatur. Siue denotet superbum, ventris inflatione, illoque, præter naturam, tumore; non sanatur, nisi educantur, exsiccentur, expellantur humores, quare per sudorem, venæ laxationem, aliasque eductiones extrahere oportet peccantem materiam; Nam & hic valet, quod dicit Hippocrates 2. Aphoris. XXII. *Quicumque morbi ex repletione fiunt, euacuatione curantur, & ceterorum contrarietas.* Sicque sanauit cælestis *Medicus* auaros, præscribendo, vt sua distribuendo, id est, marsupia inaniendo, facerent *sibi amicos de mammona iniquitatis*. Luxuriosos, castrationem spiritualem suadendo. Gulosos, monendo, ne grauarent corpora sua crapula, & ebrietate. Superbos tumorem, dum se omnibus subiiciunt, & calcandos præbent, ponendo. Quoniam autem pauciores sunt, qui defectu laborant, rariora, in contrario curandi genere exempla inueniuntur; tamen quoniam etiam tales inueniri possunt, vniuersè seruandum est, vt contraria repletione sanentur. Si quis nimis pusillanimis, illi aggenerandum est aliquid, vt virtutis nonnihil accrescat. Si quis ἀναισθησίᾳ malè adfectus est, id est, stupore, & insensibilitate, quæ temperantiæ per defectum opponitur, illi ingerere oportet tantum, quantum virtutis ratio postulat. Si quis ἀπαθὴς planè, illi vt suscitet quandoque, virtutum igniculos suadendum est. In animi enim morbis verissimum quoque illud, quod de corporis infirmitatibus pronunciauit Medicorum princeps, οἱ ὅσα ἂν νοσήματα ἀπὸ κενώσιος γίνηται πλησμονὴ ἰῆται. *Quicunque morbi exeuacuatione fiunt, repletione curātur.* Ideoque Medicina quoque animorum nihil aliud videtur, nisi *Adiectio*, & *Ablatio*: ablatio superantis; adiectio deficientis. Ad eandem curationis speciem spectat, alius Aphorismus Hippocratis, qui multa membra habet, est autem talis.

ATTENVARE, *impinguare oportet corpus, cutem, carnes, & alia: hæc quidem, illa verò non. Lenire, asperum facere, obdurare, mollire: hæc equidem, illa autem minimè. Exsuscitare, stupefacere, & alia quæcunque talia.* Primū omnium corpus supra modum impinguatum, attenuādum docet. Cum enim vasa supra modum sint repleta, tum periculum est, ne rumpantur, aut calor natiuus suffocetur, vel extinguatur. Nam constat plures ob immodicam istam repletionem, & corporis obesitatem, subita interiisse morte. Oportet itaque huiusmodi corpora extenuare, celeribus exercitationibus, ac tenuante victu, & id genus medicamentis.

IDEM est in spirituali Medicina Aphorismus, vt attenuentur nimis pingues, & obesi. Audite Basilium quæstione LV. in regulis fusius disputatis, quæ plurima habet ad medicinam corporis

simul

simul ac animæ. *Ad depellendos*, inquit, *morbos eos, quibus laboramus, craßioribus remedijs vult nos vti, vt formulam nobis tradat, quam in curandis animi nostri vitijs imitemur. Vt enim corporibus necessariò & demi illa debent, quæ superuacanea sunt, & quæ prosunt, apponi: sic idem quoque in animis nostris seruandum est, vt quæ aliena sunt, videlicet amandemus, & quæ idonea, adsciscamus.* Pinguedinem, nisi fortè naturalis ac genita sit, vt in Diu. Aquinate Thoma, & magnis quibusdam viris aliquando fuit, & ita etiamnum cernitur, gignunt largior cibatus, potio, torpor, somnus, desidia, curarum, studiorumque honestorum vacuitas, ideoque obesi homines nimium cuticulæ curandæ deditos significant. Quos grauiter admodum notabat Laconica lex ὁ περὶ τῶν ὑπερσαρκούντων, apud Ælianum XIV. & vetus illa de crassâ, pinguiq; Mineruæ paræmia, rursumque sententiola, de qua ad Nepotianum. Sic S. Hieronymus. *Pulcrè dicitur apud Græcos, & nescio an apud nos æquè resonet: Pinguis venter non gignit mentem tenuem.* His intonat Amos Propheta, cap. IV. 1. *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis Dominis vestris, adferte & bibemus.* De his Moyses Deuteron. XXXII. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.*

Et quoniam pinguedo, & aruina, quam plurimum ad lasciuiam, carnisque petulantiam facit, tales quoque saginatis eiusmodi vitulis, quibus distentior propendet aquaticulus, exprimuntur; qui suam curant cuticulam melius, delitijs innutriuntur maioribus, laboribus exercentur minoribus, abundantiore irrigantur somno, cibo potuq; largiore saginantur. Hi attenuandi sunt virtutum exercitatione, victu Sacramentorum attenuante, abstinentia, ieiunijs, corporis castigatione, similibusque remedijs, quę à cœlesti *Medico* præscripta, dum animæ odium in hoc mundo malè habentibus imperauit.

Porro, vt corpus plus iusto impinguatum, & obesum extenuandum est, ita supra modum extenuatum, impinguandum in suo Aphorismo docet *Medicus*, nimirum per cibum, qui crassum succum efficiat, vinum pingue, frictionem Medicorum, & id genus alia remedia. Quod autem de vniuerso corpore dictum est, id etiam de cute, carne, & alijs membris intelligendum esse monet. Nam accidit, vt interdum, vel sola caro, vel cutis intumescat, aut plus iusto crassior fiat, atque tum remedijs ad hoc idoneis extenuanda erit, & è contrario impinguanda, si contrarium acciderit; sunt quidam planè vmbratiles, sine succo & pinguedine deuotionis, constant tantum pelle & ossibus fidei, & operum ex mandato debitorũ: hi vt bonam cõstitutionem assequantur, impinguandi sunt frequẽte cibatione Panis Angelici, vino pingui germinãte virgines, frictione mediocri operum satisfactoriorum, alijsque id genus remedijs, vt adipe, ac pinguidine pietatis anima repleatur.

Præterea præscribit Aphorismus partibus ijs, quæ ob id, quod exasperatæ sunt, naturalem amiserunt habitum, lenitatem naturalem inducendam esse. Veluti cum fauces, aut aspera arteria, ob acres cibos, aut scabiem cutis, aut ob biliosas excretiones, aluus exasperantur, tum medicamentis lenientibus, & quæ nulla mordacitate prædita sunt, curandæ erunt; Multi scabie spirituali perturbationum variarum, impetigine venia-

lium peccatorum, vlcusculis affectuum minus compositorum exasperantur, in his lenitas curanda oleo Diuinæ gratiæ, suaui colloquio, benefaciendo ac precando indignantibus, ac malè facientib. in vnam maxillam percutienti porrigendo alteram, angarianti procedere mille passus, beneuolè alia mille adiungere.

At quibus lenitas præter naturam inest, ijs asperitas medicamentis, quæ sufficienter abstergunt, & parum adstringunt, inducenda: Verbi caussa, si in mento glabrities, aut in capite leuitas existit, ac capilli decidunt, medicamentis, quæ capillos producunt, obuiandum est. Ita, si in ventriculo, aut intestinis lubrici, ac pituitosi humoris copia fuerit, abstergētia & exasperantia medicamenta propinantur. Si caput Reipublicæ sit nimis lene, si muliebrem in modum, nō tantum mento, sed & animo affectus sit, vnde flaccescat iustitiæ administratio, crescat reorum audacia, augeantur crimina; profectò asperitas viro conueniens procuranda est, & cum pilis, virilis quoq; animus, qui irasci sciat, & non peccare; qui interficere audeat in matutino, omnes peccatores terræ.

Iam verò contingit, vt interdum aliqua plus æquo mollia existāt, aliqua aūt supra modum indurata: quare hæc mollire oportet, illa verò indurare: id quod nonnunquam in toto corpore, nonnunquam verò in vna tantū parte fieri solet; sic quibus totius corporis habitus pręter naturam mollis, tumidus, & aquosus existit, his certè durâ frictione, exercitatione multa, medicamentisque siccantibus indurandus venit. Id quod etiam faciendū, quando vna aliqua corporis pars plus iusto mollis fuerit, veluti cum tibias mollities aliqua, aut tumor mollis occupauerit. Mollities animi in ijs cernitur, qui ad omnē impressionē, etiā extraneā suscipiendā, sunt faciles, in quibus quilibet instar ceræ, quod placet, sigillū imprimit, naturæ aqueę & incōstantis sem p fluctuantis, ideoq; *circūferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominū, in astutia ad circumuentionē erroris.* ad Ephesios IV. 14. nimirū, veteratoria quorundā ad insidiosè fallendū versutia: his instillanda est fortitudo, duritiæ aliquid in benè cœptis, multa exercitatione, laboreque ingenerandum.

Hæc mollities aliquando est totius animi, omniumq; facultatū, aliquando vnius tantum partis, siue voluntatis, siue intellectus, molles intellectu ad falsas opiniones sunt faciles; voluntate molles ad motū deprauationes, & vitiosos affectus, atq; idcirco indurandi sunt. E regione, si qua nimiū indurata sunt, ea subinde mollire oportet, sic lienem induratum, per medicamenta mollientia, quæ μαλακτικὰ Gręcis dicuntur, curare solēt; sic interdum cicatrices iusto plus duriores, magis molliunt Medici, perinde, atque alias corporis partes, in quibus scirrhos, id est, tumor durus nascitur. Idem in animo obtinet; si quis duri, morosiq; est capitis, si nimium proprijs adhæret prauæ voluntatis definitionibus, si obfirmato, atq; obstinato est animo, nec facilè flecti possit illam in partē, quā ratio sequitur, si tubera habeat cōtumacis superbiæ, molliendus est ijs medicamētis, quibus obstinata hæc duritia tollitur.

Insuper conuenit, vt *Medicus* interdum sensum ob motum amissos resuscitet, quod per calida medicamēta efficit, hinc est, quod alibi scriptū reliquit Hippocrates: *Quæcunq; à frigore moriuntur, his calidum amicum* Hoc modo resoluta mēbra, & lethargo correptos recuscitare solent. Quot inuenies in vita spirituali, qui-

quibus neq; motus est, neq; sensus in rebus Diuinis, atq; ad pietatẽ spectantib. attoniti, & mortali quodã lethargo correpti. Tales sunt, quibus est *cauteriata cõscientia*, de quibus alibi à nobis agendũ: putat namque Theodoretus stuporem quorundam ea phrasi indicari *Locus*, ait, *cauterij morte affectus priorem sensum amittit*. De his Ieremias capite v. 3. *Percussisti illos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*. Et S. Cyprianus, Libro 1. Epistola 3. *Illis pertusa mens & hebes animus, & sensus alienus est, Ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia*, sicut scriptum est, *Dedit illis Deus spiritum compunctionis, ne reuertantur* videlicet, *& curentur*. Idemq; Sanctus alibi: *Sic iniuste sibi placentes, & transpuncta mentes, alienatione dementes Dei præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiã nolunt, ante admissum facinus improuidi, post facinus obstinati*. De his sanè actum, de eorumque sanitate conclamatum est, nisi sensus, motusque Diuinæ benignitatis, prouidentiæ, atque iracundiæ excitetur.

QVOD si verò vehemens dolor ægrũ molestauerit, tũ stupefacientia medicamenta adhibere Medicum cõuenit, sed modũ hic maximè præscribunt Medici, ne si hic excedatur, corpus planè refrigeretur, ac intereat; quod in Aphorismis docet Hippocr. v. Aphor. 25. ναρκη δὲ μετρίη ὀδύνης λυτικὴ id est *Stupor mediocris dolorẽ soluit*. Perturbationibus animi plerique ita molestãtur, vt nullo in loco tuti, quietiq; possint cõsistere, in carorũ obitu, fortunarũ amissione, alijsq; calamitatibus nimis vehementer turbantur. Iis sensus stupefaciendus est, ne tantoperè afficiat: sed non omninò auferendus, ne fiãt insensibiles, vt trunci, quod minimè expedit. Satis est, si stupor mediocris dolorẽ soluat. Idẽ pertentandũ in ijs, quib⁹ in voluptatũ perceptione, sensus nimis acutus est, & viuus: ijs enim mortificationis Christianæ studio stupor inducendus, & viuacitas illa mortificanda.

HVC etiam spectat, quæ in tertio Aphorismo part. 2. l. 6. Epide. habẽtur. *Resistentia vincere conuenit*. Quare si humores Medico restiterint, vt à parte affecta auelli nequeãt, hoc vnũ conatur, vt eosdẽ, ratione aliqua, vincat, cõmodisq; auxilijs naturã adiuuet. Hoc quoq; vniuersale est in spirituali medicina præceptũ. *Resistentia vincere conuenit*. resistit caro, & sanguis? vincenda sunt. resistũt affectus? premẽdi. resistũt vitiosi habit⁹? superãdi.

ADHÆC. *Contraria in morbo victus ratio adhibenda* lib. vi. Epid. part. viii. Aph. 36. quo Aphorismo vniuersam victus rationẽ morbo contrariã esse debere contendit, ita sanè, vt si morbus calidus & siccus fuerit, victus ratio frigida & humida sit. Hinc est, quod alibi dixerit Hippocrates 1. Aphorismo 16. *Victus humidus omnibus febricitantibus conuenit*. Quod autẽ de calido & sicco morbo hic dicitur, ad alias quoque oppositiones transferendũ est, vt supra monuimus. Idem obseruandum in morbis spiritualibus. laboras æstu lasciuiæ? refrigerantia ieiuniorum alimẽta tibi conueniũt; iaces frigore acediæ torpidus? calefacientia deuotionis adhibe; vanitatis nimio fluxu diffluis? exsiccantia modestiæ erunt commoda.

PRÆTEREA, Dilatare *oportet ea, quæ cõstricta sunt*. Frequentissimè hoc Aphorismo vtitur animorum *Medicus* Deus, cui proprium est mœrentibus cor dilatare, pro quo immortales benignissimo Curatori gratias agit Dauid Psalmo vi. 2. *In tribulatione dilatasti mihi*. Vbi ex improuiso orationem ad Deum cõuertit, quod præ magno animi adfectu continere se non valeret. Dilatatio opponitur angustiæ, tum rei, quæ angustum reddit cor,

Dilatare quid Sp.

No

& mœ-

& mœstum, tum cordis ipsius, ita vt remota caussa, molestiæ, simul accessio fiat nouæ lætitiæ. Physicè loquendo, tristibus comprimitur cor, in angustumque contrahitur, ac obruitur noxio humore: lætis spargitur sanguis, ac laxantur quodammodo spatia cordis, quod indicat rubedo totius oris in ridentibus; & in affectis contraria passione, pallor, sanguine ad cor sese cogente. Dilatat ergo *Primò*, suorum corda Deus, lætitiæ gaudijque diuini immissione, qua pleni ambulant *in latitudine*. Psalmo CXVIII. Educuntur *in latitudinem*, Psalmo XVII. 20. *Ponuntur in loco spacioso pedes eorum*, Psalm. XXX. 9. dilatantur *gressus subtus illos* Psalmo XVII. 37. *dilatatur os super inimicos.* 1. Regum 2. 1. *in latitudine exaudiuntur, postquam inuocauerint Deum in tribulatione.* Psalm. CXVII. 5.

Magnanimitas dilatat. SECVNDÒ, dilatat dono magnanimitatis, quomodo Didymus, Chrysostomus, Euthymius dilatatum cor Dauidis exponunt. Nam & idem donum petens Salomon, vocabat *latitudinem cordis* III. Regum IV. 29. quo infortunia quæque generosè perferuntur: & qui tribulationes patiuntur non angustiantur. 2. Corinth. IV. 8. Sic ait, Chrysostomus, non exstinxisse Deum in fornace flammam Danielis III. non occidisse in lacu leones, Danielis VI. & XIV. sed tutos magnanimosque reddidisse in his paruulis constitutos: quod auget patientiam eorum, qui calamitatibus premuntur, & Dei potentiam declarat, vt notat idem Chrysostomus, Homilia XXII. in Genesin, & I. in 2. ad Chorinthios. Exemplo quoque sunt Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, adeò læti in flagellis, ac dilatati tùm alijs donis, tum magnanimitate, quorum prius cor angustum, & animus erat tam vilis.

NOTÆ.

Magnanimitatis autem indicium fuit in Dauide, non lædere Saulem, cum posset 1. Regum XXVI. 9. Vt monet Euthymius, & imperare, vt parceretur filio parricidæ 2. Regum 18.

TERTIÒ, Caritatis proprium est dilatare, de qua Paulus 2. Corinth. 6. 2. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij! cor nostrum dilatatum est.* Patet os nostrum, quia cor dilatatum est, & quidem caritatis calore incensum. Calor enim vim habet dilatandi; ita etiam caritas, quæ, vt ait Chrysostomus, in illa Pauli verba, calida, ac feruens virtus est, dilatat, ac cordis veluti spatia laxat. Nihil autem vt idem monet, Pauli corde latius erat, quod pios omnes, perinde atq; amasius quispiam, adeò arcto amore complectebatur, non sese scindente ipsius amicitia, & imbecillitatem contrahente, sed integra in vnoquoque manente. Ob eam caussam non dixit, amo vos, sed quod maiorem emphasim habet, *Os nostrum patet ad vos, cor nostrum dilatatum est.* Nos complexu nostro omnes coërcemus, ac ne id quidem vtcumque, sed cum ingenti amplitudine, nam qui amatur, in intimo amantis pectore, sine vllo metu obambulat. Magna est caritatis latitudo, quæ inimicos etiam complectitur, quod vt fiat, tribulatio solet nos docere, à qua nō nisi hac conditione liberat Deus. *Arcta via & angusta est*, teste Christo, Matthæi VII. 13. 14 *quæ ducit ad vitam.* Sed caritas eam latissimam facit, lætissimamque, eiusque *mandatum latum est nimis*, quo complectimur vniuersa, transcendimus creata, immenso adhæremus Deo.

INDICIRCO, qui minore caritate sunt præditi, *angustiati*, dicuntur à Paulo ibidem. *Non angustiamini in nobis* (inquit) *angustiamini autem in visceribus vestris*, id est, non estis angustè in nobis: loci angustia non

nō premimini in nobis, decet enim amplissimum sibi esse animum, latissimam caritatem, quæ omnes complectatur. Itaque Clemens apud Oecumenium. *Vos*, inquit, *angusti estis in visceribus vestris*, id est, in dilectione erga Deum, qua me diligere debetis. quare illos angustos esse ait in suis ipsorum visceribus, id est, affectibus, qui non ex æquo eius caritati respondeant. Angustiam autem vocat, non afflictionem aut molestiam animi, sed exiguam beneuolentiam, & amorem, vt dilatatio eximiam caritatem significet, angustiam caritatem, non ex æquo respondentem.

QVARTÒ, dilatat suauitas quædam & delectatio spiritualis, quæ de pœnitentiæ operibus percipitur. Latius erat templum, quod Ezechiel vidit capite XLI. in superioribus, quoniam vt iuxta tropologiam docet Hieronymus, semper angustiora sunt, quæ sunt deorsum, in ieiunijs, χαμευνίᾳ, & victus continentia, paulatimque dum ad summa conscendimus, per quosdam veluti gradus, latior nobis aperitur via, & impletur, quod scriptum est; *In tribulatione dilatasti mihi*. Quanta initio est cordis angustia, in abstinentijs, carnis afflictionibus, flagellationibus, similibusque mortificationibus, paulatim tamen diuina gratia cooperante, dulcedo ipsa spiritualis dilatat cor, & fiunt suauia, quæ tam acerba apparebant antea. Ex ijs autem oritur fiducia in Deum, quæ

QVINTÒ, cor dilatat. *Eorum* (inquit Ambrosius 2. Corinthiorum 6.) *cor dilatatur, qui fiducia bonæ conuersationis gaudent in sese, aut certè futuri spe præmij non angustantur: quia, sicut in hac vita, nisi præcesserit labor, redditus non sequitur, ita & in rebus diuinis, si non exitia anteierint, præmium non sequetur*.

SEXTÒ. Ipsa tribulatio, auctore Chrysostomo Psalmo IV. dilatat, quia ea affectus, liberiore quodammodo campo fruitur, & aperto. Nam tribulatio compellit sese à turpibus amoribus abstrahere, quibus dum res secundæ erant, constringebatur, & affligebatur; quemadmodum, qui laborat febri, si voluptati vacet, maiores experitur labores, doloresque; si abstineat, iucundam sanitatem recuperat. Et *tribulatio* gignit *probationem, patientiam, spem futurorum bonorum*. Romanorum V. 3. 4. *Spe autem gaudentes in tribulatione sunt patientes*, Romanorum XII. 12. *Quùm à præsentis vitæ securitate conscientia nostra repellitur, intus ad se impingitur*, ait Gregorius XXIX moralium 8. *vt ad speranda superna tendat, cumq. euagari exterius non permittitur, quasi in sinum suum reuocata dilatatur*. *Perficitur virtus in infirmitate*. 2. Corinthiorum 12 9. &, *cùm infirmamur, tunc potentes sumus*. ibidem X. Crebra iusti est cum auro comparatio, nullum autem metallum in plures laminas distenditur, ac dilatatur: ita & Deo carus tunsionibus & pressuris. Eius voluntas ad omnes Dei nutus parata, quàm est ampla? Audi orantem Dauid in hac latitudine gradientem, dum eum filius persequeretur. *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam* (Arcam) *& tabernaculum suum: si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se*. Tribulatio etiam dum capaciorem reddit mentem ad Diuina charismata, mirum in modum dilatat. Paulus, quia vas electum & capacissimum, audit, videtque, quanta oporteret eum pro Christi nomine pati, Actuū IX. 6. Quàm dilatata est Ecclesia perturbationibus! Iustus aūt quo magis dilatatur spiritu, hoc magis coangustatur carne: quemadmodum palma, cum quâ cō-

paratur, Psalmo xci.13. in inferiore parte angustior est, ac magis nuda, vtque supernè latior fiat, infra propagines magis amputantur.

SEPTIMÒ, dilatat Deus donis sapientiæ, ac scientiæ, vel potius abdita quędā ad illa recipienda virtute. Sunt quandoque aliqui intellectu tam angusti, vt nihil penè quod ad rerum humanarum, ac diuinarum cognitionem spectat, possint recipere, his Deus angustias cordis aperit, & dilatat, vt capacissimam mentem habeant. Ita Salomoni contigit, de quo III. Reg 4. 29. *Dedit Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, sicut arenā, quæ est in littore maris.* Quē locum exponit R. Dauid, quod in cunctis, quibus opus erat intelligentia, erat illi cor latum, quæ quidem res sunt, sicut arena, quæ est in littore maris, nimirum innumerabiles, opportunè namque immensa multitudo rerū cognoscibilium, cum innumerabili arenæ puluisculo comparatur; solet enim sapientiæ magnitudo, aut immensitas ad innumerabilitatem referri. Psal. CXLVI. 5. *Sapientiæ eius non est numerus.* Quare illa cordis latitudo est amplitudo quædam captus maximi, tam ad contemplationem, quàm ad actionem, id est, tam sapientiam, quam prudentiam: quæ duo rerum cognoscendarum genera non incommodè distingui possunt in illis vocibus, *sapientia, & prudentia.* Certè vocis proprietas, quam Latinus Interpres latitudinem reddit, locum multarum rerū capacem innuit; quocirca mens Salomonis multarum rerum capacissima, cum littore multiplicis arenæ puluere plenissimo comparatur. Franciscus tamē Vatablus, eodem quidem sensu, sed non eadem comparationis ratione, quippè non tam cum littore, quod continet arenam, quàm cùm arena, quæ littus occupat, censet comparationem fieri: sic enim scribit. *Dedit illi capacissimum animum multum comprehendentem sua intelligentia, quasi dicat, tam amplam mentem, quam amplum locum occupat arena,* quæ est iuxta mare, cui similes, qui, vt scribebat Mercurius Trismegistus, ad Tatium filium, de Heroibus & principibus viris loquens, *mentem consecuti immortales habentur, intelligentia cuncta complexi.* Huc spectat interpretatio Anselmi, qui ea, quæ Paulus 2. Corinthiorum VI. 2. ait de cordis dilatatione, *Cor nostrum dilatatum est,* ad rerum notitiam refert, vt amplitudo & angustia doctrinam ipsam, capacitatemque, & minus capacem mentis sinum significet: quod visus etiam subindicare Ambrosius, vt sit sensus: *Nolite putare vos, si meam doctrinam sequamini, parum posse proficere aut rerum necessariarum ignoratione laboraturos, sed potius sic habetote, quicquid ignoratis, aut non satis probè percepistis, mentis atq; intelligentiæ vestræ imbecillitati tribuendum.* Dum autē addit Paulus versū XIII. *dilatamini & vos,* ita illud explicat Anselmus, *dilatamini & vos, sicut ego dilatatus sum,* id est, *per intellectum dilatamini, auxilio gratiæ Dei, vt maiora ipsius dona capiatis. Dilatamini per amorem iustitiæ, vt copiam virtutis capiatis in latitudine mentis vestræ; vos dico habebitis in futuro eandem remunerationem, quam ego, si ita dilatati fueritis, vt ego.*

OCTAVÒ. Dilatat quæcumq; prosperitas, quomodo suorū corda dilatat, nōnunquā Deus. Ita D. Thomas illud Dauidis Ps IV. 2. *In tribulatione dilatasti mihi,* exponit de ampliore potestate, iuxta illud; *Dilatet Deus Iaphet,* Genes. IX. 27. Lyranus autem, & eodem spectat, pro spacio loci maiore, cum dissipato, contrario exercitu, liberè licuit, quo vellet exire, & excurrere, camposq; occupare quē

sensum

sensum S. Athanasius non refugit. Caietanus affirmat præteritam quidem denotari dignitatem, & liberationem à periculis omnibus; magis tamen prædictionem futuræ liberationis, ab obsidione, ac insidijs Saul: quæ prosperitatem à Deo subministratam innuunt, sicut & illud, quod alij asserunt, idcirco dilatum se dicere, quia in deserto exulans, mox, vt implorauit Deũ, à Sobi, Machir, & Berzellai aduecta sit annona in castra, cum maxima premeretur inopia. 1. Regum 17. 27. Idem Christo attribuitur, qui dilatatũ se dicere potuit in tribulatione multo magis, quam Dauid.

VBI autem Medicum Deus legitimũ, ibi circumforaneum & agyrtam agit Dæmon, qui eundem sequutus Aphorismum, suos dilatare solet, suadetq; se similibus remedijs dilatationẽ. Ita dilatauit se carnaliter stultus, noua & ampliora cõdens horrea. Luc. XII. 18: &, hi quorum lati possessionum termini Amos VI. 2. & Achab, qui propterea vineã Naboth sibi vsurpauit, III. Regum 21. vt conuerteret in hortum olerum, quę sunt mysticè bona fugacia, paruique pretij. Ad hęc is, qui per voluptates incrassatus, impinguatus, dilatatus Deuteron. XXXII. 15. & cuius anima pertransijt omne pratum, Sapient. 2. 8. Sic autem dilatatio accipitur in malam partem: vti etiam Prouer. XXI. 4. *Exaltatio oculorũ est dilatatio cordis*. Quot sunt, qui *dilatant phylacteria sua?* Matth XXIII. id est, vanissimè se extollunt. Qui isto modo se *dilatat*, & iactat, *iurgia concitat* Prouerb. XXVIII. 25.

PAVCVLOS de mille Aphorismos vobis hodie degustandos, tanquam salubres Apothecæ medicinalis fructus, obtuli. Sed meminisse vos velim, esse discrimen inter Hortulanum & Medicum. Ingredienti hortum olitor donat, quæ gustui grata, &, licet eo fine sumere. Ad Medicum si quis accedat, nihil accipit, nisi quod sanitati possit conducere, & eo fine sumendum est. Delirus esset ille, qui medicamenta stomachum inuertentia, dieis caussa masticare vellet, & fallendi temporis gratia ventrem infarcire medicinis. Medici officio, non olitoris fungimur. Vos si non planè animo peregrinamini, reliqua subiungite: &, si sapitis, ad vsum accommodate. me plura reddere iam piget. Estote sani.

NOTAE.

§. APHORISMVS] Ἀφορισμὸς: *Separatio, distinctio: distincta rerum explicatio: plurium rerum consummatim facta traditio. quasi ad regulam facta exacta rerum doctrina. Galenus ait, Aphorismum doctrinæ genus esse, quod omnes rei proprietates breuissimis verbis circumscribit. Eustathius* Ἀφορισμοὺς γνωμικῶς *dicta sententiosa appellauit. Budæus in Comment.*

Scripsit Hippocrates Aphorismos plurimos, in quos Commentatus est Medicè Galenus, cuius Commentaria extant inter opera Galeni septima classis, Interprete Nicolao Leoniceno. Sunt etiam in manibus Commentarij Leonardi Fuchsij in VI. epimedico. 1. & aliorum. In eosdem Hippocratis Aphorismos scripsit duo volumina Petrus Andreas Canonherius, medicas, politicas, morales, ac Theologicas interpretationes continentia.

Persimilem esse medicinam animorum arti corporum curandorum in confesso est apud SS. Patres: qui passim ad curationem morborum animi Medicorum Aphorismos vsurpant.

Martinus Becanus edidit Aphorismos doctrinæ Caluinistarum

Sebastianus Heusius Commentatus est in Aphorismos Iesuitarum.

Extat Thesaurus politicorum Aphorismorum

rum Ioannis à Chokier. Et epimetron, seu auctuarium Thesauri Aphorismorum, siue quæstionum politicarum de administrandæ reipublicæ ratione.

§. CONTRARIA contrarijs curanda.] *Aphorismus est* Hippocratis *part.* II. *Aphorismo* XXII. *Galeni lib.* V. *de sanitate tuenda cap.* 10. *Et vsurpatur non tantum à Philosophis moralibus, Aristotele lib.* II. *AEthicor. cap.* 3. *& Simplicio cap.* XXVII. *Commentarij in Epictetum: sed etiam à Doctoribus Christianorum in Medicina spirituali communiter adhibetur.*

S. Chrysostomus *homil.* V. ad populum: *Peccatum depone, inquit, & vnde vulneri caussa, inde mali fontem reprime.* Contrariis enim contraria curare, & Medicorum filij iubent. *Ex crapula ergo nata est febris? inedia morbum corrigunt. Ex tristitia quis infirmatus est? lætitiam huic aptam medicinam esse dicunt. Sic & in animæ ægritudinibus facere oportet. Iram torpor excitauit? industria hanc repellamus.*

S.Gregorius homilia XXXII.in Euangelia *Christo Medicorum summo tradit vsitatam hanc medendi rationem. Ita curari voluit Christus odium, aut prauum affectum erga proximum Matthæi* V. 44. Benefacite his, qui oderunt vos: *amor, eiusq́; effectus odio est contrarius.*

Sic S. Paulus scribens ad Romanos, eos primum hortatur, vt si fieri posit, quod in ipsis fuerit, cum omnibus hominibus pacem habeant: deinde, ijsdem auctor est, vt reiecta in Deum vlciscendi cura, benefaciant inimicis, iuxta Saluatoris præceptum, mutuatus à Salomone sententiam Prouerbiorum XXV. 21. *Apostoli verba sunt.* Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Non vinci à malo, sed vince in bono malum: *ad Roman.* XII.20. *hoc est: noli permittere, vt bonitas tua inimici malitia vincatur: sed potiùs fac, vt illa superetur bonitate tua: quod consequeris cōferendo in illum beneficia: quæ erunt tanquā carbones accensi, aut viui, vt vertit S.Cyprian.l 3 ad Quirinū c.1. super caput eius congesti siue, vt Græca sonant, coaceruati. Quæ vox copiam indicat, quâ, qui te oderat, mollescet: odium conuertet in amorem, quo totus inflammabitur. Vide Iansenium in cap.* XXV. *Prouerb. ibidemq́; Salazar. Toletum Roman.* XII *ibidemq́; Iustinianum, ac Cornelium à Lapide.*

Valerius Maximus lib. IV. *cap.* 2. *laudans M.Tullium, quod Gabinium, ac Vatinium ante sibi infestissimos hostes, postea defendisset in iudicio, Christianam penè sententiam extulit:* Speciosius aliquanto iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur. *Nimirum:* Contraria contrarijs curanda sunt.

CERTE, *nemo nescit, duas esse in vniuersa* Medicina *primarum indicationum differentias. Quod secundum naturam se habet, custodiam sui indicante: & propterea, quæ similia sui sint postulante. Quod præter naturam est, sublationem sui, eoq́; contraria requirente. Petitur.n. quidlibet in contrarium, & à contrario. Et quodlibet quod à naturali habitu recessit, per ea, quæ contraria viribus sunt, in Symmetriam, ac naturalem habitum vindicandum est. Hinc originem habet communissimus Aphorismus:* Contraria contrarijs curentur. *Per varios autem curationum modos demonstrat Hippocrates lib* VI. *epimedien particula* 2. *quam verum sit semper istud theorema.*

§ DILATARE oportet, quæ constricta sunt.] *Psalmo* CXVIII. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. *Hanc dilatationem promittit Isaias cap.* LX.5. Tunc videbis, & affiues: mirabitur, & dilatabitur cor tuum. *Paulus* 2. *Corinth.* VI.2. Os nostrum patet ad vos ô Corinthij. Cor nostrum dilatatum est: non angustiamini in nobis:

bis: angustiamini autem in visceribus vestris.

Bellarminus *in psalmum* LIV. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. *Sicut lætitia exhilarat, & dilatat cor: sic mæstitia constringit & obducit & per hoc tenebras facit. Vnde qui mœrent, tenebras quærunt, in cubicula se abdunt, fenestras claudunt. Hæc* PRIMA *caussa dilatandi.*

ALTERA est Magnanimitas.] *lib.* IV. *Regum.* IV. 29. Dedit DEVS sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis: & *latitudinem* cordis, sicut arenam, quæ est in littore maris. *Quo loco* latitudinem cordis, *Abulensis, Lyranus, & Caietanus ad diuitias referunt, & liberalitatis, ac magnificentiæ, nec non magnanimitatis quandam speciem, quæ in magnificis expensis cerni solet.*

TERTIA *dilatandi cor caussa est* Caritas. *Ipsum mandatum caritatis dicitur latum. Siquidem præceptum dilectionis omnia comprehendit, atque ad Deum, Angelos & homines extenditur.*

Bellarminus *psalmo* CXVIII. 96. *Vel, Lex Dei omnis dicitur latum mandatum nimis, cum in eo perspiciantur regulæ viuendi benè, & præmia custodientium legem: ac contra, regulæ declinandi vitia, & supplicia præuaricatorum.*

Adde: Caritatem dilatare, quia magnanimos facit. 1. *Corinthiorum* XIII. Caritas patiens est: *Græcè* μακροθυμεῖ. *Tertullianus libel. de patientia cap.* XII. *& Cyprianus lib. de bono patient. lib. de vnitate Eccles. & zelo lib.* III. *ad Quirin. cap.* 3. magnanimam *interpretantur. Sic etiam legit Ambrosius,* μακρόθυμος *autem dicitur* longanimis, *quod longam quandam, magnamque habeat animam: & ita cognominantur.*

QVARTA *dilatationis caussa est suauitas quadam spiritualis. Sic D. Anselmus,* Dilatationem, *de qua Paullus* II. *Corinth.* II. *refert ad iustitiæ delectationem. Hoc ait, munus est Dei, vt in præceptis eius non timore pœnæ angustiemur, sed dilectione, & delectatione iustitiæ dilatemur.*

QVINTO, *ac* SEXTO *dilatat fiducia ac Tribulatio. Psal.* IV. 1. Cum inuocarem, exaudiuit me DEVS iustitiæ meæ. In tribulatione dilatasti mihi. *Bellarminus in Commentario. Sensus est. Ego cùm inuocarem Dominum, tempore tribulationis, exauditus sum à Deo, à quo omnis est mea iustitia: id est, cuius gratia me iustum facit. Ostendit autem quomodo sit exauditus:* In tribulatione dilatasti mihi. DEVS *aliquando exaudit remouendo tribulationem: aliquando dando patientiæ virtutem. Et hoc est maius beneficium. Aliquando non solum patientiam, sed etiam gaudium in tribulatione dando, & hoc est maximum beneficium: de quo hoc loco Dauid. Tribulatio enim angustias facit: gaudium dilatat cor: sed qui gloriatur in tribulatione, huic tristitia vertitur in gaudium, & tribulatio non angustias, sed dilatationem adfert. Mutatio autem personæ de tertia in secundam additur, ad significandum vnde veniat tribulatio, hoc sensu:* Cum inuocarem Deum *tribulatione pressus* exaudiuit me: *quod inde scio, quia tu, Domine, cordi meo dulcissimam tuam præsentiam exhibens, miro modo, angustias tribulationis in latitudinem conuertis lætitiæ.* Superabundo gaudio, *inquit Apostolus,* in omni tribulatione nostra.

CORNELIVS *Celsus libro* IV. *de remedijs cap.* 5. Quo modo se quisque æger refecit, eo vtatur. Nam redit huic imbecillitas sua, nisi ijs defendatur bona valetudo, quibus reddita est. *Hinc fortè est exortum illud vulgare dictum:* Quæ subsequentia sanant, præcedentia conseruant. *Quo vtitur tanquam Aphorismo, Iulius Nigronus ad regulam Communem* XLIII. *numero.* III. *vt probet expedire Religioso, vt raro prodeat in pu-*

in publicum, & ita disputat. Certum est, professionem monasticam renunciationem quandam esse seculi, & fugam à mundo, in monasterium, tanquam à tempestate maris in portum; à prælio cum hostibus, in arcem, locumq; refugij tutissimum. Vnde fit, vt qui salutem hoc secessu, & fugâ consecutus est, eam eodem remedio conseruare debeat; periturus, aut magna pericula subiturus, si rursum exiens, è portu, inter fluctus, ventorum impetum, & scopulos sese immittat, aut castellum perfugij deserens, iterum in discrimen pugnæ prodeat, & in hostium castra descendat. Quod pluribus ipse probat: infertque, eodem secessu à mundo, spiritualem valetudinem secedendo recuperatam, tuendum esse. Ad idem valet illud Senecæ Epistola VII. Ego, inquit, confiteor imbecillitatem meam. Nunquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugaui, redit. Quod ægris euenit, quos longa imbecillitas vsq; eò affecit, vt nusquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. *Religiosus quilibet in monasterio, tanquam ægrotus in lecto, aut valetudinarius imbecillis, in valetudinario diuersatur. Sub Medici spiritualis cura est perpetuo; si non ægrotat ad mortem, qui sine peccati mortiferi conscientia viuit, imbecillitatem tamen & procliuitatem, vt homo, retinet: tentatus quotidianis morbis peccatorum minorum: nondum persanatas habet passiones, quæ dicuntur animorum ægritudines. vsque ad vitæ finem in hac pugna cum morbis est, quà præueniendo, quà repellendo, quà pugnando, nec idcirco finis medendi, vel quia medicamenta cedunt morbis, vel quia non adhibentur in tempore, vel quia morbus recidiuus repetita remedia, curationemq; iteratam sæpè reposcit.*

Vt igitur, qui valetudinarius conualescens ægrotus est, si de valetudinario egressus, per vrbem vagatur, ex facili reciditi in morbum, quia corpus imbecillum, & male affectum, aër, ventus, calor, frigus, defatigatio, & omnia insolita lædunt: præsertim si ad illud redeat cœlũ, quod morbum fecit, quod pessimum esse solet iudicio Medicorum, Celsus lib. II. *capite* I. *Ita Religiosus, qui si non est ægrotus animo, valetudinarius certè dum viuit, atque ad perfectionem connititur, reputandus est: si de domicilio, tanquam de nosocomio foras egressus, vagatur per vrbem, & sub eo cœlo spiritum ducit, quod alias morbos graues infudit: vbi rerum mundanarum pestilentes afflatus sensibus omnibus haurit, facillimè inficietur, ac domum, peius habens, reuertetur. Quare S. Basilius lib. de abdicat. rerum.* Quantum in te est, omnem in publicum itionem semper deuitato, ac mentis hoc modo distractionẽ fugito. Tu quidem ad cellulam tuam te recepisti: at non ille idem, qui prius, antequam videlicet te inde mouisses; sed segnis, & languens, & ad omne munus rectum lentus, dissolutusque: & qui non nisi magno temporis interuallo, ad pristinum te habitum illum possis referre.

(:)

COMM-

COMMENTATIO XXIII.

Præcepta Sanitatis curandæ, tuendæ.

SIVE

Hygiasticon animæ.

In quâ, factâ diuisione Medicinæ in Curatiuam & Conseruatiuam; huius partes statuuntur quattuor. Ex singulis desumuntur, quæ ad sanitatem conferunt: circa quæ, præscribuntur regulæ. *Primò*: circa Intus assumpta. *Secundò*: circa Exinanientia. *Tertiò*: circa Extrinsecus accidentia: *Quartò*: circa Agenda.

Dominica I. Quadragesimæ.

Non in solo pane viuit homo. Matth. IV. 4.
Sana me, Domine, & sanabor. Saluum me fac, & saluus ero. Ierem. XVII. 14.

Medici in digressu officium. BONI, ac diligentis Medici, est postquam ægrum suæ commissum fidei ad meliorem valetudinem, adhibitis omnibus, quæ ars suggerit, remediis perduxit, ante digressum tuendæ sanitatis, ac conseruandæ præcepta relinquere; ne denuo in eandem, quæ tam longa cura propulsata fuit, infir-

NOTÆ. mitatem incidat. Neque enim minus præclarum arbitrari debet benè valentes tutos præstare à morbis, quam iis implicitos liberare. Imò, maiorem gratiam Medicis deberi affirmabat Demades, antiquus Philosophus, qui ingruentem morbum arcerent, quàm qui sæuientem iam depellerent. Idem igitur mihi faciendum duxi hodierno die, post totius anni curam ex Medicinæ spiritualis præceptis obitam, diligenter quidem ac laboriosè, conscientiæ testimonio: an æquè fructuosè, ignoro, ac vehementer ambigo. Sed magnoperè non sum solicitus: neque sanè angor animi, gnarus alium esse vitæ necisque Dominum, sine cuius efficaci meditatione sanatur planè nemo, nobis licet strenuè operantibus, quibus laboris præstiti merces erit copiosa, nemine licet persanato: quod alterius est opis. Prædicationis Euangelicæ, tanquam cælestis *Medicinæ*, vis constat, constabitque semper, siue qui audit suscipiat illam prona mente, ac salutem adsequatur; siue resistet ac pereat. Sic sol corporeæ lucis

Prædicatio-nis Euange-licæ fructus.

fons

fons est, ac cælestium hominum Princeps: & tamē ægris noctuarū oculis tenebras offundit. Eximia semper est dulcedo mellis; licet malè adfectis amaritudinem palato aspergat. Et scitur quæ animalia vnguenti fragrantiam perhorrescant, quā homines tantoperè capiuntur, & oblectantur.

PORRO hisce præceptis, quæ conijcere placuit in hanc commentationem postremam, ante ferias auctumales, quibus publico abstinemus, & solitudini nos sponte damus, si non magis aures perpurgatas, quam promptum ad exequutionem animum dederitis: næ multorum à vobis morborum materiam egregiè depulsam, & in sanitate firmissima roboratos, si vos denuo fortasse interuisam, pronunciare potero. Nunc rem ipsam aggredior.

Medicina diuisio. DVÆ sunt medicinæ partes: vna, θεραπευτική, *Curatiua*: altera ὑγιεινή, *Conseruatiua* nuncupata. Posterior hæc in tres iterum partes distribuitur: in προφυλακτικήν, quæ morbos imminentes, ac futuros auertit: in συντηρητικήν, quæ præsentem sanitatem tuetur: & in ἀναληπτικήν, à qua valetudinarii reficiuntur. Bona autem valetudo varijs conseruatur præsidiis, quæ à Galeno, aliisque Medicinæ Doctoribus ad hæc quattuor reuocantur, quæ sunt summa quædam capita, sub quibus alia quā plurima comprehēduntur. *Primū habet τὰ προσφερόμενα, Intus assumpta*: & sunt poculenta, ac esculenta, siue ciborum, siue remediorum vsum habeant. *Secundum, τὰ κενούμενα, Exinanientia*, quæ sudoribus, sputis, excrementis, vrina, similibusque continētur. *Tertium, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα: Extrinsecus accidentia*, quæ aqua, aëre, oleo, & istiusmodi constituuntur. *Quartum, τὰ ποιούμενα, Agenda*, quo nomine intelliguntur, exercitationes, studia, vigiliæ, somnus, cura, lotio, & similia. Nulla autem est res, nullumue auxilium, quod quidem ad sanitatem defendendam conducat, quin aliquo prædictorum quattuor generum, quæ totam conseruatoriam artem perficiunt, concludatur. Ex horum singulis quam densa præceptorum salubrium silua exoriri posset, facilè quiuis intelligit: sed cui cædendæ annus integer dari deberet. At nos è singulis vno alterove frutice collecto, contenti erimus. Itaque.

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum, sit

PRIMVM PRAECEPTVM circa τὰ προσφερόμενα: *Cibis vtere bonis.* *Cibis bonis vtendum.* Quemadmodum enim nihil ad κακοχυμίαν, morbosq; generandos, tantum facit in corpore, quantum alimenta vitiosi succi, & ad concoquendum difficilia: ita in anima nihil est perniciosius, quam illa ingerere, quæ in volūtate, vt mētis stomacho, non nisi exitiales adfectus generant. Hic si Medicum corporis agerem, curiosè, ac fortassis superstitiosè in cibos inquirerem, docerem que qui cibi celeriter descendant, ac sint facilis digestionis: qui ventrem molliant: qui sint valentis, qui mediæ, qui imbecillæ materiæ: qui valentissimi, qui infirmissimi: qui leues graues: plus, minusue alentes: qui stomacho obsequentes. Sed non est id nostri instituti. Animas curamus, quas bonis cibis pascendas suademus. Ex innumeris aliquas nominabimus.

EST imprimis, voluntas Dei, eiusdem præcepta, leges, consilia, optimus cibus: saluberrimus, simul ac delicatissimus: quod apud nos rarum. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsis: desiderabilia super aurum, & lapidem preciosum: & dulciora super mel, & fauum*, psalmo XVIII. Hoc cibo vesce- *Voluntas Dei, Mandata, Leges, Consilia cibus optimus.* *Ps. 18. 10. 11.*

vescebatur cælestis *Medicus*, ideò tam fuit sanus toto vitæ tempore, vt nunquam vel peccati venialis, vel imperfectionis vllius, sit tentatus febricula. Mirabantur quodam tempore Discipuli, quod Magister eorum Christus, post grauem lassitudinem, ac famem, ex defatigatione contractam, ad cibos, quos emerant, non anhelaret: dixeruntque, *Rabbi, manduca*, Ioannis IV. Nimirum apposuerant Christo cibum, & ille meditabundus hærebat, ac quasi in aliam rem, quę magis ipsi, quàm cibus curæ esset, animo defixus. Respondit autem: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Quisnam ille sit cibus declarat, dum subiungit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Tanquam Magistros orbis terrarum *assuefacit*, inquit Ammonius, *corporalem cibum Dei voluntati, hominumq; saluti postponere.* Et S. Cyrillus: *Significatur*, ait, *quod si Discipuli scirent de Samaritanorum conuersione iam agi, de illo cibo magis cogitarent, quàm de corporali consulerent.*

Ioann. 4.31. *Ver. 32.* *Ver. 34.* *Ammoni in Comment.* *S. Cyril. lib 2. cap. 103.*

Error Apostolorum.

PVTABANT Apostoli Christum loqui de cibo corporis, sicut Samaritana mulier sciscitatum fuisse arbitrabatur de aqua puteali. *Quid mirum*, inquit Augustinus, *si mulier illa non intelligebat aquam: ecce discipuli non intelligunt escam.* Voluntas Patris vt illam perficeret, erat Christo cibus, qualibet agnina, vitulina, anserina, perdicibus, phasianis sapidior. Salus hominum erat velut condimentum, & embamma paternæ voluntatis, quæ illam per se gratam, iucundã, suauem, dulciorem multo reddebat. Eandem escam, si quilibet è vobis cibis omnibus alijs, sed maximè, insipidis carnis, fœtidis mundi, dolosis Diaboli prætulerit, sitque illi *Panis quotidianus*, quod fiet, perquam facilè, si cum amoris diuini illinctu illum sumpserit, sanitatem spondeo, nunquam vllius morbi mortalis malignitate turbandam.

Cibi faciles concoctioni.

LAVDANT Medici cibos, qui facilè concoquuntur. Inter quos ab ijs numeratur panis triticeus ex farina optimè purgata, mediocriter salitus, ac fermentatus: oua recentia, & sorbilia: pulli gallinacei: hædina, vitulina, agnina: pulli columbini, perdices, phasiani: mala cydonea: vuæ passæ: cicorea. Sed nihil ex his omnibus facilius concoquitur in stomacho, quam Præcepta diuina in anima, vt exequutioni mandentur, si caritatis dentibus fuerint masticata: nam confestim in succum vitalem, ac sanguinem vertuntur.

Simplex & vnicus cibus optimus.

DAMNANT autem sanitatis curatores, nec immeritò, varia ciborum genera. Vtilissimum, ac saluberrimum dicunt esse simplicem. Multi enim, ac varij sapores, cum vino diuersi generis: multa etiam condimenta in vnum confusa, & tanquam in chaos immissa, vbi frigida calidis, humentia siccis pugnant, cruditatem gignunt, parentem morborum fœcundissimam. Vnde qui sanitatis, quam voluptatis sunt amãtiores, fugiunt conuiuiorum luxum, in quibus venter quantum hominem exercet? Istiusmodi voluptates, quamuis in præsens hominem non deijciant, aliquid tamen intus semper mali operis faciunt, quod ad interitum disponat: & vera fuisse venena, quamuis serò cognoscitur. Nos autem pro anima cibum proponimus optimum, & simplicissimũ, Voluntatem Dei: quæ semper vna est, ac eadem, quippe immutabilis. Idem, optimi est succi, facillimæ digestionis, suauissimi saporis. Quid ergo tu, tot alios accumulas? Voluntatem, vel præcepta,

 Mundi,

Mundi, Carnis, Dæmonis: varia, multiplicia, pugnantia, noxia, mortifera. Quid his te ingurgitas? venena fuisse, quamuis serò agnôsces, & fateri cogeris.

Verbum Dei cibus. *S. Amb. serm. 35.* EST etiam alimentum pro anima optimæ notæ VERBVM DEI, quod S. Ambrosius *mentis cibum*, vocat. De quo illud accipiatur: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* *Matth. 4.* Matthæi IV. Et quod Christus dicit Ioannis VI. *Ioan. 6.* *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: nempe, vitam spiritualem, ceu Cibus, donant. Hoc quasi *Deut. 9. 9.* *Lib. 3. Reg. 19. 6.* viuifico pane sustentatos, Mosen, & Eliam, quadraginta dies externo abstinuisse scimus. Christum etiam tot similiter dies, sine cibo in deserto degentem, diuino autem & interno benè saginatum, non voluisse de lapidibus panes facere, idem obseruat: vt magis Verbi studio, quam voluptatis intendere nos salutari præcepto doceret.

Verbum Dei vitam confert. QVEMADMODVM *corpus*, inquit eo loci, Carthusianus Dionysius, *sustentatur & conseruatur in vita natura per panem materialem: sic anima conseruatur, ac roboratur in vita gratiæ, per verbũ Dei. Qui verbum meũ audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam*, *Ioan. 5.* inquit Dominus. Ideò *Beati* dicuntur, *qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud*, Luc. XI. Verbum Dei intellectum illuminat. Vt rectè dixerit *Psalm. 18.* Psalmista. *Lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis.* Spem roborat, iuxta illud: *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Caritatem accendit, secundum illud: *Psalm. 118.* *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Animum consolatur, à voluptatibus carnis auertit, timorem inducit: denique, ad omne opus bonum incitat, *2. Timot. 3.* vt Paulus Timotheum monet. Concludit Dionysius: *Quemadmodum ergo meritò desperatur vita naturalis eius, qui corporalem cibum non sumit: vel sumptum non retinet: sic rationabiliter desperatur vita spiritualis illius, qui verbum Dei non audit, aut non custodit. Qui enim ex Deo est, verbum Dei audit,* inquit ipse Dominus.

EST reuera, Verbum Dei. *Panis vitæ*, seu *viuificatiuus*. Si quis non vescitur *Verbo Dei*, inquit Hieronymus, *non viuit*. Et Augustinus: *Certissimè scitote, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum: talis est anima, quæ assiduo non pascitur Verbo Dei.* *Aug. serm. 56. de temp.* *Quomodo caro per famem sicca, & tenuis, veluti quoddam simulacrum efficitur: ita & anima, si Verbi diuini cibo non pascitur, arida ac inutilis, & ad nullum opus bonum congrua euadit. Profectò sermo Dei est viuus & efficax*, vt habet Paulus Hebræor. IV. nimirum ad vitam, sanitatemque illibatam conseruandam. *Heb. 4. 12.*

DIVERSVS ab hoc cibus, est EVCHARISTIA. de quo dubitare non licet. Audi Christum: *Caro mea verè est cibus.* *Eucharistia Cibus.* *Ioan. 6. 55.* vel, vt Apollinarius, ac alij vertunt, ἀληθῶς: *Verus cibus*, nempe effectu, quia verè præstat, quod cibus præstare solet. Panis substantialis, ac viuificus. Quemadmodum materialis cibus sustentat vitam naturalem in corpore, & auget, ita Eucharistia sustentat, augetque vitam spiritualem in anima. Quæ vita consistit in gratia diuina, vocaturque vita in Christo, iuxta illam Domini phrasin: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Verum cibus materialis non semper auget corpus: peruenit enim tandem homo ad statum consistentiæ. At cibus Eucharisticus nunquam non auget vitam in anima debitè suscipientis: quia nullus, dum in mundo hoc inter mortales agimus, incremento est terminus definitus. Cibus corporeus conuertitur in substantiam illius, qui sumit: nam

cum

cum calor naturalis ſumentis potentior ſit, quam vis alimenti, tranſmutat illud in ſubiecti naturam. At, quoniam cibus Euchariſticus eſt manducante validior, cõuertit hunc potius in ſe; vt benè dixerit Auguſtinus: *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me: nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

S. Aug. l. 7. Confeſſ. c. 10

CIBVS corporis voluptatem adfert carni: Euchariſticus haud paullò maiorem animo. *Præbet delitias regibus*, Geneſis. XLIX. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus*, Pſalmo LXVII. Cibus corporis vnum tantum ſaporem, eumque ſæpè ingratum habet: Euchariſticus omnes omnium, eosque gratiſſimos: De hoc canimus: *Panem de cælo præſtitiſti eis, omne delectamentum in ſe habentem*: vt de Manna, illius figura ſcriptum. Sed fidei ac caritatis dentibus maſticari debet, vt ſapor eliciatur. Cibus corporeus confortat corpus, ne concidat: Euchariſticus animam, ne in peccatum labatur. *Manifeſtum eſt*, ait Cyprianus, *eos iuuari, qui corpus eius attingunt: & verè Euchariſtiæ communionem accipiunt*. Bernardi quoque eſt illa vulgata ſententia: *Euchariſtia minuit ſenſum in minimis, & in grauioribus tollit omninò conſenſum.* Quod fit, quoniam eius beneficio, vt conſtat experientia, repelluntur cogitationes peruerſæ ad peccatum illices: refrenantur concupiſcentiæ impetus, humorum attemperatione: tolluntur occaſiones externæ: mouetur phantaſia, recordatione ſuppliciorum impiis decretorum: excitantur cogitationes, ac deſideria futuræ gloriæ.

CIBVS corporeus vires ſubminiſtrat corpori ad ſuſtentãdos labores. Euchariſticus animæ ad exercenda virtutum officia: ſiue id fiat excitando immediatè voluntatem, vt velit: quod diuina virtute fieri poſſe nullum eſt dubium: ſiue agitando humores, & ſpiritus: ſiue per redundantiam voluntatis. Cibus corporeus ac materialis non niſi viuo prodeſt corpori: Euchariſticus, ac ſpiritualis mortuæ quoque animæ. Siquidem poteſt nonnunquam conferre primam gratiam. Quod quomodo fiat per dolorem illum, quem attritionis vocamus, cum bona fide, perpurgatæ, mundæque conſcientiæ, docent Theologi. Cibus corporalis in ſolum corpus vires exerit. Euchariſticus in corpus, & in animam: tum quia corporis animo coniuncti humores attemperat: tum quia poſt deceſſum ab anima, reſuſcitat illud ad vitam immortalem. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, inquit Dominus, *& ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Verè *Pharmacum immortalitatis.*

SED integrã commentationem, eamque longiſſimam, cibi Euchariſtici qualitates, & nunquam ſatis commendanda virtus poſtulant. Quid hæremus? Melius eſt de Euchariſtia nihil, quam paucula dicere. Vultis bolum auro potabili, ad ſanitatis conſeruationem, multo præſtantiorẽ margaritis, ac vnionibus precioſiorem? è niueo Euchariſtiæ orbiculo particulam impetrate, ac ſumite. Quoties? quæris. Quoties ſol oritur? Quotidie, in ſacrificio, cui adſiſtis, ſpiritualiter: Sacramentaliter verò, quoties prudentis confeſſarij iudicio paratus fueris Et hæc quidem primo præcepto, circa *Intus aſſumpta*, quatenus *Eſculenta* reſpicit, continentur.

SECVNDVM PRÆCEPTVM, quod ad poculenta pertinet eſt huiuſmodi. *Aqua dulcis potus ſit ſine menſura.* Aquam illam deſigno de qua Chriſtus ad Samaritanã

Aqua potus
Ioan. 4.

Ioannis IV. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Quo plus ex hac aqua biberis, eo melius habebis. Est enim *Aqua viua*; siue vitam in se habens: siue viuificans: vtrumque enim verissimum est. Per hanc *Aquam* autem rectè intelligis, aut *Spiritum-sanctum*, quam eo symbolo exprimit Christus Ioannis VII. vbi inquit: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent Aqua-viua. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Aut, *Gratiam* Sancti spiritus: quæ illa imagine optimè repræsentatur, tum quia animam lauat, ac purgat: tum quia non est stagnans, ac veluti mortua, & immobilis; sed vt ait Theophylactus, scaturiens, & exiliens. Siquidem gratia spiritus efficit, vt anima semper ad bonum moueatur, nouos semper disponens gradus, quibus ascendat: nempe de virtute in virtutem. Aut *Doctrinam Euangelicam*, quæ est *Aqua viua.* Quia *viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, vt dicitur epistola ad Hebræos IV. cap. Aut, *Christum ipsum.*

Aqua Spiritus S.

Hebr. 4. 12.

QVI *bibit hanc aquam* salutarem, *non sitiet in æternum. Aqua enim*, inquit Medicus diuinus, *quam ego dabo illi, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam:* vsque ad vitam æternam: seu, vsque ad cælum, siue, quam diu viuit. Quis autem sitiat, qui fontem habet tam altè in visceribus salientem? Qui Spiritum-sanctum, eiusque gratiam continet, fontem habet, vsque ad cælos salientem. Qui bibit aquam materialem, iterum paullò post sitit: quia appetitus humidi, ac frigidi rursus excitatur, aqua consumpta, & euanescente. Si autem non consumatur, concoquatur, ac digeratur, minimè prodest. Qui spiritualem Aquam semel bibit, non sitit amplius: quia semel pota sufficit in omne æuum, & æternum: nec vllius alterius adiumento indiget. Accedit, quod non consumatur, nec excernatur, aut per sudorem, aut per vrinam, aut vllo alio modo, vt aqua Elementaris, quam bibimus. Est enim incorruptibilis, immortalis, inexhausta: semper ac continuò sitim sedans: nisi fortasse, quod pessimum est signum, euomatur. Euomere autem hanc aquam censetur, qui peccat mortaliter: is enim Spiritum sanctum eijcit. Sed quomodo hæc vera sunt, si verum dixit Ecclesiasticus in persona Sapientiæ, seu diuini Spiritus: *Qui bibent me, adhuc sitient.* Verum hoc non est intelligendum de siti indigentia, sed amoris. Quò magis sapientiam gustamus, quod fit eius amore: eò magis crescit. Quid mirum? cum verè cantauerit profanus:

Semel bibens non sitit amplius.

Eccl. 24. 29.

> *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.*

Iuue. saty. 14.

TERTIVM PRAECEPTVM spectat *vinum*: sed, vinum germinans virgines. *Bibatur vinum spirituale vsque ad ebrietatem.* Vt ebrietate corporea nihil est detestabilius, & ad firmam hominis valetudinem conturbandam magis accommodatum: ita spirituali ac mystica nihil est optabilius: nihil salutarius. Agmen malorum sequitur corpoream. Inter quæ maximum, si corpus attendas, vitæ breuitas. Cui iuncta infirmitatum ilias: pallor vultus: tremor membrorum: suffusiones fœdæ oculorum: animæ graueolentia: obliuio, seu, mors memoriæ: somni turbulenti: inquieta noctibus quies: apoplexia: paralysis; & in propriam prolem impietas. Nam si credimus Plutarcho, & cre-

Vinum spirituale large potandum.

Plutar. de educan. liberis.

credulitatem in hac re parit experientia: Necesse est, non tantum vinosos, sed morbosos, & amentes quoque nasci ab ebriosis. Hinc Diogenes videns adolescentem labantem animo, *Adolescens*, inquiebat, *ebrius te pater genuit*.

Ebrietatis spiritualis commoda. AT spiritualem Ebrietatem infinita comitantur commoda. Hanc ebrietatem efficit vinum ex illa vite expressum, quę eloquentior quolibet Oratore dicebat. *Ego sum vitis, vos palmites*. Clarius eam caussat Spiritus Christi: Spiritus verè Sāctus, & dulcis: Spiritus perfectionis, quo, qui plenus est, sopitus iacet amore Diuino, suorū, & suimet oblitus, hilaris, intrepidus, hominem quodammodo exuens, Deum indutus: mundo stultus, cœlo sapiens: ludibrio hominibus, admirationi Cœlitibus. Hac ebrietate pleni fuère Apostoli in die Pentecostes, quando *stupebant* Iudæi, *& mirabantur ad inuicem dicentes: Quid nam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: Quia musto pleni sunt*. Musto pleni erant Apostoli: sed musto cœlico, quo mente alienati, ebrij censebantur, vt vulgus solet: erant, vt ij, qui à vulgo seiuncti, Deo pleni, gestu verboque eructant *Ebrietatem Spiritus*.

Act. 2. 12. 13.

HAC plenus est iste adolescens, qui despuit consolationes terrenas, vt fruatur cœlestibus: contemnit tumultum, vt se reducat in solitudinem: ornatum corporis superfluū abijcit: cōuersationi inhonestæ nuncium remittit: detractoribus autem denegat: impudicos procul esse iubet: frequentat templa, Sacramenta, oratoria: non sapiunt illi, quæ mundus suggerit, lenocinia: dolosas carnis reputat illecebras: totum se Deo deuouet, aliorum immemor. Perge carum mihi, & cœlitibus, quibus notum tuum nomen, Caput, æternam sanitatem, salutemque polliceor.

[V]inum my[sticum].

Ebrij spiritualiter. S. Aug. ser. 185. de Temp. HOC madidi sunt vino, verè spiritualiter ebrij, quos describit Augustin. sermone CLXXXV. de tempore: Qui desiderio salutis suæ parentes, & patriam suam fugiunt: & mortui huic mundo, alios animarum inquirunt parentes, & liberi sub iugum veniunt: & paullò ante elati, atque sublimes humilia adfectant, superba fastidiunt, & cupiunt esse, quod ante despexerant: & odisse incipiunt, quod fuerant: præsentium hospites: futurorum appetitores: æternam illam patriam, contempta temporalium falsitate, suspirant: abstinentiam, delitijs; vigilias, dulcibus somnis; paupertatem, diuitijs anteponunt: arduum contra vitia laborem iucundissimam computant voluptatem: dulcescunt eis vilia: &, quæ prius fuerant preciosa, vilescunt: diligūt inimicos suos, & benefaciunt his, qui se oderunt: non conuitiantur indignantibus: non irritantur in opprobrijs: non franguntur in iniurijs, prorsus horum nihil sentiūt, propter feruorem Spiritus sancti, & propter æternam retributionem.

Vinum mysticum in cœna Eucharistica. IDEM vinum largè hauriendum est in Cœna Eucharistica, in qua humana mens sobriè ebria, & eo, quod virgines parit, musto languescens in illius ruit amplexus cui mori volupe, vt eo quem fundebat sanguine, amicos perplueret, ac inebriaret. Ad hanc ebrietatem inuitat Sponsus: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini carissimi*. O sanctam ebrietatem, quam suadet ipsa Sanctitas! ô dulcem inuitationem eius, sub cuius lingua latet mel! quam, vtinam omnibus persuadeat. Est enim indiuidua huius ebrietatis comes animæ sanitas.

Cant. 5. 1.

Exinanientia sanitatis conseruatiua. PORRO altera Medicinæ conseruatiuæ pars τὰ κενώσεως, siue *Exinanientia*, & *Euacuantia* complectitur, quæ sectione

venæ, vomitu, purgationibus variis, scarificationibus, sudoribus, similibusque, vt initio diximus, continentur. Sine his autem frustra te sanitatem diu tueri posse tibi persuades. Siquidem, qui quotidie cibis vtitur, quamuis cautionem adhibeat, ne nimii fiant excessus, tamen euitare vix potest, imo neutiquam potest, quin aliquid humoris crudi ex iis generetur, ac in corpore remaneat, quod per venas deinde attractum, per totum corpus, taquã per spongiã, distribuitur. Itaque breui tempore, tanta praua humoris quantitas coaceruatur, quantum vas nõ modicum vix contineat. Humores tandem temporis tractu putrescũt, ac lethales morbos inferunt. Quo fit, vt magna hominum pars extinguatur citius, quam alioqui complexio in iuuentute spondebat. Quicumque enim ante extremam ætatem decedunt, nisi violenter auferantur, ferè hac ratione intereunt. Huic autem periculo occurritur tempestiuis purgationibus. Sic enim nec magna humorũ copia congregari potest, nec adeò multũ putrescere, cum statis temporibus excernatur non paruin. Atque hæc est caussa quare plurimi in Italia, & Hispania absque aliis medicinæ tormentis ad senectutem perueniant: vt quidam censet.

Anima oppletur nimium.

Havd secus in anima: quotidiana rerum diuersarum tractatione multa in partem illam spiritualem, per desideria influunt: multa sensus ipsi suggerũt: suo pte impetu quædam surrepunt: alia vaferrimè penetrant, quibus anima nõ minus, quam stomachus vitiosis cibis grauatur. Oriuntur inde adfectus varii, amoris, odii, timoris, gaudii, spei, desperationis. Hinc peccata leuiora primum, quæ nisi cõmodis euacuationibus quãtocius excernantur, grauiorum deinde, & lethalium sunt occasio. Sparguntur initio verba ociosa, faceta, ridicula. Hæc parui æstimantur, ac si de ijs non esset reddenda ratio. Sed paulatim volubile dicacis linguæ organum tubos inflat, & folles attrahit: hinc profluunt eadem facilitate suauia, carnalia, amatoria. *Ad secundum sic proceditur.* Tum profundũtur fœda, fescẽnina, spurca, meretricia. Mutiplicantur eodem impetu detractoria, infamatoria, iniuriosa. A verbis ad opera deuenitur. Hęc, & superiora, si multiplicata animum onerauerint, facillimè eò deducent, vt omnem deinde purgationem, ac salutarem medicinam reiiciat. Ideo in hoc genere sit

Primvm Præceptvm. Quot septimanis excernantur noxij humores Confessionis vomitu. Dici non potest, quantam huius regulæ obseruatio diligens, vim habeat ad sanitatem hominis perpetuandam: & quam illa sit necessaria. Constat enim sanitatem animi obtineri non posse, si vel minimum quid resideat, quod lethiferæ noxæ rationem habet. Sed hæc frustra illustrantur, cum meridie magis luceant.

Confessionis vomitus septimanis singulis.

Secvndvm. Quotannis præparatione præmissa, per examen conscientiæ serium, ac diuturnum, & meditationum præambula, secetur vena, per confessionem generalem. In qua, si forrasse minus euacuatum fuit in particularibus, per singulares vomitus, perfectè educatur. Cuperem scire modum, inquit aliquis. Gratissimum mihi erit, si hęc priuatim sciscitcris: horas tibi dabo & dies, vt te instruã. Hic importunè id efflagitas, cum omnibus hoc loco sit seruiendum.

Tertivm. Quotidie sudoribus operum satisfactoriorũ, dolore aliquo interno, comprecatione frequenti, ac feruenti; caritatis officio quopiam proxi-

mo

mo impenso, subtiliores venalium peccatorum humores euacuentur. O qui faceret! ais. Hanc felicitatem tibi opto. Nisi tu manum operi admoueas, optatione mea non consequeris.

Extrinsecus accidentia.

IAM verò, pars tertia eius disciplinæ, quæ tuendę sanitatis munus adsumpsit, *Extrinsecus accidentia* examinat, & de ijs præscribit. Si corpus spectes, accidentia illius sunt præcipua, aer, habitatio, vestis, & quæ superius enumerata. Hæc symbolicè sumpta animam etiam circumstant. Circa hæc autem seruentur hæc præcepta.

Corpori.

Animæ.

Ab aere pestilente cauendum.

PRIMVM. *Aërem purum, ac perpurgatum trahito.* A lue infecto, fœtido, pestilente, caueto. Explico. Sunt nonnulli, qui verbis, virtutumque exemplo bonum odorem de se quaqua versus emittunt: *Odorem notitiæ suæ*, inquiebat Paulus, *manifestat per nos in omni loco.* Quia *Christi bonus odor sumus Deo.* Quicquid cogitabat, loquebatur, faciebat Apostolus id veluti fragrantia quædam thymiamatis, & aërem omnem vicinum afficiebat, & purgabat. aliorumque sensus audientium, suauiter influendo, confortabat. De qualibet Pauli sententia dici poterat: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.*

2. Cor. 2. 14

Paulus Apost.

Cant. 3. 6.

Similes Apostolo.

HVIC sunt similes, qui nec dicto, nec facto sunt cuiquam offendiculo: cauent sibi diligenter à verbis scurrilibus, inhonestis, offensiuis: quantum etiam permittit fragilitas humana, ab ociosis; &, quæ ad rem non spectant: abstinent ab omni specie mali: neminem ex circumstantibus contristant: non detrahunt aliorum famæ: non murmurant: non contendunt: ad malum non proritant, nec prouocant. Si quis talis inter vos, verè de illo dici potest. *Odor oris tui, sicut malorum. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Odor vnguentorum tuorum, super omnia aromata. trahe me post te: & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Hoc odore melius, quam quolibet suffitu aër, quem haurimus, fœtidus alioqui, & sordibus Potestatum tenebrarum, quæ illum inhabitant, inquinatus, emendatur.

Cant.

Homines impuri.

E CONTRARIO, inuenias aliquos, qui è Grunnientium, ac Porcorum videntur prosapia, adeò fœditate, ac spurcitia delectantur: præcordia habent eructantia meram cloacam: quicquid promunt ex harâ videtur prorumpere, & ad illam tendere, aut ad fornicem: verbo, & opere impudici, & obscœni. Hi vocantur *Pestes reipublicæ* in Sacris oraculis, homines pestilentes, ac pestilentiæ: nimirum, pestilitatem circumferunt: & omnes quibus cum agunt, & viuunt, conuersatione sua, vt contagiosa lue, adflant: & ipsum aërem contaminant. Sensus igitur præcepti illius est: In aëre puro, & benè olente degendum, si sanitatem ames. Agendum cum probis, quorum odore reficiaris, ac recreeris. Abstinendum ab illorum conuictu, & conuersatione, quorum verba, dum audiendo, aut respirando hauseris, pestilens contagium attrahes, & sensim corrumperis. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Domus sit pura.

SECVNDVM PRÆCEPTVM. *Domum nullis obnoxiam morbis incolito.* Expono. Vt sũt morbi proprij quibusdã oppidis, aut regionibus, quos vocant Medici *patrios*; ita proprij sunt quibusdã domibus, quos licet appellare *domesticos.* Est tam insalubris in quibusdã ædib⁹, imò, propè illas, habitatio, vt penè oẽs inibi lepra corripiãtur: in alijs capitis dolorẽ molestissimũ cõcipiãt: in nõnullis pessimè audiãt.

Morbi domestici.

Sunt

Simili modo sub lasciuorum tectis laboratur luxurie. In superborum contuberniis arrogātiæ morbus regnat. In auarorum habitatione, sordibus homines inquinantur. Vt verè dictum: *Exeat aula, qui vult esse pius*, ita verissimè vsurpatur, Exeat his habitaculis, qui vult esse sanus.

Lex vniuersitatis Herbipolensis. PROFECTO benè & sapienter est constitutum à Maioribus nostris, vt in hac Artium Vniuersitate non permittatur habitare litterarum studiosi, in locis mali odoris, & nominis; seu noxiæ auræ, & contagiosæ: leges Academicæ habēt, quod fortasse intelligitur, *in locis suspectis*. Clarius. Vbi sunt impudicæ fœminæ: illices malorum, siue pellices, perpetuæ potationes: ludus aleæ, & taxillorum, vt in cauponis, & in tabernis: vbi Flora, Helena, Circe, Canidia, vxor Putipharis. Dices: multa etiamnum istiusmodi loca incolunt aliqui. Id ignoro equidem. Si ita se res habet, publico Magistratus edicto expellendi essent noxij. Est memoria recens in tabulis publ. Philosophici sodalitij de adolescente, & docto, & benè *Anno 1578.* morato, cuius nomē ibi exprimitur, qui, non nisi hac conditione, ad Baccalaureatus honorem admitti potuit, ac promoueri, vt hospitium suum, in quo à studijs plurimum impediebatur, ob caussas insinuatas, mutaret. Deindeque Decano à toto illo senatu grauissimorū virorum mandatum fuit serio, vt is ei rei haberet rationem diligentem: & curaret, ne quid detrimenti, eius neglectu, res Philosophica caperet.

IN eadem Acta relatum inuenio, cō uocatos fuisse ad Cancellariam Principis Curiam, Facultatum quattuor Decanos à Rectore Magnifico, & simul Prætorē ciuitatis, cum omnibus cauponibus, & tabernarijs, quæ est honestissima tribus: erantque omnino nouendecim, quibus publicè, nomine Magnifici Rectoris tria fuerūt demandata. *Primum*: vt vagabundos studiosos, vel à Scholis dimissos nō reciperent. *Secundum*: vt fortè per ignorantiam in hospitium admissos, dimitterent per accensum Academiæ moniti. *Tertium*: Vt quos nossent Studiosos, non paterentur facere sumptus vltra florenum, inscio Rectore. Si secus facerent, mulctandos se scirent. Nimirum, prudenter existimabant sapientissimi viri, tabernas, cauponas, publica hospitia scholarum sanitatem ob multiplicem contagionem lædere: ideoque inde illis esse migrandum. Vtinam reuocetur exemplum in mores.

TERTIVM PRÆCEPTVM. *Vestis tibi semper sit nuptialis.* Quo nomine non intelligo cum nostri æui sectarijs, Fidem. *Vestis nuptialis.* Nam inuitatus hodierni Euangelij, fidē habebat: quippe, qui in cœnaculum Ecclesiæ, non potuit, nisi per fidem ingredi. *Non est fides* Est itaque *Vestis nuptialis, Caritas, Opera bona, vita Christianæ fidei respondens*, vt Origenes, Tertullianus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Theophylactus, Euthymius exponunt. *Ter. lib. de resur. car. Orig. Chry. auctor imper. Amb. serm. 14. de Nat.* Quemadmodum enim, qui ad nuptias sunt inuitati, vestem solennitati congruentem, ac loco illi dignam induere debent: ita, qui ad Ecclesiam per fidem inuitati veniunt, vitam agere eos oportet fide, ac homine Christiano non indecoram. Nec insolens est in Scriptura sacra, vt vestis nomine, opera bona exprimantur. Apocalypsis III. *Dicis, quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* *Apoc. 3. 17. 18.* Ad Ephesios IV. *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia,* *Eph. 4. 24.*

stitia, & sanctitate veritatis. Ad Colossenses III. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem secundùm imaginem eius, qui creauit illum.* Filium suum dilectissimum Ioseph induebat Iacob veste talari, & polymita, Genesis XXXVII. nempe, filorum, aut liciorum varietate distinctam. Talis vestis est, *caritas*: talaris, longa, & lata: pertingit enim vsque terræ filios, ad inimicos: multorum distincta varietate colorum, quoniam virtutum ceterarum contextum habet. Hæc propria est filiorum Dei, & ad sanitatem conseruandam aptissima.

Coloss. 3. 9. 10.

Gen. 37. 4.

QVARTVM PRÆCEPTVM. *Oleo caput, ceteraq; membra inungito.* Est oleum pacis symbolum, qua nihil vtilius, & iucundius, nihil ad securitatem, tranquillitatemque, & sanitatem tuendam accommodatius. Illo inungatur anima, eiusque omnes potentiæ. Quod fit, cùm ratio diuinis legibus, reliquæ facultates rationi obediunt. Tunc aufertur omne inter partes dissidium: sopiuntur passiones: excluditur intestini belli omnis occasio.

Oleo caput inungendū. Pax.

OLVM etiam in arcana Sapientia *lætitiam* significat. Hæc procuranda est homini, qui spiritualem sanitatem diligit. Vt enim *Spiritus tristis exsiccat ossa*, etiam corporis: ita lædit valetudinem animæ: &, instar tineæ, interiora corrumpit, rodendo, ac consumendo. Lætitiam autem designo eam, quæ sunt fructus spiritus diuini: bonæ conscientiæ testimonium: partus gratiæ cœlestis. Non illam quorundam, qui *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt*.

Lætitia.

INTER laudes Sponsæ est ista: *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, Psalmo XLIV. Quo nomine, Spiritus S. eiusque virtus non malè intelligitur, vt docet S. Ambrosius: & rationem dat, vt sciamus nulli creaturæ, tanquam humori, illum misceri: neq; creaturā esse: nec corp⁹ vngere, sed intima cordis illuminare. Tali oleo vnctum asserit Christum, qui non eguit externo ad fomentum vulnerum. Certè Spiritus S tanquam oleum, superfertur, Genesis I. *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: Fouet, ac nutrit caritatem, ceu ignem. Inspiratio illius lumen accendit, datque intelligentiam, vt est Iobi XXXII. Dolores lenit: subit, ac penetrat, & diffunditur, & exhilarat: roborat. Adhæc, oleum, Gratiam sanctificantē denotat: qua, nisi inuncta fuerit anima, nō potest non morbis quā plurimis vexari assiduè. Impossibile est enim valetudinem animæ sine gratiæ vnguento cōsistere. Tandem, oleum, Misericordiam, eiusque opera repræsentat, ijs inungendus est animus, quoniam operiunt peccatorum multitudinem.

Spiritus S. S. Amb. 1. de Spiritu S. cap. 8.

Gen. 1. 2.

Iob 32. 8.

Gratia sanctificans.

Misericordiæ opera.

DENIQVE, Medicinæ conseruatiuæ pars quarta *Agenda* procurat: quo nomine designantur exercitationes variæ, & alia his adnexa. In exercitationibus corporis non paruum momentum ad sanitatem illius cōseruandam, & prorogandam inesse docēt *Medici*. Ideò veteribus, tum ad hunc finem, tum excitandis ad virtutem animis exercitatio fuit multiplex. Sed ad quinque ferè genera omnis reuocari potest. Quæ ludorum titulo in campo Olympico ab Hercule fuisse instituta feruntur. De quibus Hom. Iliad. penult. & Simonides, hoc eo versu comprehendebat:

Agenda ad sanitatem tuendam.

Nat. Com. lib. 5. cap. 1.

Exercitationes corporis.

Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Latinè sic exprimuntur: *Saltus, Cursus, Discus*, qui proijciebatur ad metam, *Iacula*, seu pugna; quam *Cæstum* vocat Virgilius; *Lucta*.

Lib. 3. Georg. & lib. 5. Aeneid.

SALTVS ad corporis sanitatem conducit,

Saltus ad

sanitatem vtilis. ducit, quoniam in eo est corporis totius agitatio. Huic respõdet in anima Saltus spiritualis, qui illius sanitatem firmat, & fuit Sponsi illius exercitatio: de qua eius Dilecta in Canticis: *Ecce iste venit Saliens in montibus, transiliens colles: similis capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Saltitabat sponsus instar Capreę, id est, ruricapręę, seu ibicis, vt alibi nominatur: & instar hinnuli ceruini. Nonne viderunt cælites salientem Dei Filium, quando *Omnipotens sermo de regalibus sedibus venit*? Quando Sol iustitiæ egressus de thalamo suo, hoc est, de sinu Patris, transuolans cohors Angelorum, tanquam montes altissimos; transiens, veluti colles, Patriarcharũ, Prophetarũ, ac Regum generationes desilijt in vterũ Virginis: de hoc saltum fecit in præsepe: hinc in Ægyptum: de Ægypto in Nazareth: vnde in desertum: ex hoc in Vrbem sanctã, & templi pinnaculum: postea in montẽ Maria, in montẽ Thabor, in mõtem Caluariæ, in sepulcrum, in montem Oliueti, tandem in cœlum. Hinc etiam quotidie, prout Ecclesiarum singularum necessitates exigunt, pedibus caritatis, ac prouidentiæ saltare non desinit, per totum, quam latè patet, orbem terrarum.

Cant. 2. 8.

1. Reg. 24. 3

Iob 39. 1.

Saltus spiritualis. Hi saltus meditatione, & contemplatione faciendi sunt, vt post Christum salientem exsultim currendum. Ille salijt ad salutis, virtutumque heroicarum officia, ad quæ alij vix proreptant: transilijt communia quædam præceptorum diuinorum opera, ad quæ plerique vix currunt. Tibi per montes solidarũ virtutum saltandum, si sanitatem cõfirmatam desideres: apparentiũ quarũdam, & minus præstantium colliculi transiliendi. *Exerce teipsum ad pietatem.* ait Apostolus dilecto discipulo suo Timotheo: caussam adiungit: *Corporalis enim exercitatio ad modicũ vtilis est: Pietas autem ad omnia vtilis est.* Ergo corporalis exercitatio collis est, pietas, mons. Transilias colles: salias in montibus. Ita commentatur Guilielmus Canticorum Interpres nobilis: qui ostendit Ioannem Baptistam moratum in collibus, siue cùm nõ manducaret panẽ, siue cùm nõ biberet vinum: Filium hominis transijsse colles corporalis huius austeritatis, manducans & bibens, vt caritati magis deseruiret, in monte perfectionis saltitans. Matt. 2. 18.

1. Tim. 4. 8.

Idem nobis faciendũ, si spiritualẽ sanitatẽ exoptem⁹. Ardua virtutũ sunt petẽda: quarũ præludia sunt, exercitamenta illa exterioris seueritudinis: ceruinis pedibus secularia omnia transilienda: temporalia, ac mundana prætereunda, sicut humilium cogitationum colles: super cęlos cõtemplatione est enitendum. Saltandum est à vitijs ad virtutes: à superbia ad humilitatem: ab iracundia ad mansuetudinem: à gula ad temperantiã: à luxuria ad castitatẽ: à vanitate ad modestiam. Saltandum est de virtute in virtutem: de timore ad caritatem: de liberalitate ad paupertatem: de cõtinentia ad Angelicam puritatem: de temperantia ad absolutam abnegationem. Saltandũ de statu in statum, de mundo in religionem: de Iericho in Ierusalem: de terra in cęlum. Sed similis est generatio ista pigris, & ignauis, cui dicere possumus: *Cecinimus vobis, & non saltastis.* *Quomodo saltandum nobis.* Matt. 11. 27.

Cursus spiritualis. Post saltum inter exercitationes salutiferas est *Cursus*, haud minus, quàm iste vtilis. Eo Apostolus feliciter vtebatur, & alijs tanquam peritus *Medicus* pręscribebat. *Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum.* Quid est, ait Chrysost. nõ in incertum? idem est, quod ad scopum respiciens: non temerè, & inconsideratè. sunt enim plurimi, qui currunt, sed in incertũ: quia nullus est ijs præfixus terminus,

ex ijs, quos studia Christianorum postulant: vigilant in incertum: laborant in incertum. Miselli, quò curritis? nescimus: metam properamus ad vnam, sed incognitam, & vagam: in incertum. D. Ambr. & Hieron. simpliciter explicant, de spe, atque exspectatione immortalis vitæ, ac beatæ: ac si dixisset: omnia mea consilia, & conatus ad vitã æternã refero. Quod vobis etiam atq; etiã suadeo faciendũ.

Cursus in stadio. Verum, hic *Cursus* vt sanitati animę melius conducat, ex Medici præscripto debet esse, sicut illorum, qui in stadio currunt. Neque sanitatem solummodò, vt finem debet respicere, sed coronam quoque ac brauium: *Nescitis, quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauiũ. Sic currite. vt cõprehendatis.* *1. Cor. 9. 24.* Et quidem Clemens Alexandrinus, cursui, ac olympiaco certamini humanæ vitæ stadium accommodat, comparatione eleganti. *Clem. lib. 7. strom.* *Hic est*, inquit ille, *verus athleta, qui in magno stadio, nempe in pulcro hoc mundo coronatur, verãm assequutus victoriam aduersus omnes animi perturbationes: nã & Agonotheta est Omnipotens Deus. Ego autem stadium ad salutarem cursum adsignauerim præcepta Dei, vt dicere possint, quicumq; ad metam festinant: viam mandatorum tuorum cucurri.*

Quanta contentione currendum. In hoc cursu omnes oportet vires, neruosque intendere: nullum recusare laborem, vt ij faciunt, qui ad metas, cum laude & gloria peruenire conantur Quam strenuè autem in opus incumbunt? quam multa & dura, & acerba perpetiuntur libenter?

Hor. Car.

> *Qui studet optatam cursu contingere metam,*
> *Multa tulit, fecitq; puer: sudauit & alsit,*
> *Abstinuit Venere & vino*——

Longè maiori contentione enitendum nobis est, vt promissam, præter sanitatẽ gratiæ, coronam gloriæ aliquando consequi possimus. Qui coronam expetebant, olim, omnes spe premij, ac gloriæ allecti, magno studio. ac diligentia se ad cursum comparabant: diu exercebantur in arena, ac puluere, vt in ipso cursu felicius stadium conficerent. At cum multi è carceribus emissi ad metas contenderent, vnus tamen ex omnibus præmium & palmam consequebatur. Sed in virtutis stadio currentes, modò velint ipsi, omnes præmium manet: Sanitas huius vitæ: salus alterius.

Hoc autem dixit Apostolus, Chrysostomo interprete, non quod quilibet sit futurus saluus; sed quod multum adhibere debemus studii. Nam sicut illic multis in stadium descendentibus, non coronantur multi, sed vnus id assequitur. Neque sufficit in certamen descendere: nec mungi & luctari. Ita hic quoq; non sufficit credidisse, & leuiter, ac vtcumque certasse. Verùm, nisi ita curramus, vt ad finem vsque nos præbeamus nulli affines reprehensioni, & propinqui simus præmio, nihil ad nos redibit emolumenti.

Propterea subdit Apostolus: *sic currite, vt comprehendatis.* Hoc animo currite, inquit Theophylactus, nõ tantùm, vt videamini certasse, sed appetiuisse victoriam: ita cursum instituite, vt palmã assequamini. Quemadmodum cursores in stadio omni labore, conatuq; nituntur palmam consequi, sic vobis enitendum, vt propositam palmam comprehendatis.

Pugna cæstuum. Notæ. Alia gymnasticæ ad sanitatem tuendam exercitatio est pugnæ genus, quod Virgilius, & alij *Cæstum* vocant. Cæstus, à cædendo dictus, claua erat, instar flagelli. ex loris bubulis congestis, globis plumbeis, aut ferro grauibus, qui-

bus athletæ mutuo se diuerberabant, aut, vt verius dicam, membra comminuebant: Vni enim aliquando caput obtundebatur, iam effractis maxillis, aut cranio, dentes, cerebrumque excutiebantur: alter conuulsis scapulis ictus immanitate succumbens, sub onere fatiscebat: alius denique fracta ceruice ruebat mortuus. Diuersam à superiore Cæstuum formam dat vir eruditus, & excellens nostri temporis Medicus Hieronymus Mercurialis in arte gymnastica. Erant, inquit, cæstus laminæ æreæ in manibus alligatæ loris quibusdã, quæ inter distincta erant punctis, quæ manibus & brachijs adnectebantur, vt non modò pendere aliquo, verùm etiam soliditate cæstibus certantes se ferirent.

Pugnabat Paulus.

HVIVS pugnæ modum imitatus videtur Paulus: qui, *sic pugno*, inquiebat, *non quasi aërem verberans.* Summa enim ars, ac dexteritas cæstibus pugnantium in eo cernebatur, vt declinarent ictum, illæ cæssus caderet, & aërem verberasse, qui intendebat, diceretur. Accommodat autem hanc exercitationem Apostolus flagellationi corporis, & modum pugnandi docet, flagellumq; se, tanquam cæstum, apprehendisse indicat. Sæuiebat tanquam exercitatus pugnator, non in alterius, sed in proprium corpus: quod, quia ictus declinare non poterat, aërem haud verberabat; sed egregiè suummet tundebat corium. *Sic pugno, non quasi aërem verberans.*

Quid sit aërem verberare.

Mer. l. in Gym. cap 4. lib. 5. cap. 6. Pet. Fab. li. Agon cap. 3 li. 3 cap. 2. & 3.

L. 5. Aenei.

GRÆCE est, ὡς οὐκ ἀέρα δαίρων. Quod doctissimi viri pertinere putant ad σκιαμαχίαν. quam fortasse describit Virgilius:

——*alternaq; iactat*
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Erat enim illud, sicut in cantu, præludium, quo se pugiles in certamen quodammodo acuebant. Quod leoni, natura duce, inditum ferunt, vt terram caudâ quatiens, iram, furoremque excitet. Idem cursoribus in more positum fuisse constat satis ex illis Statij.

Stat lib. 6. Thebaid.

——*tunc ritè citatos,*
Explorant, acuuntq; gradus, variasq; per artes
Exstimulant, docto languentia membra tumultu.
Poplite nunc flexo sidunt, nunc lubrica forti
Pectora collidunt plausu: nunc ignea tollunt
Crura, breuemq; fugam, nec opino fine reponunt.

Itaque Apostolus negare videtur se vmbratilem illam pugnam imitari. *Habeo*, inquiebat, Interprete Chrysostomo, *quem feriam.* Inanem laborem non suspicio, addit Theodoretus, aërem feriens: sed, qui sub aspectum non cadunt, aduersarijs vulnus infero. Hoc autem posuit, metaphora sumpta à pancratiastis, seu pugilibus, ac gladiatoribus: solent enim illi dum se exercent, manus in aëre mouere.

Castigatio corporis Pauli Apost.

QVOMODO autem pugnauerit, explicat cùm subdit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Hoc modo & nobis pugnæ spiritualis exercitatio adsumenda est, si ad sanitatem adspiramus. Verùm, non omnes conueniunt in eo designando, quod in hac pugna cæstuum locum habuerit. Aliqui inediam nominant, & ieiunij austeritatem. Quo pacto D. Chrysostomus, & Theodoretus, volunt Paulum macerasse corpus, vt loquitur Origenes, & abstinentia edomasse, aque ita materiam ijs subducendo, fugisse cupiditates effrenatas. Sic autem

autem introducunt Paulum loquẽtem: *Sicut alimentum efficit robustum athletam, ita labor, studium, continentia me quidem confirmat, & fortem ac validum reddit: adversarium autem deijcit* Sic quoque existimat Hieronymus, adducens illud, quod est in secunda ad Corinthios: *In ieiunijs multis, in vigilijs, in fame & siti, in frigore, & nuditate: in laboribus & in carceribus*: eodem enim hæc spectare arbitratur. Et Ambrosius: *Castigare corpus*, inquit, *est ieiunijs illud angere, ac illa ei dare, quæ ad vitam proficiunt, non ad luxum.*

Cassian. lib. 5. instit. renuncian. cap. 17. Clarissime Cassianus, qui cæstus quoque exprimit. Postquam enim dixisset: *Vis audire verum athletam Christi legitimo agonis iure certantem? Ego igitur,* inquit, *sic curro, non quasi in incertum. Sic pugno, non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meũ, & seruituti subijcio, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Vides, vt in seipso, id est, in carne sua colluctationem summam, velut in base quadam firmissimâ statuerit, & prouentum pugnæ in sola castigatione carnis, & in subiectione sui corporis collocarit.* *Cap. 18.* Deinde, recitatis Apostoli verbis, subdit: *Quod propriè ad continentiæ labores, & corporale ieiunium, atque afflictionem carnis pertinet: per hanc se pugilem quendam strenuum suæ carnis esse describens: nec in vanum aduersus eam ictus continentiæ exercuisse designans: sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis adquisiuisse, quo verberibus continentiæ castigato, & CAESTIBVS ieiuniorum eliso victori spiritus immortalitatis coronam, & incorruptionis contulit palmam.* Paucis interiectis, subiungit: *Sic pugnat ieiunijs, scilicet, & afflictione carnali.*

Vsus flagellorum & disciplinar. ALIORVM mens est, sed recentiũ, vicem cæstuum, subiuisse flagella, quæ vulgo *Disciplinæ* vocantur: ijsque Apostolum carnem exercuisse. Et sanè, si vocabuli Græcanici vis attendatur, nihil absurdi hoc continet. *Castigo* enim est, ὑπωπιάζω, quod docti quidam non per ω, sed per ο, legunt: atque ita habent nõnulli codices Sic autem significat, *comprehendo.* Vt eodem spectet, quo illa, quę sequuntur: *Et in seruitutem redigo:* ac quasi mancipium mihi penitus subijcio. Quid autem magis proprium, quam mancipium flagris & loris bubulis in ordinem redigere? Nõ desunt qui legant, ὑποπιάζω *supprimo, elido, vexo*: & quod nonnulli dicant, obculco. Id verò pugilum artificio maximè congruit, quorum in eo summa consistit, vt antagonistam supplantent, ac deijciant. Et si ad eos, qui cæstibus pugnabant accommodes, aduersarium repetitis ictibus sternebant. Ita legisse potuit Clemens Alexandrinus, ac Nazianzenus: certè ipsorum id sententia insinuat: sicut & auctoris de singularitate clericorum, qui legit, *Affligo corpus meum.* Et hæc interpretatio cum ijs quæ sequuntur perbellè conuenit. Siquidem prostratus aduersarius, nullo propè negocio, quasi mancipium in seruitutem adducitur, & flagris pro libitu excipitur.

Castigo, ὑπωπιάζω *ὑποπιέζω.* *Cle. lib. 3. strom* *Naz. Ora. 1 in Eunomia.*

Optimè nihilominus scribi videtur, ὑπωπιάζω, quod significat, *contundo, percussionibus liuidum reddo, sugillo.* Quæ propriè conueniunt pugilibus; qui dum, siue pugnis, siue cæstibus concurrunt, liuore, aut sanguinis nota sugillare oculos præcipue consueuerunt, quos illi ὦπας appellant: ὑπώπια autem Suidæ & Hesychio sunt partes circa oculos ictibus contusæ. Quocirca legunt ex antiquis aliqui, *Liuidum facio corpus meum*, & in seruitutem redigo. Quod flagellis maximè solet contingere. Experimentum, quęso capite, neque ad liuorem tantum, sed sanguinem etiam asinum vestrum contũdite, nihil nocebit: amico credite.

ὑπωπιάζω Contundo. Liuidum reddo. Sugillo. *Paulinus apud Aug. Ep. 53. Irena lib. 4. cap. 72.*

Qui pugnent.

AT in hac pugnæ exercitatione duo certare solent, quod hic (ais) non video. Verum facilè est aduersarium designare. Homo vetus, seu animalis, contundendus est, aut subigēdus: homo nouus, seu spiritualis, coronandus. Inter hos certamen instituitur; & hic illum liuidū reddit. Quamuis B. Basilius & Cassianus in hoc certamine aëreas putent esse potestates. *Non directè dixit,* inquit Basilius, *castigo vitia carnis, sed indirectè, & ita Dæmonē confœderatum cū sensu nostro, qui in ludo carnis delitescit, & tentare solet, peto, & illi plagas infero.* Cassia. verò sic: *Non quasi aërem verberans,* ait Paulus, *in vanū ictus continentiæ porrigens: per quos non aërem vacuum, sed illos spiritus, qui in eo versantur, castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit:* non quasi aërem verberans, *ostendit, se, tametsi non aërem vacuum, seu inanem; aliquos tamen in aëre verberare.*

Basil. lib. de virg.

Cass. l. 5. instit. c. 18.

Exercitatio Lucta.

TANDEM vltima ad sanitatem exercitatio est *Lucta*, quam Apostolus, vt peritus *Medicus*, præscribit cum omnibus ijs conditionibus, quibus pugiles, & athletæ olim luctabantur. Audite, quam ad sensum, ac persuasionem accommodatè: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Quasi dicat: ad sanitatem, salutemque consequendam luctandum est: sed non proderit, nisi luctatorum, & athletarum leges accuratè seruaueritis. Illarum prima est, vt rerum omnium continentiam sectentur. Quod exponens Ioannes Cassianus sic scribit. *Qui in agone visibili student legitimè decertare: vtendi omnibus escis, quas desiderij libido suggesserit non habent facultatem: sed illis tantum, quas eorundem certaminum statuit disciplina. Et non solum interdictis escis, ac ebrietate, omniq; crapula eos necesse est abstinere: verum etiam cuncta inertia, ocio, atque desidia, vt quotidianis exercitijs, iugiq; meditatione virtus eorum possit accrescere. Et ita omni solicitudine, atque tristitia, negocijsq; secularibus, affectu etiam & opere coniugali efficiuntur alieni: vt præter exercitium disciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur. Ab eo tantùm qui certamini præsidet sperantes quotidiani victus substantiam, & coronæ gloriam, condignaq; præmia victoriæ laude conquirere. Atque in tantum se mundos ab omni coitus pollutione custodiunt, vt cum se præparant ad agonum certamina, ne qua forsitan per somnum nocturna delusi fallacia vires imminuant, multò tempore conquisitas, laminis plumbeis, renum contegant locos: quo scilicet metalli rigore genitalibus membris applicito obscænos humores valeant inhibere: scientes se procul dubio esse vincendos, nec iam posse propositum certamen adeptis viribus adimplere, si prouisam pudicitiæ soliditatem fallax noxiæ cupiditatis imago corruperit.*

Lib. 6. de Institu. con. c. 7.

PLVRA de admiranda abstinentia profani: ex quibus illud etiam habetur, non in quantitate solùm cibi, potusque, sed qualitate etiam certas athletis fuisse leges sancitas, quas seuerissimè obseruabant. Itaque scribit Pausanias, Dromeum omnium primum athletas carnibus saginasse, cum antea recenti caseo vescerentur. Quod Laertius Pythagoræ tribuit: additq; solitos fuisse athletas ad caseum caricas & nuces adiungere. Plinius autem illius mutationis fuisse existimat Pythagoram pædotribam, non philosophum. Galenus verò in prandio ait panem illis datum, quem colyphium dicebant: in cæna carnes appositas. Denique, vt Theodoretus obseruat, illo tātum cibo vescebantur, quem exercitationis præses probabat. Eadem abstinentia, tum in esculentis, tum poculentis, tum in Venereis, & quibuscumque cupiditatis prauæ irritamentis, si ad sanitatem vsi fueritis, simulq; regulas alias ã

Pausa. li. 2. Aelia.

Pl. lib. 23. cap. 78.

Aphor. 18.

as à nobis poſitas ſeruaueritis, conſtantiſſimam animæ incolumitatem ſpondeo. Sed noſtra ad id opus eſt cautela & diligentia: vobis collaborandum eſt ſedulò.

NAM, vt initio præfabar, etiamſi Eccleſiaſtes tanquam ſpiritualis *Medicus* frequenter ægrum ſuum morbis, ac vulneribus peccatorum multiplicibus malè adfectum inuiſat: venarum motus, id eſt, cupiditatum & paſſionum ſolerter exploret: inualetudinis cauſſas ſagaciter inueſtiget: pro ſingulis morborum generibus peritè ſua media præſcribat: conſeruatiuæ Medicinæ partes omnes percurrat: de optimis cibis, ac medicamentis prouideat: euacuantia exponat: extrinſecus accidentia ad ſanitatem accommodet: agenda omnia ſecundum numerum, ac menſuram determinet: tamen niſi decumbentis interueniat cooperatio, & non deſit induſtria: ac niſi *Medicus cæleſtis* efficacis gratiæ dexteram admoueat, a qua omnis expectanda ſalus, nunquam reſurget æger. Id circo imploraro, per ſupplices preces ſ[illegible] Donatoris auxilio, [illegible] ſunt, quæ tam ſolicitè [illegible] radicandæ vitiorum fibræ: [illegible] peccatorum maculæ: ornan[illegible] bus anima. Quod vos non [illegible] cturos, me iuuat credere. [illegible] Deum ritè veneratus a benedi[illegible] mo tam boni parentis adfectu flag[illegible]. Pacem interim vobis, Dilecti, charitatemque vna cum fide, à DEO Patre, & Domino Ieſu Chriſto etiam, atque etiam precor. Gratia ſit cum omnibus, qui diligunt IESVM CHRISTVM, vt ſanitatem ſalutemque nunquam intermorituram aliquando conſequantur. Amen. Valete.

HACTENVS *in hoc loco Eccleſiaſten egi. vtinam ſi non ſemper, ſaltem aliquando in quibuſdam ſim conſecutus, id quod ſolummodò propoſitum habui, Dei gloriam, vtilitatem veſtram, obedientiæ meritum. Nullius applauſum, gratiam, fauorem, vel ſpectaui vnquam, vel ſpecto, quod eſt ambitioſi: vel ſpontè oblatum recipio, quod eſt ſibi nimium blandientis: vel concupiſco, quod eſt hominis vani, Dei gloria, & teſtimonio conſcientiæ contentus. Patris æterni donis gratuitò communicatis vtor, & hoc tandem edico: Miſerabiliorem fore omnibus hominibus Euangelij præconem, ſi tot laborum, moleſtiarum, faſtidiorum, aliud, quam Deum, præmium poſtulet, aut ſibi proponat.*

NOTÆ.

NOTAE.

De *sanitate tuenda extat* Schola Salernitana, *liber minimè contemnendus, qui multa continet ad vsum vulgarem accommodata. Scripsit etiam* Hygiasticon *Leonardus Lessius, ad cuius regulas vtinam se omnes accomodarent maximè qui literis operam dant, & Religiosi. Lege etiam Mercurialem. lib.* 1. *de Arte gymnastica, & Marsilium Cagnatum Medicum Romanum. Sinenses de sanitate tuenda multos conscriptos habent libros, & plurimi opibus, ac dignitate fulgentes artem hanc edocent. Calidam semper potant, & fructus rarò degustant. Hinc sana illorum corpora, & morbis immunia.* Petrus Iarricus, *tom.* 2. *Thesauri rerum Indicarum cap.* 18.

§. PVGNA.] *Quæ de Gymnastica vetere scribuntur ab eruditis, facilè ad spiritualia transferri possunt. Pugnam cæstuum eleganter depingit Virgilius Lib.* v. *Aeneidos agens de Entello.*

——— Sic deinde loquutus,
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit. ———
Obstupuêre animi tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.

Post nonnulla. sic pugnam describit:

Ostendit dextram insurgens Entellus. & altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celerique elapsus corpore cessit
Entellus vires in ventum effudit,

Iam læsum in certamine intuêre:

Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Iactantemque vtroque caput, crassumque cruorem
Ore reiectantem, mistosque in sanguine dentes
Ducunt ad naues ---- ----

Quanta autem vi ictus infligeret, collige ex eo, quod victor Entellus suo castu taurum victoriæ præmium interfecerit.

Dixit, & aduersi contra stetit ora iuuenci,
Qui donum adstabat pugnæ, durosque reducta
Librauit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro.
Sternitur, exanimisq; premens procumbit humi bos.

Lege Seruium, Pontanum, Lud. de la Cerda.

§ AEREM verberare.] *Prouerbij rationẽ habet. Significat frustra, ac inaniter laborare. Latini, vmbras ferire, pugnare cum laruis. Adrian. Iunius Cent.* VI *pro* 81.

§. CASTIGO *corpus.*] *De hoc post interpretes Iustinianum, Cornelium, alios, copiosè Iacobus Gretzerus lib. de Disciplinis, & in Prædicante vapulante.*

§. ATHLETAE.] *De horum abstinentia* Tertull. *lib. ad Marty. Cap.* III. *Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, & à potu iucundiore coguntur, cruciantur, fatigantur: quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.*

Clem. Alex. *lib.* III. *stromat. Aiunt athletas non paucos abstinere à Venere propter exercitationem corporis continentes: quemadmodum Crotoniadem Ascylum, & Chrisonem Imæreum de quibus nominatim Plato in Protagora.* S Basilius homil. II. de Ieiun. *Exercitationum magistri, & pædotribæ certatores ad certamina in stadijs producentes multa super eo, quod strenuè pro coronis laborare oportet, adhortantes proferũt: vt iam multi persuasi sint corpora sua contemnere ob victoriæ consequendæ studium, ac contentionem.*

OBSER-

OBSERVATIVNCVLA.

Studioso Sacræ Therapeuticæ.

AD praxin Medici spectat, facere, ac præscribere ex arte compositionem Medicamenti, siue præseruatiui, siue curatiui, pro cuiuslibet morbi qualitate. Cuius ne desit in THEOLOGIA MEDICA *idoneum paradigma, subiungo duplex. Vnum peculiare ad certi morbi curationem: alterum vniuersale morbis æquè omnibus accommodatum. Ad horum imitationem cetera istiusmodi si conficiantur, nunquam ab Artis certissimæ regulâ aberrabis. Quod Theologiæ Medicæ Doctoribus, & studiosis omnibus commendo, ac precor.*

MEDICAMENTVM peculiare, præſentaneum, facillimum ad curandum Curioſitatis vitium.

Auerte oculos tuos ne videant vanitatem. Pſalm. CXVIII. 37.

Recipe
- *Ficulnei perizomatis Euæ folium vnum.*
- *Statuæ ſalis vxoris Loth grana 5.*
- *Plantaginis à Dinâ Sichimis collecta manipulos duos.*
- *Nocturnarum lachrymarum Dauidis, vncias duas.*

Contunde in marmoreo mortaliolo cordis, piſtillo Crucis Chriſti. Atque inter tundendum influant lacrymæ tuæ, vt melior ſit compoſitio. Fiat faſciola ex linteo, quo Iudæi Chriſti oculos velarunt, fiatque paſta ex ſupradictis confecta densè ſatis. Denique eo collyrio oculos obline, ſimulque cum ſanctiſſimo viro Iobo, percute fœdus cum oculis tuis, ne vnquam cogites ne quidem de Virgine.

REMEDIA Febri libidinis curandæ efficaciſsima.

Primum. Diæta, ſeu abſtinentia, à carne & vino.

Secundum. Miſſio ſanguinis per venarum ſectionem, vel vſtulationem partis noxiæ. Nimirum, per flagella, cilicia, humicubationem, & reliquum auſterioris vitæ genus.

Tertium. Exercitatio, & inambulatio. Nam ocio morbi ingraueſcunt. Itaque iuuerit, iam animo ſubire hortum Getzemani, iam atrium Annæ, iam Caiphæ aulam, iam curiam Pilati, aut Herodis, reliquamq; viam Chriſti patientis, vſque ad Caluariæ iugum emetiri. Nunc ad mortuorum ſepulchra inferre ſeſe; nunc denique viuentem deſcendere ad inferos, vt ex his mentis itionibus, ſeu meditationibus calentis febris iſtius fœdi ardores reſtinguantur.

MEDICAMENTVM
Præseruatiuum, Curatiuum, Conseruatiuum,

Recipe

I.	*Radicum*	*1. Fidei candidissimæ*	
		2. Spei firmissimæ	
		3. Caritatis feruentissimæ	
II.	*Foliorum*	*1. Boraginis*	*Meditationis* *1. Gloriæ.*
		2. Vrticæ.	*2. Mortis.*
		3. Capparum	*3. Iudicij.*
		4 Rutæ	*4. Inferni.*
III.	*Florum*	*1. Liliorum*	*1. Castitatis.*
		2. Croci	*2. Ieiuniorum.*
		3. Mali Persici	*3. Eleemosynarum.*
		4. Narcisci	*4. Orationis.*
		5. Violarum	*5. Cognitionis sui.*
		6. Nardi	*6. Humilitatis.*
IV.	*Fructuum*	*1. Absynthij*	*1. Contritionis.*
		2. Aloes	*2. Confessionis.*
		3. Agarici	*3. Satisfactionis.*
		4. Myrrhæ	*4 Mortificationis.*
		5. Thuris	*5. Contemptus mundi.*
V.	*Specierum Trocismorum*	*Di- Apostolorum.*	
		Dia Martyrum.	
		Dia Sanctorum omnium,	

Ana. Libras innumerabiles

Misceantur hæc omnia in mortario conscientiæ. Atterantur pistillo doloris, & baculo iustitiæ. Cribrentur memoriâ Passionis Domini N. IESV Christi. Et cum saccaro Diuini amoris, dissoluto in aquâ lacrymarum ad ignem tribulationis, amaritudinis, & patientiæ, fiat confectio cordialis, in morsellis, pura & sincera mente, circa auroram, masticandis, gustandis, diglutiendis.

IESVS MARIA

S.

D. I.

H. E. G:

INDEX
RERVM ET VERBORVM

Primus numerus est libri: secundus, pagina.

A.

Academici tituli doctos non faciunt. lib.1.pag.53
Academicorum graduum finis. Ij prostituuntur aliquando 1.245
Accipiter & Aquila symbola tyranni 2.316
Acedia 2.200
Acedia est paralysis, curanda verbo Dei 1.24
Acediæ frigus multorum malorum causa 1.205
Acedia lethargicos facit 3.19. quomodo curentur ibid.
Acesias Medicus 1.256
Acidulæ Carolinæ, Pyrerinæ, Spadanæ, Sualbacenses, Kissingenses 3.104
Adamus Passione Christi saluatus. 1.183. 184
Adam gratiam sanctificantem habuit, 2.30
Adam ægrotantis in lecto species, 2.39. morbi 2.39
Adfectus passiones animi 2.122
Adfectus sunt quasi morbi, 2.122
Adfectus moderati 2.124
Adfectus minimi, 2.124
Adfectus contrarij in natalitijs, 2.84
Adiutrix, pars Medicæ disciplinæ, 1.43
Adolescentes vani & vagi, 3.6
Adolescens vani, 2.8
Adolescens improbus, 2.116
Adolescens damnatus, quia non audiuit vocantem Deum, ad statum religiosum, 2.355
Aeger animo verè æger, 2.5
Aeger morbum detegit, 2.75
Aeger peccator non lugendus, 2.245
Aeger peccator, cur non sanetur, 1.68
Aeger vomitum curat, 2.177
Aeger vouet facilè, 2.232
Aegri si conualescant mutant propositum facilè, 2.232
Aegrotus spiritualis, 2.13
Aegrotantis voces querulæ, 2.39
Aegrotans mox sanari cupit, 2.174
Aegrotantium morositas, 1.120
Aegroti refractarij, contumaces, 1.125. irritabiles, ibid.
Aegrotant multi post Pascha, quia indignè communicant, 2.199
Aegroti quinam, & quinam infirmi, 2.89
Aegyptiorum medendi modus, 1.233
Aesculapius barbatus: Apollo imberbis, 1.53
Aesculapius occidere solitus, 1.68. occisus ex inuidia, 1.160. Templum eius, cur extra vrbem, 2.73. An is Medicinæ repertor, 1.89. 1.230
Aestus in pecore quomodo curādus, 1.209
Aestus libidinis, ibid.
Aetas vino minuitur, 2.222
Aer pestilens vitandus, 3.303
Agnus Dei cereris medicina, 2.25
Albugine, quisnam vitiatus sit, 3.237
Aleæ lusus improbatus, 2.333
Alexiacus, 2.217
Alexiacus sit quilibet superior, 1.95
Alui languore Rex perit, 2.192
Alphonsus Aragonum R. Curtium Soterem agnoscit, 1.200
Alumni Ecclesiastici Episcopi Herbipolensis, 1.50
Alumni benè educentur. Ad illos cohortatio, Ignarorum reprehensio, 1.54.55
B. Alyosij Gonzagæ affectus erga V.S. 3.130
S. Ambrosius Medicus Imperatoris, 1.97
Amethystus, 3.230
Amethystus sobrietatis, & castitatis, 1.68
Amico & hoste opus habemus, 1.80
Amuleta, 3.39
Amurca pœnitentiæ, 1.210
Anatome Spiritualis animæ, 2.106. practica, &

ca,& ſpeculatiua, ibid.
Ad Anatomiam locus,& apparatus, 2.107
Anatome duplex medico neceſſaria,1.105.
Theotica & practica, ibid.
Anatomicam exercuerunt Reges Aegyptij 1.85
Anglorum error 2.152
Anglorum Reges morbum tactu ſanant, 1.235
Anima ſanatur vnico actu,2.174. prius curanda quam corpus, 2.195
Animalia ſana naſcuntur, 2.60
Anima peccatoris cruciatur, 3.157
Animi morbis grauiſſimis ægrotamus,2.55
Animæ plagæ,id eſt,debitum mortis æternæ,3.136. exterminatio virium, ibid. Tremor perpetuus, 3.137
An idem ſit infirmus & ægrotus, 2.48
Antidota Medici & confeſſarij, 1.62
Antiochus Soter, 1.194.201
Antipathia cum venenatis 1.236
Antiphon Medicus indolentiæ 1.12.1.109
Aoraſia Sodomitarum, 2.286
Apathia duplex, 2.126
Apicius, 3.65
Aphoriſmus quid ſit,3.278.quibus familiaris,ibid. Aphoriſmi vſus in ſacris,
Apologus de vulpe & porco, 2.225
Apologus Menenij Agrippæ, 3.91
Apologus Sinenſis, 1.30
Apollo an Medicinæ inuentor, 1.89
in Appetitu concupiſcibili vulnus, 2.118
in Appetitu iraſcibili infirmitas, ibid.
Apoſtatæ ex Religioſis, 2.149
Apoſtatæ Hæreſiarchæ diuinitus puniti, 2.177
Apoſtoli columnæ 3.264
Apoſtoli ſunt montes, ibid.
Apoſtoli calorem amoris excitant, 3.271. exſiccant humida corda, ibid.
Apoſtolorum error, 3.297
Apoſtolis vt Soli calor in ſummo, 3.268
Apoſtolorum autoritas, 3.197
Apoſtolorum nullus ægrotus, 2.19
Apoſtoli Medici,1.104.1.231. in ijs qualis vis medendi, 232. An ſcientia Medica præditi, 1.233
Aqua Spiritus ſancti,3.300. qui hanc bibit ſemel,non ſitit amplius, ibid.
Aqua vita, 3.96
Aquæ medicatæ, 1.145
Aquæ medicatæ Eccleſiæ, 3.102
Aquæ medicatæ Eccleſiæ dant vitam,3.102
Aqua productrix viuentium, 3.105
Aquæ mortiferæ, 3.106
Aquæ variæ virtutes, ibid.
Aquæ ſacræ ornant,3.109. interius & exterius iuuant, ibid. Anhelat ad eas Dauid Rex,3.110. lauant,inundant,3.111. dealbant, 3.112. Super niuem,ibid. ſanant à lepra, 3.121
Aquarum medicatarum vſus 3.114 quantitas,ibid. Tempus ijs vtendi,3.117. perſonæ quibus vtilis aqua medicata,3.118. earum qualitas, 3.119.
Aquæ potus, 3.299
Aquarum vtilitas,3.103 diuerſitas, ibid. in ijs prouidentia Dei enitet, 104. varia virtus, 3.106
Aqua tepida vomitum ciet, 3.203
Aqua maris,quare ſalſa, 3.255
Aromata tria Medici Spiritualis, 1.99
Ars S. Anſelmi, 1.236
Ars perſpectiua fallit viſum, 2.311
Ars gubernandi à Deo, 1.89
Ars medica prouidentiam ſtabilit
Artes fucatæ, 1.30
Artes valetudini ſeruientes, ibid.
Artifices veri & falſi, 1.245
Ariſtoteles qualem Medicum voluerit, 1.124. Eius circa prouidentiam opinatio, 1.138
Aſinus Marti ſacer, 1.252
Aſſyrij repudiabant Medicos, 1.49
Aſtræa 3.90
Atheorum error circa Prouidentiam, 1.134
Athletæ 3.312
Auaritia 2.200
Auaritia bulimus 3.25. Remedium, ibid.
Auaritia eſt hydrops. Auarus hydropicus. Eius cura 1.23
Auaritia pſeudomedicorum, 1.257
Auceps Diaboli Confeſſarius nimis mollis,1.71. impatiens, 1.65
Auditores impatientes 3.5

Auditus quomodo lædatur, 2.340
Aue non dicendum hæreticis, 1.250
Aues remedijs medicinalibus vtẽtes, 1.142
S.Augustini admiranda modestia recusantis officium Concionatoris, 1.39
Auidentia, 2.286
Auditus commoda, 2.376
Aures conferunt ad societatem humanam 2.370. Ad artes adducendas, 372. Ad affectus permouendos, ibid. locutioni seruiunt, 375
Auditus doctori conuenit, ibid.
Aures audiendi, 2.325
Auribus qui destituti, 2.325
Auris quibus solummodo vna, 327
Aures bilances, 2.379
Aures viales, 327. Maleuolorum, nefastæ, lasciuorum, 327 Fumosorum, 328
Audita magis delectant, 2.373
Aurium abusus, 2.371
Aures quiescendi, 2.328. longissimæ, ib. Petrosæ, 329. incircumcisæ, 329. Perforatæ seruorum, 330. Perfectæ, Oculatæ, ibid. Auersæ, contortæ, 332. spinosæ, Mobiles, 333. Prurientes, 334. Pilosæ, 335. Stultorum, 336
Auribus pluribus præditi, 336
Auris tauri, ceruæ, leporis, talpæ, capræ ad audiendum acutæ, 2.337
ex Auribus quid conijciant Oneirocritici, 2.337
Auri vis maxima, 3.248. ad sanitatem conducit, ibid.
Aurum Chymicum, ibid.
Auri eleemosynarij vis præstantissima, ib.

B.

Bachanalia 1.178. In Bacchanalibus medicina Mundi, ibid.
Bacchantium insania, 2.332
Baptismus, Phison, 3.104. Est aqua medicata: aqua vitæ: aqua orientalis, 105. Viuificat, ibid sanat, 3.106. 3.108. etiam in voto, ibid. oculos curat, ibid. illuminat, 109. Est Sacramentum fidei, ibid. Delet, non radit. 111. Super niuem dealbat, 113.
Baptismus non repetitur, 3.116. Ad eum præparatio, ibid. sanis & ægris vtilis, 3 118
Baptismus comparatur quatuor fluminibus paradisi, 3. 22
Batauia Hollandia, 2.86
Bene facere quidam non possunt, 2. 11
Beruar. 3.96
Blasphemia in Spiritum sanctum, 2 151. quomodo irremissibilis, ibid.
Blaphemi delirant, 3.15 Diuinitus puniuntur, 2.196
Bona corporis, 2.16
Bouina fames, 2.101.103
Bulimia, 2.102. Bulimus, 100. Sanandi ratio, 2.98
Butyrum sanitati conducit, 3.38

C.

Cachexia laborans,
Callionymus piscis Tobiæ, 3.243. qualis piscis, ibid.
Callionymo significatur Christus, ibidem. eius intestina applicantur passo, 3.245
Calor ad medendum necessarius, 1.112
Caluinus ex viuo mortuum facit, 1.252
Caluinistæ similes Pharisæis, 1.175
Caluinistæ phanatici & imaginosi. 1.209
Camisia inferni, 3.25
Cancer, cancrena quid, morbus, 2.209
Cancer serpens, 1.249.256
Cancer animal, 2.208
Canis Marti sacer, 1.252
Capitis morbi periculosissimi, 1 107
Capitis vertigo, 2.215
Caritas, 2.312 1.29
Caritas lux, 3.15
Caritas medicamentum commune, virtutem omnium aliorum continens, 3.16.17
Caritas medicina suauis, 3.23
Caritas perfecta sanitas animi, ibid.
Caritas curat opthalmiam inscitiæ, infidelitatis, 3.17
Charitas reddit inuulnerabilem, 3.24 appetitum alienorum tollit, 3.26. est instar emplastri, 3.27. est oleum, Adeps, medulla, 3.28. est vniuersitatis medicamentum, 3.29. vinculum perfectionis medicinale, 3.29.30. Gluten, 3.30. vitam restituit, 3.32. omnibus morbis medetur, 3.32. cur vocetur mandatum Christi, 3. 31

Cari-

Caritate remittuntur peccata, 3.29
Caritatis collyrium, 3.18
Caritatis vis chyrurgica, 3.27
Caro Christi, vt cerui à febribus præseruat, 3.148
Carnificum tormenta, 2.145
Cassius Episcopus rubicundus vultu ex conspersione, 2.260
castigatio corporis Pauli Apostoli, 3.308
castorum pugna, 3.307
cataplasma, 3.85 1.33
cataplasma ex ficubus, 3.81
cathedra pestilentiæ, 2.89.& 2.90
catholicum dogma, 2.63
cerua sapientis symbolum rorem mane, 3.39
causæ morbi concupiscentiæ, 2.102
cauteria afflictiones, 1.142
carnifex cur dictus Medicus, 1.73
causæ morborum inuestigandæ, 1.34
Chiun quare punitus, 2.272
chamæleon, 1.141
chelidonia, ibid.
chimæra, 2.205. Hippocentaurus ibid.
chiragra 3.11
chirurgus 1.101
chirurgica, 1.43. chirurgiæ peritus Princeps, 1.101
Christus Medicus, 1.103.104.1.160. Protomedicus, 3.101.1.172.174.175. Alexiacus, Auerruncus, Accesius, Salutifer, Sospitator, Soter, 1.104. in Incarnatione Medicus, 1.11. contrarijs vtens, ibid
Christi Pentagrammon 1.111. Archiatrus 1.7
Christus cur regnaturus in domo Iacob, 2.377
Christus caput nostrum 2.184
in Christum, qua Medicum, odium 1.114. Eius caro medicinalis 1.162
Christus Medicus corporis & animæ 1.151. Vniuersi Medicus 1.218
Christi nomen Medicum significat 1.164
Christus vnctus ad medicinam 1.155. Est Medicus exemplo. 1.158. Vita, & operatione, ibid. toto vitæ tempore 173. in passione maximè 1.178. & seq. Lauans pedes Medicus 1.192. in prædictione lapsus Petri Medicus 192
Christus in cruce Pentagonum 1.195. Vulneratus sanitatis imago ibid.
Christus baiulus peccatorum 1.198
Christi virtus sanatiua 1.229. Quomodo sanauerit omnes 1. 222. 223. An eius temperamentum miraculis aptum 1.232
Christus cur dictus brachium Domini 1.221
Christus curator vulnerum 2.
Christus impeccabilis 2.34
Christus in medio Doctorũ allegoricè 2.2
Christus crucifixus fons 3.104
Christus voto astrictus 3.269
Christi latentis inuocatio 3.124
Christus in Eucharistia medulla mellis 3.127
Christus in Emaunte 3.129
Christus vmbra 3.132
Christus quare circumcisus 3.162
Christus prius animam quam corpus sanat 2.194
Christi actus omnes ex Electione 2.80
Christus contrarijs sanat 3.280
Christiani in infimos benigni 2.162
chymia medicorum 3.209
cibus 3.202
cibi ad vitam necessitas. 3.65
cibus optimus voluntas Dei, mandata, leges, consilia
ciborum delitiæ 3.215
cibus & potus intempestiuus morborum causa 1.205
cibus medicinalis verbum Dei 1.20
cibus optimus simplex & vnicus ibi. 3.297
cibum ingestum non retinere, lethale censetur
cibis bonis vtendum 3.296
cibi facilis concoctionis 3.297
cicatrix 3.153
cicatrix peccati tollitur 3.161
Ciceronis circa prouidentiam opinatio, 1.133
Cicero Stoicos sequens 2.123
De claudicatione & claudis 2 Com.26. per totam.
claudorum frequens curatio in Euangelio 2.435

claudi

claudi vitiosi, Hæretici, Hipocritæ, Acediosi 2.441.& seq.
claui in ouibus, quomodo curentur 1.211
clinicus, chirurgus, vespillo 1.71
clerici 2.8
clinicus pestilens 1.148.256
clysterem docuit ibis 1.141
cœcitas humana 3.126
cœcitatis causæ variæ 2.257. Finis sextuplex ibid.
cœcus à Sacerdotio reiectus 1.55
cœcorum illuminatio finis Incarnationis 2 282
cœcorum genus multiplex ibid.
cœci Adam & Eua 2.283
cœcus à natiuitate quilibet homo 2.284
cœcitas secundaria 2.285
cœcitatem inducunt vitia 2.285. splendor nimius 288.297
cœcum & Non-videns distincta 2.286
cœcitas Sodomitica ibid. Sauli 287. Tobiæ 291
cœci auro iudices 2.289
cœci Iaponici 2.289 Sampson 29; 296. Elymas 298
cœci ingeniosi 297
cœci ab hostibus facti 292. cœci abortiui 292
cœci climatis vitio 291
cœcorum genus duplex 293
cœcus Euangelicus 2.261
cœcitas an à parentibus trahatur 3.262
cœcitas duplex 2.146
cœlum empyreum 2.33
cœna Chalcidensis hospitis 1.27
cogitationes decumbentis 2.232
collegia sunt corpora 3.89
collyrium 2 312.3 236. eius effectus 3.237
collyrium pœnitentiæ amaritudo ibid.
collyrium despectus munerum 3.239
collyrium Verbum Incarnatum ibid. munditia cordis ibid. imitatio Christi ibid. meditatio Christi ibid. captiuatio intellectus ibid. Verbum Dei ibid. præcepta ibid. Tribulatio ibid. Spiritus S. dona ibid. Memoria Passionis ibid.
collyria diuersi generis 3.242
collyrium passionis, quomodo adhibendum 3.246
collyrium quomodo applicandum ibid.
columba 1.142
communia morbo & vitio 2.40
communicare indignè, quantum sit peccatum 1.15.16
communio Monachorum veterum 3.152
communicantes indigne morbis olim correpti 2.49. imò & mortui ibid.
compunctio sanitas animi 3.157
comminatio morborum 2.190
commoda cœnæ moderatæ 2 217
concionator Medicus 1. Com. 4. per totam. patiens, vt Medicus 1.33. omnibus omnia fiat ibid Semper veritatem dicat 34. coralio comparatur 39
concionatoris tolutiloquentia sufflāmanda 1.35
concionem indignè audire quantum sit peccatum 1.17.18. eam audire coguntur Romæ Iudæi 1.14. Melius est eam non audire, quam audire indigne 1 16
concioni an præferenda auditio Missæ 1.18
concionatoris symbola. Protheus, Messor, Artifex, Piscator Margaritarum, Agricola, Pictor, Conuiuator, Piscator, Carpentarius, Equus, Pater familias, Lapicida, Aedificator, Architectus, Gallina glociens, Nauclerus, Procurator annonæ, Scriptor, Pædotriba, Radius Solaris, Dentes cibum comminuentes, Grex detonsus, Pastor, Caput, Dux exercitus, Phalanx militaris, Manus velociter scribens, Pariens, Hostia sine macula, Oculus rectum iter demonstrans, Nutrix, Sal, Lucerna, Fistula aquæ viuę, Gallus habens intelligentiam, Citharædus, Cos ferrum acuens 1 26
concionatoris finis, sanitas animæ 1.28
concionatoris oratio, vt Medici 1.30
concionatoris eloquentia medicinalis ib.
concionatoris vita linguata 1.32. non blanditur ibid.
concionator, vt Medicus ægris se accommodat 1. 28. non est tamen acceptor personarum 1.118
concionator nouus & vanus 2.180
concionator grauis & maturus ibid.

con-

concupiscentia 2.119
concupiscentia ebriosorum 2.94
concupiscentia carnis tres classes curciantur 2.95
concupiscentiæ remedium, castigatio victus 2.98
concupiscentia morbus in anima 2.72
concupiscentia duplex 2.66
concupiscentia in renatis 2.72
concupiscentia carnis 2.86. oculorum ib. Item 2.87
concupiscentia carnis 2.92
concupiscentia fames & sitis 2.93
concupiscentia vt ignis deuorat 2.96
concupiscentia nunc est pœna 2.65. olim ante lapsum & iustitiam fuisset proprietas naturæ 2.65
concupiscentiam Deus non causat 2.54
concupiscentia in pœnam peccati
An causa concupiscentiæ pomum vetitum, an flatus serpentis 2.54
concupiscentiæ remedium 2.97
concupiscentiæ æstus 1.205
concupiscentiæ satisfaciens Salomon 2.97
cur concupiscentia morbus naturalis 2.62
concupiscentiam curat Eucharistia 3.143
concupiscere quomodo naturale homini 2.63
ex concupiscentia insania 2.119
confessio medicina 3.186
confessio medicina purgationis 3.191
confessio medicina ad modum ibid.
confessionis necessitas 3.187
confessio à mundi exordio vsurpata 3.188
Quomodo sit medicina 3.19
confessio integra 3.200
confessio fidelis ibid.
confessionis materia 3.198
confessio morborum corporalium remedium 3.192 febricitantem curat 3.194
confessionis, & vomitionis similitudo 3.196
confitens vomens 3.197
in confessione omnia integrè manifestanda 3.187
Confessarius medicus 3.186. 187. 1. Com. 4. per totam.
confessario vni confitendum 3.190
confessari multi vnius conscientiæ nocent 3.191
confessarios inter, ac concionatores dissidium 1.66
confessarij, qui Medici non sanant ob tredecim causas 1.57
confessarius non sit acceptor personarum 1.119
confessarij morosi, peccatores repellentes 1.67
confessarius magnatum qualis esse debeat 1.125
confessarius peritus eligendus 1.68
confessarij periti erratum non obest pœnitenti 1.71
confessarius mollis anceps diaboli ibid. impatiens, vt auceps imperitus 1.55
confessariorum prophylactica 1.68
confessarij scientia 1. 43. Varijs vtitur medicinis 44. iniungere debet satisfactionem proportionatam peccatis 45. occasiones peccandi amouere 46. eius prudentia ibid. Similis animalibus Ezechielis 47. Imperitus instar institoris vestiarij: peritus instar Sartoris 1.56
confessarius imberbis quis? 1.57
confessarij negligentes 1.63 præsumptuosi ibid. Extemporanei, Ridiculi, Amantes fauoris humani, Perplexi, Diuitum, ac nobilium prensatores ibid.
confitendum singulis septimanis 3.307
confessionis secretum 2.176
confessarius accuratus 2.181
confessarij boni officium ibid.
confessarij mores malæ notæ 2.190
conflictus cupiditatum 2.61
conscientia. eius voces 2.349.350
consensus sapientium 2.40
consociatio Partium, ac potentiarum 2.29
constitutio sana simpliciter 2.9
constitutio neutra 2.10
constitutio pro Medicis 2.195
contemptores mundi diuinitus puniuntur 2.196
contractum Christus iniuit sanandi omnes 2.56
contraria contrarijs curantur 3.279
contritio 3.156

conualescentium ex morbo languores 2.55
conuersorum defectus 2.55
coquus & Medicus quomodo differãt 1.30
coquinaria ibid.
corax: 1.141
cordis maculâ 3.132
corollaria ex peccati cum morbo conuenientia 2.49
corpus 2.32
corpus humanum salsugine conseruatur 3.266
corporis, ac animæ copulatio 2.19
corpus sanctificat eucharistia. 3.143
cor peccatoris cloaca. 3.202
correctio fraterna 1.72
correctio medicina, correctio Medicus. 1.73
correctoris boni officium ibid.
correctio à quibus facienda 1.74.75. quando non sit obligatio faciendi 76.83
corrigere an possit flagitiosus 1.77
correctionis modus quis? ibid.
corrector, vt Medicus adhibet vinum & oleum 1.78. Non irascatur. 80
correctio est antidotum. ibid.
correctoris tanquã Medici qualitates 1.81
correptionis symbola, Mel Himetti. Venæ incisio. Virga & Manna: Arundo & Baculus Prophetæ. ignis & grando. oleum & vinum 1.82. emplastrum 83. ventus. Elleborum. Rubus Mosaicus. ibid.
Crux medicina. 1.188.193
culpa 2.40
cupiditas non satiatur in vlla mensa 2.97
curatio 2.105
cura magna in corporis morbis 2.13
curator animarum Medicus 1.108
cura corporis habetur prius, quam animæ 2.196
cura nostri in salute procuranda filiis morborum 2.248
curiosi in aspiciendis sacris puniuntur diuinitus 2.199
curiositatis pruritus 2.110
cursus spiritualis 3.307 quanta contentione currendum ibid.
cylindrus genus emplastri 3.162

Damna ex peccato 2.44
Damnatorum status 2.155
Damnatorum voces & lamenta ibid.
Damna cœnæ copiosioris 2.227
Dauid sanatur verbo. eius vulnera lethalia 1.10
Dauid Medicum agit in psalmo primo 1.46
Dauidis vlcus ob peccatum 2.192
Dauidis à Deo postulatio ob peccatum 2.193.
Dæmon sanari potest 2.148.
Dæmonis & satellitum eius impetus 2.108
Debitum mortis æternæ 3.36. tollitur per Eucharistiam ibid.
Decalogi præcepta medicinæ. 3.15.
Defectus conuersorum. 2.55
Delirium 2.88.
Delitiæ gulosorum & ebriosorum 2.97
Dentes significant religiosos 3.8. & vniuersè iustos. 9.
Desperatis an medicina adhibenda? 1.109. 112.
Detractionis peccatum graue quinam eo delinquant. 2.342
Detractor & iactator sui: 3.206
DEVS Medicus 1.136. Perfectissimus Medicus 1.139. Medicinas brutis prouidit. 141
Deus in visitatione ægrorum Medicus 1.127. & seq. omni tempore visitat ægros. 130. explorat sanitatem. 1.131
Deus pauperum maximè Medicus 1.147. in morbis pauperum indulgentissimus 1.147.
Deus qualis Medicus Caluino fictore 1.148.
Deus amandus sine modo exemplo Medici probatur 3.32.
Deus scribit amaritudines 3.111.
Deus rupes est. 3.228
Deus audit lachrymas ibid.
Deus variè subleuat infirmos. 3.259
Deus versat stratum infirmi 3.260
Deus cur videatur delectari sale 3.270
Deus non recordatur operum bonorum post peccatum 2.47
Deus quos sensim sanat 2.55
Deus medicus in sanando non fallitur ib.
Deus qua medicus non exaudit 2.46

Deus est salus & sanitas nostra 2.56
Deus sanat si cum patientia sanari volumus ibid.
Deus nequaquam mali autor Trismegisto.
Deus clemens 2.153
Deus morbos immittit ob varios fines 2.241. castigationem ib. punitionem ibid.
Deum iudicem appellantes 3.111
Dijs gentium certæ regiones, & officia designata 1.224
deuotio quid & eius commendatio 3.57.66. 58.59
deuotionis gustum quid excitet 60
Diagnosis 2.105
diarrhea profluuium tabes 2.192
dictamnus 1.145
diæta sanitatis mater 2.227
dietice 1.43
difficultas discendi 2.110
difficultas discendi res necessarias 2.114
difficultas in vitijs superandis 2.117
discrimen inter bonam habitudinem, & constitutionem 2.134
discrimen inter hæreticorum, & Catholicorum confessarios 2.176
discrimen inter statum puræ naturæ 2.64
distributio dialectica pro singulis generũ, & generibus singulorum 1.126
distributio simpliciter & accõmoda 1.127
diuersitas desiderantium sanitatem 2.175
diuersa diuersorum sanitas 2.11
diuisio hominis in corpus & animam 2.107
diuitibus & felicibus inuidetur 3.258
Doctores indocti an gaudeant priuilegijs 1.53. An sit valida collatio beneficij ijs facta ibid.
Dominium in animalia 2.32
Dogma Catholicum 2.63
Dogma philosophorum, & hæreticorum 2.63
Dogmatici Medici 1.48
Dolores in Bulimia. 2.96
Domus sit pura 3.303
Dormientes qui 2.49
Dracontina herba symbolum Verbi Dei 1.17
Dubitare est prudentis 1.64
Duo similiter tentati non æque consentiunt, quare? 3.37

E.

Ebrietas est Epilepsia 1.23
Ebrietas morbus est, ad sacras Virgines 2.218
ebrietas pestis ibid.
ebrietas Zenonis 2.222
ebrietatis spiritualis commoda 3.301
ebrius mysticè ibid.
ebrij spiritualiter ibid.
ebrietate mortui 2.222
ebrij frigent calore externo pressi ibid.
ebrij frigent postridie, ac tremunt ibid.
ebrietatis remedium 2.99. Vsus remedij ibid.
ebriosus verminosus 2.218
ebriorum visa & commotio 1.121
Ecclesia est hortus 3.155
ecclesia corpus 3.89
ecclesia pharmacopolium 3.96
ecclesia Galaad 3.100
ecclesia officina medica 1.16.1.105
ecclesia Paradisus 3.104
ecclesiastici officium 2.4
ecclesiastici de Sanitate encomium
Ecclesiasticus leuis, ac malæ notæ 1.208
edacissimi mortalium 2.98
effectus prædestinationis morbus 2.251
effectus primus prædestinationis vocatio 2.252
electio ad gloriam, an sit ex præuisis meritis 1.151.158
electuaria orationes iaculatoriæ 3.63
electuarium in nomine IESV 1.168
electuarium 1.168.1.179
eleemosyna medicina 3.218.3.248
eleemosyna ars quæstuosa 3.248
eleemosyna fons est senium prohibens 3.250. fons est iuuentam inducens ibid. Sanat, & alit ibid. mundat ibid. quomodo mundet ibid.251
eleemosyna delet mortalia dispositiuè 3.252
eleemosyna puteus 3.254. comparatur frumento ibid. diuersimode purgat eleemosyna ibid. hydria est 3.255. Theriaca est ibid. amuletum contra fascinum 3.256

eleemosyna emplastrum 3.259
eleemosyna baptismo comparatur 3.253
eleemosyna satis fit pro pœna 3.253
eleemosynis redimuntur peccata ibid.
eleemosynarum distributio chymica spiritualis 3.249
eleemosyna Deum medicum quodammodo conducit 3.259
eleemosyna remedium sterilitatis 3.261
elleboro quomodo vtendum 1.83
elephas verbo à furore sanatur 1.12
elephas mane aqua se lustrat 3.39
emplastrum quid? 1.17
emplastro eodem non omne vulnus coalescit 1.29
empirici 1.48. 1.256.
Epicteti sensus 2.124
episcopus Medicus 1.42.1.96.104
episcopus hospitalis 2.163
episcopi non præficiant paræcijs ignorantes Parochos. quid excusationis in contrarium habeant 1.54
episcopi sunt rei sanguinis, si delicta suorum dissimulent 1.75
episcopo à tribus hostibus cauendum 2.293
episcoporum munus concionari 1.18
epilepsia 2.69
error Anglorum 2.152
error Cassiani 2.12
error deceptio 2.116
error Nouatianorum 2.152
erroneæ philosophorum opiniones 2.116
erubescendum quando sit 2.176
Esseni, Essæi 1.172
ethnici aliqui an donati gratia sanitatum 1.239
euacuatio ad sanitatem vtilis 1.62
eucharistia cibus 3.298
eucharistia cur quibusdam insipida 3.11
eucharistiæ elogia 3.123
eucharistia medicina spiritualis 1.111. Panacea, Pancrestum ibid.
eucharistiam indigne sumere, quale, & quantum peccatum 1.15
eucharistiæ cœna cœnis omnibus maior 3.124
eucharistica cœna tota medicinalis ibid.
eucharistia collyrium est 3.126. mel est, ib. medulla mellis 3.127
eucharistia mensa solis 3.129
eucharistiæ symbolum ficus 3.30
eucharistia cur quibusdam minus dulcis ibid.p.35
eucharistiæ dulcedo valet contra tria mala, quæ sunt in mundo 3.135
eucharistia torporem tollit 3.136
eucharistiæ fructus quadruplex ibid.
eucharistia, vt Sacramentum & sacrificiū vim habet medicam 3.138
eucharistia languorem tollit ibid. fomitis & concupiscentiæ ardorem mitigat ib. 139. morbos omnes curat ibid. inappetentiam sanat ibid.
eucharistia tribus de causis necessaria 3.140
eucharistiæ medicina triplex 3.142
eucharistia illuminat ibid. concupiscentiam sanat ibid. 143. carnis stimulos comprimit ibid. corpus sanctificat ibid. corpus sanat ibid. 145
eucharistiæ suauitas 3.145
eucharistia mortem arcet 3.146. quomodo det vitam animæ ibid. Sanitatem conseruat ibid. quo fine sumenda ibid. 147. quomodo præseruet hominem ibid. præseruat, vt armatura defensiua ibid. 148. Soporem inducit ibid. 149. purgat, abluit, abstergit, ibid. Ad eam in vita, & mundicie accedendum ibid. 150
eucharistia curat venialia 3.150. Mortalia per accidens ibid. Quare multi non præseruentur ibid. eius frequentia ib. 151. Ad eandem præparatio ibid. vis medica lactis in eucharistia ibid. 152
Erichitæ hæretici 3.57
excœcati 2.151
excusatio friuola à coactione ad peccatum 2.173
exemplum 2.9
exempla venialium punita grauiter 2.137
exempla sceleratissimorum 2.153
exemplum sustinentis pœnas purgatorij die vno 2.232
exemplum causa morborum 2.246

exem-

exemplum Iobi 2.247. Dauidis ibid. Paulæ Romanæ ibid.
exercitium proborum 2.243
experientia Medico maximè necessaria 1. 58.70.& principi 1.101
exterius tantum probi 2.10
Ezechias ægrotauit ante cæsum Senacheribum 2.198
Ezechiæ infirmitas, an pœna peccati ibid.

F.

Fabula opportunè narrata à Nathan Propheta 1.85
Fabularum ad sacra applicatio quorundam putida, ac puerilis 1.160
falsi epitheton quibus conueniat 1.242
fames canina 2.92.& 2.102
fame canina laborantium triplex genus, gulosi, ebriosi, lasciui 2.93
famis caninæ fames 2.101
fames Lupina 1.103
fasciæ chirurgorum 3.30. quotuplex sit fascia 3.32. modus fasciandi 3.32
fascinatio quid, & quomodo fiat 3.255
fascinatio 1.223
fœmina confessionem excipiens apud hæreticos 1.61. 1.245
fœmina impositione manus, filiorum pædagogum prædicantem constituit 1.246
fœminæ nunc morbis obnoxiæ 2.216
febris ardens 3.132
febricitans post confessionem liberatur 3.193.
febrium genera 2.215
felicitas Adami 2.33
festuca quid? 2.299
ficus vim habet medicam 3.79. iudicij extremi symbolum ibid.
ficus tumorem discutit 80. inflammationem tollit ibid. ferociam domat 82. contra Scorpionum ictus valet 84. 86. verrucas tollit ibid. sudorem mouet 85. sitim sedat ibid.
ficus occasio belli Punici tertij 87
ficorum virtus 3.152
fico Iudas suspensus 3.84
filij hæreticorum quam pœnam sustineant 2.268
filij puniuntur ob peccata parentum 2.263
& seq. causæ 267
finem an res quælibet assequatur 1.138
finis operationum Dei gloria 1.159
finis Incarnationis, sanitas infirmorum 1.159
fides animæ est medicina 3.2. capiti medetur ibid. 3. item cerebro 4. lumen φῶς.
fides diuitibus quomodo non prosit 3.5 Aufert erubescentiam ibid. eius effectus, constantia ibid. beneuolentia, voluntatis inflammatio, contritio 6.7. exterius exulcerat, 7. auribus medetur, 8. fidei iustificantis principium, 9. remissionem peccatorum impetrat, 10. cur illam Christus ab infirmis exegerit, 10. eius vis contra venena, 11.
fides medicamentum vniuersale 3.11
fides embamma ibid.
fidei vis medica instar Sinapis, 3. per totã.
fidei medicamentum calore caritatis indiget 3.13. tanquam pilula traijcienda, non minutim masticanda 14
fides quæ dicatur sana 3.14
fides amuletum ibid.
fides an formaliter sanet ibid.
fidei Hyssopus 3.15. Resina 15. 3.163
fidem habere oportet discentem 2.331
flagellorum & disciplinarum vsus 3.309
Florentia 2.86
fomes 2.75
fomes non est morbida qualitas ibid.
fomes non est tantum substantia appetitus 2.77
fomes non est solus appetitus ibid. quid fomes in actu secundo ibid.
fomes languor naturæ ibid.
fomes est appetitus cum facultate præueniendi rationem ibid.
Quomodo fomes extinguitur 2.78. primus modus abolitione ibid. in Deipara fomes extinctus ibid. secundus constrictione ibid. tertius non mouendo ibid.
fomitem non aboleri manente appetitu ibid.
fomes quomodo ligetur ibid.
fomes effectus peccati ibid.
fomes qualis sit appetitus 2.79

fomes tollitur, aut ligatur, 2.79. in Christo non fuit fomes 2.79. nec in actu primo, ib. multo minus in actu secundo, ib.
fomes lex peccati 2.60
Deipara fomitem non habuit 2.80. in prima eius sanctificatione an ligatus tantum 2.80
fomes in B.V. sublatus 2.81. id non derogat dignitati B. Virginis.
contra morbum fomitis Remedia 2.81. cōtemplatione intentissima extingui potest 2.82
fomitis caussa nō est serpentis halitus 2.76 non est pomum manducatum ib. in anima non est similis qualitas 2.76
in formica admiranda 2.112
S. Francisci in morbo virtus 2.245
S. Francisco dulcissimum nomen Iesu 1.167
S. Franciscus Xauerius 2.246
frenum iustitia originalis 2.63
Frigiditas immodica 3.134. curatur calore Eucharistiæ 3.134
furor 2.89.

G.

Galeni valetudo 2.229
Galliæ Reges tactu strumas sanant, qui? quomodo? 1.17. 2.241
in Gallia Sacerdotes plurimi ab hæreticis trucidati 1.252
Gangrena cancer 1.250
Gentilium de ablutione corporea persuasio 3.114
Gentiles naturaliter legem seruant 2.43. confessionis vmbram habuerunt 3.189
Genu flexionem orans vsurpat 3.56
Gerontocomium 2.158
Gerusia ibid.
Giluus color 2.306
Gladius Goliath 3.67
Gloriæ inchoatæ 2,27 consummatæ ibid.
Grammatici veri & falsi 1.250
Gratiæ effectus 2.12. sine gratia quilibet est infirmus
Gratia medicamentum 2.13
Gratiæ recuperatæ 2.27
Gratiæ sanctificantis tres effectus 2.31
Gratia, conditio meriti vitæ 2.45
Gratiæ partitio 1.234
Gratiæ gratis datæ 234
Gratia sanitatis an in improbis aliquando 1.238
Gratia S. Pauli 1.240
Gratiæ quantitas 3.115
Gratia sanctificans 3.305
Gratia Euphrates 3.104
Grauedo capitis 2.115
Græci Medici Romanorum interemptores 1.68. 1.256.
Gula 2.200
Gula est Epilepsia. Eius cura 1.23
Gula Asinij 2.93
Gula Clodij, Aesopi histrionis 2.94
Gulæ effectus 2.94
Gulosorū insatiabilis concupiscentia 2.93
Gulæ curandæ remedia 2.98
Gula cōcupiscentiæ quomodo sanetur b.
Guilielmus Scotiæ Rex tactu morbidum sanauit 1.238
Gustus spiritualis 3.60
Gyarus 2.86
Gymnastica 1.30

H.

Habitus 2.3 habitus animi 2.3.
Habitudo bona 2.154
Hæmorrhoissa 3.4
hæresis 2.149. pestis instar serpit ibid.
hæresis monstrum 2.205
hæresis pestis 2.206
hæresis, vt pestis grassatur ibid.
hæresis bestijs comparatur ibid.
hæresis viperis comparatur ibid.
hæresis morbus incurabilis ibid.
hæresis mania 2.208
hæresis cœcitas 2.209
hæresis lepra ibid.
hæresis lepra in capite 2.210
hæresis Zvvingliana p[illegible]ta 2.70
hæreticus 2.50. hæreticus lupus 2.208
hæreticorum libri veneno pleni 2.207
hæreticus subuersus prorsus perditus 2.208
hæreticus vt ouis morbida separandus ib.
hæretici insensati, deliri, furibundi ibid.
hæreticus languens 2.210
hæreticorū nasus sicut turris Babel 2.346
hæreticorum lues 2.211

hæretici incurabiles 2.149
hæretici integritatem dicunt esse naturalem 2.35
hæreticis peccatum originis est morbus 2.70
hæreticus Medicus hypobolimæus 1.28.
hæretici non missi mederi præsumūt 1.245
hæretici sine vocatione legitima 1.246. Indocti ibid. impunè trucidant ibid. Tot occidunt, quot curare se fingunt 247. 256. Fugiendi 250. Lupi 250. Sepulchrorum violatores 248. Vespillones orci 247. Hoplomachi 257
hæretici an vnquam gratia sanitatis donati 1.238. qui tentarint patrare miracula 1.238
hæreticorum inscitia 1.255
hæreticorum hypocrisis cœca & oculata 2.305
hæretici surdi, & muti: loquuntur tamen per nasum 2.345
hæmorrhoissa 2.455. à medicis deserta 457. Quinam illi similes 464. & seq.
hæretici probant medicinam pœnitentiæ 3.189
harpaste cœca 2.5
helleborus 1.213
S. Henricus Imperator claudus 2.437
herba bonet 3.113
herba militaris 3.27
herpes morbus 3.21. eius cura 23
Hercules Celticus 1.95
Herodes vermium esca 2.197
Hibernia libera à venenatis 1.242
Hilarius de Semipelagianis 2.12
Hippocrates summus Medicus 1.230
Hippopotamus 1.141
Hircus Marti sacer 1.252
homo rectus à Deo factus 2.30
homo Imperator Mundi 2.33
homo vix natus plorat 2.61
homo compositus ex carne & spiritu 2.61
homo in pura natura quid potuerit 2.66
homo pestifer 2.90
homo descendens ab Ierusalem in Iericho 2.106
hominis diuisio in corpus & animā 2.107
homo crudelis 2.153
homines mente peruersi 2.218
homo interior & exterior 2.298
homines impuri 3.303
S. Honorati caliga 1.241
hospitale incurabilium 2.143
hospitale secundum 2.147
hospitale tertium 2.148
hospitale quartum 2.149
hospitale quintum incurabilium 2.155
hospitales spiritus 2.143
hospitalia incurabilium quinque 2.156
hospitalia illustria vrbis Romanæ 2.164
hoste & amico opus habemus 180
S. Huberti virtus medicinalis 1.241
humilitas Christiana cōmendanda Alumnis episcopalibus ad dignitatem promotis 1.50
humilitas collyrium
hydriæ sex purificationis 3.255
hydropicus spiritualis 2.254. 2.420. & seq.
De hydrope & hydropicis 2.30. com. per totam.
hydropicus Euangelicus 416
hydrops quid? 417. Quod eius species ibid. Quæ caussæ 424. Curatio 427. & seq. vnde oriatur 433
hydrosophi 3.104
hypocritæ 2.10. hypocritæ fallunt 2.311
hyssopus fidei symbolum 3.15. & 3.179
hyssopus symbolum pœnitentiæ 3.174
hyssopi proprietates 3.175
hyssopus iuri dat saporem 3.177
hyssopus pleuritidem sanat ibid. spargit aquam ib. pulmones purgat 178. prurigini resistit ibid. phtiriasin curat ibid. Tussim sanat ibid. Tineas enecat ibid. colorem fouet ibid.
hyssopus symbolum humilitatis 3.179. Caritatis ib. Continentiæ ibid.
hyssopus symbolum Redemptoris 3.181

I.

IBis Clysteris magistra 1.141
idololatri æ spirituales 2.110
Iericho 2.107. Ierusalem ibid.
IESVS Medicus 1.8. 1.161. Nomen Medicum significat 1.104. 1.162. 163. 1.171. 172. frequenter inuocandum 1.166. Nomen IESVS medetur ibid. Dæmones eijcit. Sanat

Sanat corpus & animam, vt oleum, vt lux, vt cibus ibid. Quam dulce fuerit in ore S Francisci 1.167. Nomen IESVS medicina 1.167. Quem hominem dum auditur animo obijciat 1.168
in nomine IESV electuarium 1.168. inserit virtutes si nominetur 1.168
IESVS Therapeuta 1.172
IESVS sanitas 2.2
Iessei Esseni 1.163
Ieiunium medicina 3.218
S. Ignatius Loiola silet ante præfectum 2.354
ignis sacer 2.89
ignis sacer vexat oues 1.2 2 215
ignis syluestris 2.132
ignorantia primum vulnus 2.109
ignorantia quantum sit vulnus ibid.
ignorantia Dei finis vltimi 2.110
ignorantia practica quorundam, qui ignorant Deum ibid.
ignorantiæ vulneris latitudo 2.112
ignorantia mediorum ibid.
ignorantia sui vlcus 2.113
ignorantiæ vulneri tubercula adunata ib.
ignorantiæ vulneris crusta 2.114
ignorantia sui & Dei curatur morbo 2.150
imago Adami est homo descendens à Ierusalem in Iericho 2.106
imago Dei 2.32
imago peccatoris vulnerati 2.107
imaginatio an mederi possit 1.237
imaginatio plurimum facit ad fœtus figuram 2.261
imaginaria profectio 2.143
immundus hyssopo aspergitur 3.174
impatiens 2.126
impœnitentia finalis 2.151
impossibile quosdam renouari ad pœnitentiam 2.150
impossibile quod admodum difficile ibid.
imputatio, non imputatio morbi 1.200
impetigo 2.69
in appetentia gustu Eucharistiæ tollitur 3.134
Incarnationis finis sanitas infirmorum 1.159.169
Incarnationis typus, lutum ex saliua, & puluere 1.162.1.189
Incarnatio verbi non fuisset, si Adam non peccasset 1.169
incarnatio tempore conuenientissimo facta 1.170
incarnationis necessitas 2.399
incarnationis causæ 2.28
incitamentum maximum ad fugiendum peccatum 42
incommoda pleni ventris 2.227
incurabilium hospitale 2.142
incurabilis morbus quis sit 2.144. incurabilia 2.142
pro indulgentia opus factum in mortali 2.48
inediam quandiu quis ferre possit 3.65
inemendabilitas ex defectu propositi emendationis 2.147
infantes quomodo damnentur 2.267
infernus morborum incurabilium locus, & ex inferno an aliqui euaserint 2.154
in inferno dæmones & homines ibid.
infideles 2.149
infirmitas quando oriatur 2.118
infirmitas in appetitu irascibili ibid. effectus primarius ibid. effectus secundarius ibid.
infirmitas naturalis vnde 2.64
infirmi quinam, & quinam ægroti 2.49
An idem infirmus sit, & ægrotus 2.48
infirmitas multiplex 2.234
infirmitates sunt calamitates ibid.
infirmitatem esse donum ibid.
Quid faciendum spiritualiter infirmo 2.184
In sanando infirmum incipe ab anima 2.194
ingenij durities tuberculum 2.110
ingeniosissimi bene afficiuntur ad V.S. 3.139
ingratus in febrim relapsus per confessionem liberatur 3.194
iniquitates supergressæ sunt caput 2.193
iniquus 2.90
innocentem quando fas occidere 2.269
Innocentij III. P.P. in satisfactione imponenda moderatio 1.47
inobedientiæ curatio 3.21

inquie-

nquietudo in mundi rebus 2.118
nsania 2.89.2.69.3.133
nsania ex concupiscentia 2.119
insania mentis ægritudo 2.22
insanabiles sunt, qui nolunt curari 2.147
inscitia hominis in naturalibus 2.111
insignia opificum ad honores promotis præferri solita 1.50
insipientia 2.88. quis insipiens ibid
integritas 2.28. & 2.33
integritas animæ duplex 2.26. physica ibi Moralis ibid.
integritas duplex in Adamo 2.30
integritati adnexa similitudo cum Deo 2 31
integritas corporis ibid.
integritas in Christo 2.34. Ex vnione hypostatica ibid. Ex voluntatis cum Diuina conformitate ibid.
integritas in B. Virgine 2.34
integritas Hominis ex gratia ibid. Beatorum ibid. Adami supernaturalis 2. 35. super naturam ibid. Adami naturæ indebita 2.35. Adamo, vt vestis superaddita ibid.
intellectus Adami perspicacissimus 2.28
intellectus cœcitas & affectus inualetudo duodecim gignit languores 3.131
intemperantia 2.214
intemperantia omnium causa morborum ibid.
Ex intemperantia æger incurabilis 2.216.
Quis intemperans ibid.
intemperans infrunitus 2.225
intemperantis inquies 2 226. Cholera ib. Tortura ibid.
inuidia 2.200
inuidia fascinum 3.257
inuidia est febris marcida 1.24
in-vulnerabilis 3.2.
Ioannis Caraffę in morte subeunda pieta animositas 3.7
Iob Medici perfecti exemplar 1.95.
Tobi virtus 2.7
Ioseph 2.8.
ira 2.200
ira est febris acuta. eius cura 1.23
irritamenta interna 2.99
Italici cœci 2.197
Iudæi Romæ coguntur audire concionem 1.14
Iudęorum Medicorum vsus Christianis interdictus per Canones 1.68
Iudex, an possit morti tradere ob alterius crimen 2.269
iudicium Dei & hominis diuersum 3.187
iudicij Diuini cum fico comparatio 3. com. 6. per totam.
iudicium superbiam deprimit 3.80. libidinem tollit 81. duritiem cordis emollit 3.83. ferociam frangit 83. calumniantium morsiunculas dissipat 84. lachrymas prouocat 85. concupiscentiam sedat ibid.
iudicij vis medica 87
Iuliani Apostatæ vanitas 1.207
iurisperiti boni & mali 1.243.244
iuris consultus recens omnia inuoluit litibus 1.58
iustificatio non tegit solum peccatum, sed tollit 1.169
iustitia est medicina orbis 3.88
Elementa & mixta conuersantur per iustitiam 3.90
iustitia temperatur temporum diuersitas 3.90
iustitia est sanitas corporis humani ibid. cur perpetua dicatur 92. Iaspidi similis 94

L.

LAbor nimius obest ouiculis 1.206
Lachryma Christi 3 145
lachrymæ satisfactoriæ, sunt medicinales 3.219
lachrymæ faciunt ad sanitatem animæ 3. 224
lachrymarum in re medica vtilitas 3.223
lachrymæ sudor animæ 3.225
lachrymæ extinguunt ardorem febrilem 3.226
lacrymæ expiant animam ibid.
lachrymæ Magdalenæ 3.227. & 3.230
lachrymæ medicamentum emolliens 3. 227
lachrymæ cur panis dicantur 3.229

lachrymę sunt antidotum contra venenum 3.229
lachrymæ remedium contra ebrietatem ibid.
lachrymæ arcent ebrietatem 3.230
lachrymæ spiritualem ebrietatem inducunt ibid. remedium dulce ibid. aqua distillata ibid.231.
lacrymæ ascendunt 3.231
lactucæ agrestes 3.12
lætitia 3.305
lamentatio super integritate deperdita 2.32
lamiæ curiositas 2.304
languens homo in statu naturæ 2.65
languores conualescentium ex morbo 2, 65
lasciuia, quomodo sanetur 2.98
lasciuorum irritamenta 2.97
lasciuorum insatiabilis cupiditas 2.93
lassitudo membrorum 3.35
latrina 3.203
lectio quomodo prosit ad sanitatem corporis 3.35
leges Dei sunt Medicinæ 3.16
leges in scholis deuorantur, in curia concoquuntur 1.56
Lex Diuina illuminans 3.235
Lex Dei perspicillum 3.237
lex vniuersalis Herbipolensis 3.304
lex naturalis 2.42
lentigo 2.129
lepræ species 2.210. in cute ibid. in carne viua ibid. in cicatrice ibid. capite ib. Barba ibid. Caluitio ibid. vestimento ibid.
lepra peccatum 2.400
leprosi remouentur ab officijs 2.275
lepra & leprosus 2. Com. 29. per totam.
leuare idem quod auferre 1.202
Licentiati indocti, an gaudeant priuilegijs? An sit valida collatio beneficij ijs facta? 1.53
lignum vitæ 2.33
lilium 3.155
linguæ morbus 3.26
lippitudo 3.133
Lippus quis sit 3.237
Liuia opthalmia laborat 2.86
Liuor quid? Liuore Christi sanamur 1.199
Lucas Medicus 1.223
Lucerna ad visum vtilis 2.310
luctæ exercitatio 3.310
luctantes vulnera accipiunt 2.36
lumbi impleti illusionibus 2.193
lunatici 2.359
Lupus hæretici symbolum, Marti sacer 1.252
Lupus visus, an vocem auferat 2. 361. 367
Lusitaniæ Regum insignia quinque vulnera 1.195.
Lutherus hæreticorum protophysicus 1.256. imperitus in lingua Græca, & Hebraica ibid.
Lutheri de cura Medicorum sensus 1.119
Lutheri axiomata ad vitæ hilaritatem ibidem.
Lutherus male loquitur de Medicis 1.122
Lutheri salacitas 1.123.124. Eius scommata in Iuristas 1.244
Lutheri contra vertiginem remedium 3.38
luxuria 2.200
luxuria pestis 3.25
luxuria est lepra curatu difficillima, 1.23

M.

Macula morbus est, & eius index, 2.129
Magister Artium & Philosophiæ, imo Baccalaureum, multo magis Licentiatum, & Doctorem Superiorum facultatum creare, si sit indignus, nec sufficienter doctus, est peccatum mortale 1.72
Magister Scholæ non sit acceptor personarum 1.118
Magistri indocti, an gaudeant priuilegijs Magistrorum? 1.52. An sit valida collatio beneficij ijs facta? ibid.

magnanimitas dilatat 3.288
malagma quid? 1.9.17
malagma è ficubus 3.82
malignus quis? 2.89
malum præter intentionem Tyrio Maximo 2.62
manifestatio operum Dei 2.241
Manna vulgare 3.144
Mandatum Dei obuium 3.156
Manuelis palæologi præceptum filium datum 1.95
S.Marculphus 1.24
Marsi 1.236.237
Martis vis medica 3.67.per totam.
Martyrium non prodest sine charitate 2.45
materia non est mala 2.64
materia Platoni malefica 2.62
materia malorum causa Stoicis ibid.
materia prima quid 2.38
matrimonio iuncti 2.8
matrimonium corporale.
matrimonium in statu innocentiæ 2.31
matrimonium remedium concupiscentiæ 2.95
medendi ars, sine Dei auxilio nulla 1.35
medicamenta indigent calore natiuo 3.13
medicamenta simplicia & composita 3.16. 3.55
medicamentum extersorium: deglabratorium 3.30
medicamentorum diuersus vsus 3.42
medicamentum suppuratorium 2.75. discussorium ibid. remedium pro doctis in omni disciplinarum genere 75. Imperatori Orientis coronando suggeritur 76
medicamentum aquiducum ibid. stupefaciens 3.77. siccans ibid.
medicamentum tabernæ 3.96
mithridaticum ibid.
medicamentum vniuersale 3.164
medicamentum præsentaneum ibidem
medicamentum parabile 3.165
medicamentum stomachicum 3.168
medicamentum sterilitatis 3.217
medicamentum regium ibidem.
medicamenti pœnitentialis compositio 3.167
medicamento dubio quando liceat vti 1.83
medicamentum ex vipera 1.136
medicamentorum diuersitas in Sacra Scriptura 1.9
medicamenta Dei, & Medicorum quantumcumque grauia, leuiter ferenda 2.55
medicina est Verbum Dei 1. Com. 1. per totam.
medicina verbalis 1.10
medicina scientia Diuina 1.88. Dijs adscripta 89.101
medicinæ summa æstimatio 1.102
medicinæ periti principes, Reges, Pontifices 1.87 88
medicinas brutis præuidit Deus 1.141
medicinæ partes 1.43 48. 1.261
medicinæ spirituales omnis generis 1.44. 45
medicina olim erat paucarum notitia herbarum 1.55
medicinæ crus duplex. Scientia & Experientia 1.57. geminus oculus ibid.
medicina immatura nocet 1.59
medicina accommodata cuilibet est danda ibid.
medicina præseruatiuæ vtiles 1.62
medicina Prophetiæ affinis 1.261
medicina pœnalis non est pœna 2.265
medicina contrarijs vtitur 1.160
medicina mundi in Bacchanalibus 1.178
medicina præseruans Eucharistia 3.147
medicina purgans, abluens, abstergens Eucharist. ibid.
medicina pyrotica Eucharistia 3.152
medicinæ diuisio 3.396
medicina purgans 3.132
medicina vetus 2.215.
Noua ibid.

medicinæ varius sanandi modus 1.13. paulatim sonat ibid.
medicinam respuere lethale 1.14
medicinæ facultas duplex. Throrica & Practica 1.14
medicæ prædictiones 1.37. Terrores ab exemplis 38
medici officium 3.163
medicorum operæ 3.158
medici à Coquo discrimen 1.30
medicus erga magnates etiam sectione vtitur 1.31. Non mouetur querelis ægri 32. Nunquam quandiu curandi spes est, ægrum deserit 1.33. Ad id tamen venit aliquando ibid.
medici patientia imitanda 1.33. eius in curando progressus ibid. Eum non decet colituloquentia 35. eius eloquentia 1.109
medicus perfectus quis? 1.35. Quis carnifex 1.38
medici personam induit Sacerdos Catechista apud Iapones ibid.
Medici Methodici, Rationales, Dogmatici, Empirici 1.48
Medici, cur non sanent causæ recensentur 1.50.
Medicus Dei Sartor, seu Sarcinator 1.56
medici titulus :. Expertissimus 1.57. eius duo officia 1.52.1.112
medicus imperitus 2.183
medicus quæritur & auditur 2.177
medicorum stipendia ibid.
medicorum de causis morborum sententia 2.188
medicorum mutatio, & multitudo obest infirmo 1.69.70
medici imperiti, improbi, infelices 1.71
medici Romanis inuisi 1.72
medico iuueni opus nouo cæmiterio 1.58
medico aliquando vtendum igne, ac ferro seueritatis 1.60
medicorum inuiorum, qui non studuerunt philosophiæ, inscitia 1.125
medicus garrulus 1.125
medicorum odium à Cacodæmone ibid.
medicus gratis odio habetur ibid. Explorat pulsum 1.131. Finem suum aliquando non assequitur 1.139
medicus, Caluino fabricatore qualis? 1.148 1.176
medici de Caluinistis sententia 2.209
medicus incomparabilis 1.160
medicus morbum auferendo non inficitur 1.170.
medicus animorum piscator 2.252
medici spiritualis seueritas 1.116.117
medici imago picta 1.174
medicus ironicus est Caluino Deus 1.176
medici exemplo probatur non tegi solum peccata 1.175
medicus portat, ac fert dolores infirmi 1.198
medicorum Dij profani 1.217
medicus hypobolimæus 1.241.254
medici symbola, Gallus vigilans, Serpens prudens 1.90
medici spiritualis consideratio 2.202
medicus Imperator vitæ, ac necis 1.91. Vrit & secat 92. contraria adhibet 93 omnibus salutaris 93
medici spiritualis dexteritas 1.99. generositas, fortitudo 100
medico debetur honor 1.103
medici boni dotes 1.106. Non est personarum acceptor 1.117
medicus ob imperitiam peccans punitur 1.108
medici prudentia. 1. 109. Sit omnibus æquè expositus 1.118
medici spirituales quotuplices 1.144
medici boni & mali 1.244. Quidam ex ijs carnifices 253
medico imperito, licet promoto in Doctorem, medendi ius abrogetur 1.258. imperitus capite temeritatem luat. ib.
medicorum imperitorum multitudo 1.258
medicorum peccata ibid.
medicus negligens, obligatur ad restitutionem ibid.
Quæ requirantur à medico, vt possit artem exercere 1.259
medici quamuis promoti, diligenter examinandi, antequam ad curam habendam admittantur 1.250
medici bifariam mali 1.262

medici

medici venenarij 1.261
medici Indorum nugaces 1.263
medici Græci necarunt Romanos ibid.
De medico imperito ridicula 1.263
De Medicis figmenta & supiciones 1.121. 123
medici loquuntur de rebus sordidis 3.195
medicus laudandus, qui grauissimè ægrotantes vult certò curare 2.56
medici in digressu officiunt 3.295
medulla quid? amare medullitus 3.28
Melita insula libera à Venetis 1.240
mel omnibus accommodatum 1.19. in eo virtus est medica. ibid. symbolum correptionis. 1.82. melle non dulcoratus venter 1.20
membra & instrumenta corporis 2.32
memoria vas capacissimum 3.231
mensa solis 3.128
mensa militaris rotunda 3.129
meritum patientis morbi finis 2.248
miles per confessionem sanatus 3.193
minæ medicæ 1.144
minuta quomodo nocent 2.135
miracula quæ, quibus maiora? 1.240
missæ auditio 1.18
modestiæ operationes 2.14
misericordiæ opera 3.305
misericordia Regis Osvvaldi 3.250
momentum aliquid est temporis 3.165
monachi quoties olim communicarint 3.152
monstrum poeticum chimæra 2.205. monstrum medicum ibid. monstrum hæresis ibid.
montes aromatum 3.156
montes salis 3.265
morbida qualitas in carne 2.72. in anima ibid. non est in corpore 2.75
morbida qualitas non est vitiosus habitus ibid.
morbilli 2.134
morbus quid sit 2.40
morbus animæ ibid.
Quid sit morbus 2.70
morbus vincularis 3.131. febrilis 3.132. cordis ibid.
morbi domestici 3.303
morbus humani generis, non fuit immedicabilis 1.205
morborum causæ in pecore 1. 205. signa 207. Curatio 209
morbus, Noli me tangere 1.235
morbo incurabili, an manus admouenda? 1.212
morbi qualitas diligenter perpendenda 1.100
morborum genera trecenta 1.105
morbi, qui grauissimi 1.107
morbi Dæmones sunt Gnosticis 1.111
morborum radices extirpandæ 1.60
morbo quamprimum occurrendum 1.62
morborum fines 2. Com. 19. per totam.
In morbo tria sunt grauia 2.258
morborum caussæ parentes 2.259
morbosi filij parentum vitio 2.260
morbi spirituales reuocantur ad septem peccata capitalia, quæ diuersis morbis corporeis comparantur 1.11
morbus omnis diuina gratia curabilis 1. 98
morbi quis finis 2.240
morborum caussa prima Dei gloria 2.241
morbus purgat ab amoris carnalis sordibus 2.245
morbus pharmacum.
morbi finis præseruatio à peccatis 2.245
morbi sorores Francisco 2.246
In morbis quantum meritum 2.249
morbus medicina animi ægrotantis ibid.
morbus morbo curatur ibid.
morbus ad alterius curationem prodest 2. 250
morbo corporali curatur spiritualis ibid.
morbus Dei notitiam generat 2.251
morbus effectus prædestinationis ibid.
morbi plurima commoda 2.252
morbum plurimi sanitati prætulerunt ibid.
morbus est disciplina & institutio 2.254
morbus pædagogus ibid.
morbus patienti Christo similem facit ib.
morbi spirituales 2
morbus incurabilis, quis sit 2.144
morbus incurabilis viribus naturæ, peccatum ibid.
morbus impropriè incurabilis quodlibet

peccatum 2.146
morbus quis propriè incurabilis ibid.
morbus obstinatorum insanabilis ibid.
morbus animæ voluntarius 2.173
morbis sponte laborant quidam spiritualiter 2.174
morbus corporis ne an animi grauiores 2.184
morbus nullus in statu innocentiæ 2.189
morbi nulli in Christo ibid.
morborum multorum causa peccatum actuale 2.190
morborum comminatio ibid.
morbis multi puniti ob peccata 2.191
morbus Diuinus 2.192
morbi Diuini ibid.
morbi vitis,pecoris,hominis, 2.339
morbi ex eucharistia indigne percepta 2.198
morbidorum exempla indigne communicatiuum 2.199
morborum enumeratio 2.200
morborum omnium fons 2.201
In morbis Diuinis discrimen ibid.
morborum Diuinitus immissorum discrimen.
In morbi molestijs,quid cogitandum 2.200
morbus animæ curiositas 2.211
morbi pœnæ peccatorum 2.214
morbi innumerabiles 2.215
A morbis liberi antiqui ibid.
morbi innumerabiles ob coquorum copiam 2.216
morbi ex gula orti 2.217
morbi ex ebrietate 2.2 8
morbus est donum philosophorum sensu 2.230
morbus conducit ad vitæ contemptum 2.231
morbus felicitati consequendæ deseruit 2.252
morbis animi grauissimis ægrotamus 2.55
morbus contra naturam 2.60
morbus naturalis ibid.
morbus quam sit vehemens in nobis 2.66
morbi hæreditarij 2.69
morbus originalis, an figuratè solum peccatum 2.70
Quomodo morbus originalis traducatur 2.72
morbus vniuersalis,quid sit 2.75
In mundo morbi lethales,patrij,vernaculi 2.85
morbi patrij quarundam regionum ibid.
morbus Gallicus 2.86
Tres morbi mundo vernaculi ibid.
Pro mundi morbis vernaculis remedia 2.87
Aliæ eorundem morborum medicinæ ibid
morbi varij 2.105
morbi in partibus corporis 2.108
morbi minuti quibusdam periculosi 2.122
morbus quid Stoicis? 2.123
morbus vermium 2.133
morbus pedicularis 2.133
morbo pediculari interempti 2.134
mortis memoria pharmacum 3.67. Pancrestum 68. Securis 73. Emplastrum 76
contra mortem nulla medicina 3.96
mortis plagæ 3.136
mortem arcet Eucharistia 3.145
mortalia peccata 7.morborum causæ 2.200
mortale peccatum macula est. 2.251
mortificatio collyrium 3.239
motus primo primi,& secundo primi 2.125
Tres motus passionis 2.124
motus non voluntarij , haud sunt morbi morales 2.125
motus primo primi,quales sint morbi 2.126
In Christo nulli motus indeliberati ibid.
munditiës ad Eucharistiæ sumptionem necessaria 3.150
mundus ergastulum morbidorum 2.33
mundanus 2.90
mundus ingens vrbs 2.144
mundus xenodochium 2.381
mundus hortus Adonidis 3.156
mundi tituli,& descriptiones 2.381.393
mundus tendens ad interitum 3.254

mundus

mundus corpus 3.88.92.93. Non tamen animal, nec rationale ibid.93
mundum arguere de peccato, quid sit 2.188
mustum obest conspectum solo odore 3.7
mutitas 2.146
mutus & mutitas 2.Com.26.per totam.
mutorum varietas 356.356
mutos facit Deus 2.356
Qui mutus simul fere est surdus 357.356
mutus factus à Deo Zacharias Pater Baptistæ: & Dauid olim latro 2.358
mutum Dæmonium 359
muti facti à Tyrannis 360
muti infortunio ibid.
mutus Christus ex virtute, Modestia, Patientia, Prudentia, Caritas, magnanimitas, Conscientiæ testimonium 2.36.& seq.
muti voluntate & natura 2.364.365.varijs casibus 367
mutos facit virtus 366.368
myrrha 3.156
myrtus planta medicinalis 1.136

N.

NArdus 3.156
Natalitiorum affectus contrarij 2.84. & seq.
Nathan Propheta correctoris boni icon 1.3.82.85.
Nati lugentur ibid.
In Natalium ortu causa flendi 2.85.
quia mundus locus est pestilens 2.85
Naturæ tributa 2.33
De natura malê conqueritur Plinius 2.61
natura gaudium promouet in ortu hominum 2.85
natura non intendit morbum 2.240
M.Nauarrus I.C nunquam ex temporaneũ dabat ad quæsita responsum 1.64
nautæ duri ad pœnitentiam 3.72
nausea à vomitu 3.202
neglêctus in Infirmitate spirituali 2.113
negligentiæ lethargus 2.117
nemo sanus nisi virtutis Studiosus 2.6
nepenthes herba 3.156. quid Nepenthes? 1.12.1.109
ningua 2.135
nitrum 3.113
nosocomium primum 2.152
nosocomium primum instituit Fabiola 2.165
nosocomium Iulianum Herbipolense, & eius vrbis alia ibid.
nosocomij species ibid.
nosocomia disciplina 2.166
nosocomium Neapolitanum 2.167
nosocomia pro pestiferis ibid. pro deliris ibid. pro mendicis incurabilibus ibid.
nosocomiorum prærogatiuæ 2.169
nosocomium apud probaticam piscinam ibid.
nosognomice 1.45
Nouandi studium in Medico improbatum 1.251
Nouati contagiosa conuersatio 2.211
Nouatianorum error 2.152
Nouendiale sacrum 1.241
Noxia in quem vsum condita 1.246
Nutrices morbos transfundunt 2.260
Nux pinea 3.159

O.

OBedientia ad quid disponat 2.5
obedientia naturalis in Adamo non fuit naturalis 2.65
obdurati 2.151
Obsonator Medicus 3.51
obstinatorum morbus insanabilis 2.146
obstinati Ecclesiastici 2.147
occasiones vitandæ 3.63
ocium malorum radix 1.206
oculi beati 2.2.3.319
ocularia 2.309.310
oculorum deceptio 2.Com.22. per totam.
oculi prominentes male vident 2.304. coligantes 306. M'lumi 307. Pauonum 315 Passerculorum 317. Noctuarum 318. Felium 319 Vulpium, Cancrorum, Columbarum, 321. Accipitrum 315
oculorum suffusio 2.310
oculares tubi ibid.
oculus causa malorum in mundo 2.314

oculorum diuersitas 2.315
oculi subsessores 318. Adulterini ibid. Coruorum, Strutionum, Draconum, Leonum 319
oculorum optima qualitas 1.320
oculi Mosis & Balaam 322
oculus centum, & duodecim contrarias affectiones habet 1.105
oculus cœci speculum potentiæ Dei 2.241
oculus est fons 3.226
oculi præstantia 3.236
oleum eleemosynæ symbolum 3.261
oleo caput inungendum 3.305
oleum pacis symbolum ibid.
omnis & omne, quam latè pateat 1.223
opera mortua, mortifera, mortificata, 2.46
opera peccatoris plurima mortua 2.46
Non omnia peccatoris opera mortifera 2.46
opera bona mortificat peccatum ibid. & 2.47
opera peccatoris, cur sint mortua 2.46
opera omnia bona, inficit vnicum peccatum mortale 2.44
operum bonorum, post peccatum Deus non recordatur ibid.
operarius victoriæ Dei Iob 2.242
opus pro Indulgentia factum in mortali 2.48
Ophtalmicus Medicus 1.251
Ophiogenes 1.237
orationis vis medica 3.33. per totam. Definitio 33. Diuisio ibid. Excellentia 34. Necessitas ibid. Vtilitas ibid. Conditiones ibid.
oratio pharmacum 3.35 præseruatiuum 36. Anniletum 32. Curatiuum omnium morborum 42. purgat ibid. Catarticum medicamentum ibid. orationis suffumigatio 3.44. præseruatiuum medicamentum 42. Roboratiuum 44
oratio vocalis confert ad sanitatem corporis 35
orantibus insidiatur Dæmon 3.45
Apparatus ad orationem 3.48
Orationis Dominicæ prærogatiuæ 3.51.65
orandi tempora 3.54. locus 55. Situs ib.
An sit obligatio orandi tempore tentationis 3.54
Quantitas orationis 3.56
orationes iaculatoriæ 3.63. & 64.66
Semper orandum 3.66
oratio medicina 3.218
oratores boni & mali 1.291
ordo intentionis & executionis 1.152
originis peccatum est hæreticis morbus.
originalis morbus, an figuratè solum peccatum 2.70
originale peccatum distinctum à concupiscentia ibid.
originale peccatum intrauit in hūc mundum 2.71
originale peccatum, an imitatione transiuerit ibid.
orphanotrophium 2.68
ostrea ex Britannico mari
ossa quid mysticè? 1.386
oues curandi Ratio. Earum morbi. Remedia 1.209. & seq.
oues scabiosæ 2.211
ouibus inest bilis, quia superabundante laborant 1.212.214.

P.

PAlumbes 1.142
Panchrestum 1.150
Pandoræ fabula 2.190
Paradisus 2.33. eius flumina 3.104
parabolæ elegantis symbolum, malum aureum 3.1.2.14
parabolizator ibid.
parasceues filij 1.235
paralysis & paralytici 2. com. 28. per totam
paralysis ortus, conditio, natura, 2.384
paralyticus peccatoris imago ibid. eius admiranda curatio 387
paralyticorum tres species ibid.
paralyticus Iudæus 385
A paralysi sanatorum exempla 391.393. & seq.
partis inferioris potentiæ 2.118
pars sensitiua subiecta rationali 2.29
passiones 2.121
passiones in triplici statu 2.124
passionis tres motus ibid.
Quæ passiones morbi sint ibid.

Passio

Passio Christi medicina 1.177.& seq. Officina medicamentorum 178. Eius effectus 1 179. Vtilitas 180. Est medicina præseruatiua. Radix Angelica 1.181. Præseruatio Deiparæ ab originali tribuenda Passioni ibid. Est conseruatiua 1.184. Curatiua 183
Passio est myrrha 182. Est medicamentum generis cuiuslibet, Amuletum, Alexipharmacum, Theriacum, Prophylacticum 1.184.& seq.
Passio est potio, syrupus, illinctus, commansum, Catapotium, Cataplasma 187
E passione sunt Sacramentorum pharmaca 1.191
Passio est Resina ibid. Mel ibid. Calix ib. medicina præteritorum 192
Passionis meditatio oculos mentis illuminat 3.246
Pastillus quid? 1.17
Pastoris boni notæ. Item mali 1.204
In pastore requiritur notitia pecoris 1.205
Pastor sit Medicus 1.203. Eius quinque officia 204. Noscat morbos & morborum caussas 205
parentum intemperantia facit morbidos filios 2.271.& seq.
Parochus quis? Pastor Paræcia 1.50
Parochia, velut hospitalis domus ibid.
Parochos, seu Pastores posse esse caussam ruinæ totius Reipubl. ibid
Parochorum quorundam cœcitas & ignorantia 1.50.51
Parochi scientia 52. Quæ simpliciter illi necessaria 54. necessaria est doctrina casuum conscientiæ 1.112
Parochi quidam cœci, quidam coclites, lusci, vnoculi 1.56
patientiæ fructus 2.232
S. Paulus admirandus Medicus 1.37. Seminator verborum, messor morum 39. Eius vis contra venenata 1.240
S. Pauli cognati 1.236
Pauperes facillimè pariunt 1.247
paupertas collyrium 3.238
peccatum mortale morbus mortalis 2.13
peccati malignitas 2.33
peccata vulnera 2.36
peccator Adam lethaliter peccat 2.40
peccatum ibid. malum ibid. priuatio ibid. defectus ibid. Infirmitas ibid.
peccata, vt coccinum dealbantur baptismo 3.112
peccatorum grauiorum causa 3.148
peccatum mortale remittitur in Eucharistia per accidens 3.150
peccata venialia sunt rugæ 3.151
peccata tegere quid sit 3.152
peccator non tegit vulnera 3.160
peccata tegi idem quod tolli 3.161
peccata non omnibus passim manifestanda 3.190
peccata propria confitenda 3.199
peccatoris lachrymabilis vox.
peccata venialia coaceruantur ex conuersatione 3.225
peccatum mortale est macula 3.257
Quomodo tollatur Veniale ibid.
peccatum comparatum Materiæ primæ morborum causa 2.339
A peccatis præseruatio morbi finis 2.245
Quomodo peccatum sit contra naturam 2.41
peccata contra rectam rationem 2.42
peccata peculiariter contra naturam 2.43
peccata naturalia ibid.
peccatum actuale morbus 2.44
peccator non potest mereri cœlum ibid.
Ex peccato damna ibid.
peccatoris opera plurima mortua 2.46
peccatoris opera non omnia mortifera ib.
peccator facile ad mortifera progreditur ibid.
peccatum mortificat bona opera ibid.& seq.
peccatoris opera, cur sint mortua 2.46
Ex peccato quanta ruina 2.47
peccatum vnicum mortale opera omnia bona inficit ibid.
An omnia peccata morbi 2.48. cur sæpius peccetur, licet sit contra naturam 2.50
peccata propriè non sunt à materia 2.62
peccatum vulnerauit hominem in naturalibus 2.66
peccatum originis 2.69
peccatum originale distinctum à concupiscen-

pisſcentia 2.70
peccatum originale intrauit in hunc mundum 2.71
An peccatum originale imitatione transiuerit 2.71
peccatum per vnum hominem intrauit in mundum ibid.
peccatum originale, quomodo ſit habitus 2.72
de peccato originali dogma Catholicum ibid.
peccatum originale quid ſit 2.73
peccatum tria includit ibid.
peccatoris vulnerati imago 2.107
peccata venialia 2.128
peccata vel morbi non vnius eiusdemque ſunt generis 2.129
An peccatum ſit macula 2.130
peccatorum ſordes lauantur ibid.
peccatum contaminatio.
peccatum veniale, an ſit macula ibid.
Quomodo peccatum mortale ſit macula, quomodo veniale ibid.
peccata venialia ſordes 2.131
peccata venialia ſcabies 2.132
In peccatis diſcernendis fallimur 2.137
peccatum morbus incurabilis viribus naturæ 2.144
peccatum magnum malum 2.145
peccatum in Spiritum ſanctum irremiſſibile 2.148
peccatum in Spiritum ſanctum 2.151
peccato ad mortem peccare 2.149
peccati morbus nullus omnino incurabilis 2.152
peccatum omnino voluntarium 2.173
Ad peccatum non datur Coactio ibid.
peccatum actuale multorum cauſſa morborum 2.190
Ob peccata multi morbis puniti 2.191
peccatoris moroſitas 1.121
peccatoribus quibus morbi immittantur diuinitus 2.195
pecunia pernicioſa adoleſcentibus 3.156
pentagrammum Chriſti 1.111
pentalpha ibid.
perpeſſioni quam paſſioni, an maior reſpondeat merces 2.249
Perſarum Reges quomodo initientur 2.96
perſecutores Eccleſiæ 2.199
perſpicilla quid præſtent 2.309
peſtis 2.89. graſſatur in ouibus 1.210.211
peſtis tempore ſuffitus odoratus adhibetur 3.43
peſtis malum exemplum 211
Phalerides è Seleucia Parthorum 2.96
Phariſæus 2.90
pharmaceuticè 1.43
pharmacum è cadaueribus 3.67
Philiatri 3.104
Philoſophia Medicina 1.105
philoſophia ſanitas 2.12
philoſophia mendax 2.90
philoſophi boni & mali 1.243
philoſophus animal gloriæ, curæ 1.243.
philoſophorum ſenſus 2.220. contra voluptatem
Philotimus Medicus 1.123
Philtrum ad animos demerendos, Verbũ Dei 1.25
phlebotomiæ Magiſter 1.141
phlebotomia ſpiritualis, euacuare per eleemoſynam marſupium 1.45
Phocas Martyr venena arcet 1.241.
phreneſis 2.89
phrenetici 1.109.2.21
phylacteria, periommata 3.39. Eorum ſuperſtitio quomodo deprehendenda 40. quæ licitè vſurpari poſſint. 41.
Picus Marti Sacer 1.252
pilula medicata eſt Verbum Dei 1.14.1.20
piſcina probatica 1.105. 3.106.107. pœnitentiæ & baptiſmi typus.
Platonis duo præcepta 1.95
Plato in loco ſalubri Academiam collocat 2.235
Platoni materia malefica 2.62.
Plinius male conqueritur de natura.
Plinij querela de Medicis 1.224
Pocula ſanitatis. 2.99

podagra 3.131
podagra laborant oues 1.212.214
podagram Medicina non tollit 1.35
podagrici à parentibus 2.260
podagricis prodeſt vomitus 3.204
poetæ boni & mali 1.243
pœna quotuplex 2.273
pœna ſpiritualis, an infligi poſſit, ſine culpa 2. 73
pœna ob alterius culpam 2.272
pœnæ diuerſæ diuerſis peccatis debitæ 2. 285.296
pœnæ corporis 2.145
pœnæ huius vitæ redimuntur per morbos 2.235
pœnæ peccatorum morbi 2.214
pœnitentia 3.155. tollit cicatrices 160
pœnitentiæ virtus 3.155.156. 159
pœnitentia ſanat infirmitates omnes 3. 164
pœnitentia momento ſanat 3.165
pœnitentia verè medicina ibid.166
pœnitentiæ quantitas ibidem. Et 3. 115
pœnitentiæ neceſſitas 3.167
pœnitentia ſanguinis reiectioni vtilis ib. 168
pœnitentia medicina 3.159
pœnitentia quantumuis breuis, poteſt eſſe efficax 3.175
pœnitentia non differenda.
pœnitentia calens 3.176
pœnitentia purgatiua peccatoris ibid.
pœnitentia purgatiua contritione, petroſa confeſſione & ſatisfactione 3.177
pœnitentia ſcreatrix Confeſſione ibidem.
pœnitentiæ fructus medicinalis 3. 218
pœnitentia inſulſa, ſine fidei Sinapi 3.13
pœnitentia optima mortis meditatio 3. 73
pœnitentia Gehon 3.104
pœnitentiam à Confeſſario iniunctam acceptare tenetur pœnitens 3.73
Nulla pœnitentia extra ſtatum gratiæ meretur vitam æternam 2.45
politici 2.10
pomum vetitum, an cauſſa concupiſcentię, an flatus ſerpentis 2.64
porrigo 2. πυρίκαυς ignis ſylueſtris 2.132
porci quinam inter homines habendi 3. 206
porci cur non vomant 3.207
potentia Dei elucet in infirmis 2.242
potus ſobrius ſanitas.
prauicordius 2.21
præſentia Dei 3.64
prætorium 2.33
prædicantes hæretici medicinam exercent 1.227
Presbyteri Medici 1.105
princeps Medici imagine expreſſus 1. Com.7.per totam.
principes cur ſuis titulis adſcribant Dei Gratia 1.89
principem ſalubria ſcire, non plurima decet 1.90
principis ſymbolum, oculus vigilans ibid. Serpens, Gallus ibid. Prudentia, Experientia, Æquitas. Nouacula vtitur. 92. Clementia eiuſdem ibid.
princeps omnibus ſalutaris 1.93. Paruis peccatis dat veniam, eaque diſſimulat 1. 94
princeps Alexiacus 1.95
princeps nemo bonus, niſi Medicinæ peritus 1.104
probatio carorum 2.243
Promethæi fabula 2.189
Propheta Medicus Dauidis 1.7
prophetæ Medici 1.103
prophylactica Confeſſariorum 1.68
prouidentia Dei litibus expoſita 1.137
prouidentiæ duplex finis 1.140
prouidentiæ quotuplices ſub ſunt res? ibi.
prouidentia eſt loco Medici, Coqui, & omnium ſeruientium 1.247
prouidentiæ Diuinæ præſidium 2.81
pruritus curioſitatis 2.107
pruritus circa vulnus 2.114
pſylli 1.236.237
puerorum officia pia 2.3

pudor vehementer mouet & cruciat 3.82
pugna verborum inter Stoicos & Peripateticos.
pugna inter carnem & spiritum, 2.61
purgatio. 2.244
purgationis vsus. 3.43
purgationum remedia 3.196. quomodo quis purgetur morbo, 2.244
pustulæ 2.132
Pyrrhi pollex. 1.237

R.

Radices peccatorum, 3.69
ratio subiecta Deo 2.28
rationale iudicij, λογεῖον in pectore Sacerdotis Aaronici 1.57. Doctrina & Veritas.
rebellio in statu puræ naturæ 2.65
rebellio contra Deum 2.28
recidiuatus vitandus. 1.69
recta ratio lex est. 2.42
Redemptio duplex: Exemptionis, seu Præseruationis, & liberationis. 1.181
SS. Regum trium inuocatio, an medicinalis 1.241
Religionis officia 2.3
Religiosus fit Therapeuta 1.172
remedia pro mundi morbis, 2.86
remissionis vniuersalitas 2.353
remissionis vniuersalis spes certa ibid.
res multæ cognitu difficiles, 2.112
Reipublicæ membra. 3.93
Reipubl. aduersa valetudo & sanitas 3.92
Resina 3.100. quid sit 3.157. eius effectus est doloris mitigatio ibid. adstringit & adglutinat 3.159. sociat & consolidat 3.163
Resina Galaad 1.70. doctrina spiritualis poenitentia, Sacramenta.
Resina symbolum poenitentiæ 3.157
Rhetorica adulterata 1.30. coquinaria ib.
Rheubarbaræ acrimonia in Dei Verbo 1.131.119.137.133
Rhododaphne. Verbi Dei symbolum 1.17
Rosa. 3.156
Rúina quando ex peccato 2.47

S.

Sacerdotes Medici 1.105. quomodo medeantur. ibid.
Sacramenta medicinæ 1.11
Sacramentorum vis medica 3.95.96
Sacramenta septem colliguntur è re medica. 3.97
Sacramenta quomodo sunt vasa medicinalia 3.99. sunt causæ iustificationis ibid.
In Sacramentis qualitas operatiua ibid. eorum necessitas 100. An etiam ante peccatum necessaria ibid.
Sacramentum alexipharmacum 3.101
Sacra indignè tractantes 2.198
Sacramenta Ecclesiæ vulnerum nostrorum alligamenta sunt 2.21
Sacramentorum vsus cessabit in cœlesti Ierusalem ibid.
Inter Sacramenta est discrimen 3.191
Sacræ Scripturæ sensus litteralis duplex 1.197. officina medicamentorum animæ 1.24.1.210
sacrificia sunt medicamenta 1.111
Sacro seruire officium Religionis 2.4
sagitta quomodo collimanda 2.5
sal hieroglyphicum paupertatis 3.269. castitatis, ibid.270
sal Apostolicum corrupta restituit 3.272
sal aliquando venenum ibid.
sal conditur æ seruit 3.273
sale edulcantur aquæ 3.274
sal constantiæ admirandæ ibidem.
sal aqua liquescit, ac perit 3.275
salis Apostolici soliditas. ibid.
sal à putredine præseruat 3.265
sal æternitatis symbolum 3.266
salis statua ibid.
sale Euangelico quinam non saliti 3.267
salis genera varia ibid. & seq.
salis virtus ibid.
sal symbolum amoris. Siccitas 2.58
sal pacis symbolum ibid.
sal sterilescere facit agros. 3.272
sal veneno resistit ibid.
Salita vrbium excisarum loca ibid.
Salomon concupiscentiæ satisfaciens 2.97
Salomon Medicus 1.88
saltus ad corporis sanitatem vtilis 3.305
saltus spiritualis 3.306. qua ratione nobis saltandum ibid.
saluberrima tria 2.229

Saluator Latinis vsurpatum nomen 1.163. 1.170
saluare & sanare idem 1.164
Saluator, Sanator 1.180
Saluatores, Salutatores 1.235
Samaritanus Christus. 1.174.176.189
sanguisugæ 2.345
An in sanguine vis medica antidæmonica 1.193
Sanguis Christi medicina 1.188
sanitas. 2.33
sanitas quid? 2.3.& 2.134
sanitas bonum simpliciter 2.19
sanitas animæ præferenda sanitati corporis 2.20
sanitas animæ duplex 2.21. imperfecta viæ ibid. perfecta patriæ ibid. sanitas viæ est, quasi fracti, aut luxati alligatura ibid.
sanitas animæ 2.1
sanitatis magna æstimatio.
sanitas finis est Medici 2.2
sanitas absolutissima 2.8
sanitas Religiosorum ibid.
sanitas media. ibid.
sanitas infima ibid.
sanitas in statu continentiæ 2.9
sanum triplex ibid.
sanitas animi triplex ibid. sanitas simpliciter ibid. vt plurimum 2.10. Vt nunc tantum ibidem.
sanitas spiritualis neutra ibid.
In quo consistat sanitas animæ 2.11
sanctitas, seu gratia est sanitas animæ ibid. 2.14
sanitas pro signo sanitatis 2.13
sanitas & salus Synonyma 2.15
sanitas, sanctitas, sapientia tria præcipua hominis bona 2.17
sanitas iucunda 2.18
sanitas vtilis. ibid.
sanitatis humanæ initium ob Eucharistia 3.141
sanitas animi compunctio 3.167
sanitatem conseruant media exinanientia 3.301
sanitatis mater sobrietas 2.223
sani sobrij ibid.
sanari nolentium duo genera, directè & indirectè 2.148
Quos sensim sanat Deus 2.55
Non tamen sanabit, nisi volentem sanari 2.56
sanitatis gratia 1.223
sanandi omnes Christus contractum iniuit 2.56
sanat Deus, si cum patientia sanari volumus ibid.
sanari velle, damnati non possunt 2.155
sanationes prodigiosæ à profanis confictæ, Aesculapij, Vespasiani, Adriani, Pyrrhi 1.41
sanatiua virtus Christi, moralis, physica 1.218
sanguinis reiectioni vtilis pœnitentia 3.168
sapientia basis Imperij & gubernationis 1.90
sapientia Panacea 1.108
sapientis Apathia 2.126
An sapientem Apathem esse oporteat ibi.
Satisfactio Sacramentalis 2.48
Satisfactio à peccatore præstita ibid.
Satisfactio medicamentum extersiuum 3.219
Satisfactio obducit cicatricem ibid.220
Satisfactio medicamentum exulceratorium ibid.
Satisfactoriæ pœnæ medentur 1.45
Satisfactio magna cum discretione imponenda 1.47
De Satisfactione pro peccato, simplicissima veritas 2.146
Sardinia pestilens 2.85
Sartago Ezechielis cuius rei symbolum? 1.82
Saulus pugnabat 3.308
Scabies ouium peccatorum 1.209. Remedia 210
Scabie nemo laborare cupit 2.132
Scabiosus ibid.
Scalpurigo cogitationum inanium 2.114
Scirrhi, Scirriomata 3.82
Scriptura Sacra pharmacorum reconditorium 1.6 Penus, Schola medica, Hortus medicinalis ibid.

Scylla, Squilla 1.213
secretum confessionis 2.176
Semen est Verbum Dei 1.2.3
Semipelagianorum errores 2.12
sensibile supra sensum non sentitur 2.300
sensualitas pars inferior 2.66
sensuum internorum læsio 2.118
septem capitalia vitia, tanquam morbi quomodo curanda 1.120
Septuagesima tempus luctus 2.38
sermo perturbationum medicina 1.11. imo medicus ibid. mœroris maximè, ac doloris ibid.
serpentes in ventre, vitia carnis 3.201
seruorum ægrotorum cura magna olim apud Christianos 1.36
siccitas quid sit in sale 3.259
siderum mundus inferior, ceu domus paterna 2.32
signa luctus in quadragesima 2.38
signa morborum apud Medicos 1.43
signa febrientis oaiculæ, iracundiæ, vanitatis, infidelitatis 1.207. pauorum Ecclesiasticorum 208
sinapis granum 1.4
sinapis granum, Fides 3.2. eius viginti duę virtutes ad Medicinam spectantes 3.2. 3. Cerebrum purgat ibid. 4. Caput depilatum sanat 5
sinapisma 3.5. Palatum afficit 6. Stomacho est vtile ibid. Oculis medetur ibid. sinapi triste 7. cutem exulcerat 7. Calefacit viscera 9. omnibus sensibus conducit 10. eius vis contra serpentum ictus & fungorum venena 10. 11. Hydropicis prodest 11. Superbiam aufert ibid.
Sinenses examinant Pharmacopolarum merces 1.262
Sinensium pseudomedicorum fraus 1.262
Sinenses tecto capite erant 3.56
singularis sententiæ auctores reprehensi 1.64
Soboles parenti similis 2.68
Solis mensa 3. 128. edulia in eius mensa ibid.
Soli varia genera 2.173
Sordes peccatorum lauantur 2.130
Sostrum 3.65
Sospitator Deus 1.141
Splenium 3.162
Splenium stellulis insignitum 3.162
Spuriorum pœna 2.259.274
Status humanæ naturæ 2.27
status puræ naturæ ibid.
status innocentiæ ibid. & 28
status naturæ lapsæ 2.27
status continentiæ 2.8
status temperantiæ ibid.
status damnatorum 2.155
Stibium 2.320
stipendia Medicorum 1.177
Stoicorum opinio 2.122
Stoici passiones omnes proscribunt 2. 123
Stoicorum sensus 2.126
strena 1.161
stulti Apathia 2.126
stultitia 2.146
stultitia 2.88. quis stultus ibid.
stultitia, stoliditas, fatuitas 2.116
stulti an æquè insaniant 2.421
Subsessor 2.318
subiectio potentiarum in statu innocentiæ 2.28
sudaria & semicinctia Pauli 1.240
sudor mysticus lachrymæ 3.63
sudoris vtilitas 3.225
suffitus odoratus 3.43
superbia 2.200
superbia vitæ 2.86. 2.87
superbia quomodo sanetur 2.98
superbia est phrenesis: quomodo curetur 1.21. 22.
superbus amens, delirus, furiosus, ibid. inflatus instar vtris, aut vesicæ, laborat apostheniate ibid. 23
surditas 2.146
surdus quis? Quæ caussæ surditatis 2. 341
surditas quædam bona 2. 341. Machetis, Dauid, Saulis, Iobi, 345. Christi D. & quorundam profanorum 344
Qui surdus idem & mutus 2.345
surdum decet esse ad contumelias, & Sirenum voces ibid.
surdi ad Verbum Dei hæretici 2.346. Peccatores 347

sur-

surditas pœna Dei 2.347
surdastri 2.348.354
surdi & muti spirituales 2.148
surdo non maledicendum 2.353.354
Susanna 2.8
Susceptor Deus 1.136
susceptus ægrotus. Suscepti qui olim dicti 1.97.1.136
suspiciones rationabiles 1.209
suspicionum triplex caussa 1.123
Sympathia inter corpus & animam 2.196
Synderesis quid eius voces 2.349

T.

TAbes desideriorum consumit 3.26
Tacendum ad conuitia 2.344.345
Taciturnitas à virtute 2.364
Talenta quinque Ministrorum Euangelij 1.57
Temperamentum æqualitatis 1.232
Ad Temperamentum quid conducat 2.69
Templum Dei 2.32
Templum Aesculapij 2.168
Tempus medicus, & medicina dolorum 1.11
Tempus occidendi & sanandi 1.94
Temporis opportunitas captanda Medico 1.60.99
Tentationes in conuiuijs ab externis 2.98
Tepidi hominis imago 3.204
Τέχνη ἀνωδυνίας. Ars medicandi dolorem animorum 1.12
Theologi veri & falsi 1.244
Theologia Therapeutica 1.8.25
Theologus nouitius infernum complet nouis incolis, nisi discretione vtatur 1.58
Therapeutæ Curatores animarum 1.110
Therapeuta quis dicatur 1.172
Theriaca 3.35
S. Thomæ Aquinatis affectus erga V. S. 3.130
Thraces 2.113
Tiberij arrogantis signa 1.208
Tinnitus in auribus 2.351. Sibilus, Strepitus, fluctuatio ibid.
Tolutiloquentia, & celeritas dicendi cauenda Concionatori, quà Medico 1.55
Torpor 2.115
Torporem tollit Eucharistia 3.139
Torticordius 2.21
Tremor perpetuus animæ 3.137
Tres status vitiorum 2.8
Tria præcipua hominis bona 2.17
Tricongius 2.93
Triplex status virtutis 2.6 Continentiæ 2.6. Temperantiæ 2.7. Virtutis heroicæ ibid.
Trismegisto Deus nequaquam mali autor 2.62
Tuberculum durities ingenij 2.110
Tunsio pectoris 2.21

V.

VAcuitas 3.133
Valetudinaria in loco salubri ædificanda 2.158
Valetudinaria Veneta 2.167: Leprosoria ibid.
Varioli, seu vari, seu morbilli 2.134
Vas instrumentum 3.100.101
Venialia decus animæ exterminant 2.130
Venialia sordes ibid.
Venialia tanquam vermiculi 2.135
Venialia cachexiam inuehunt 2.135
Venialia multiplicata mortalium caussa 2.135
Venialia ad mortale veniam sternunt ibid.
Venialia multa non faciunt vnum mortale 2.136
Quomodo venialia ad mortale disponant ibid.
Veniale duobus modis ad mortale disponit ibid.
Veniale inter mortale difficile est discernere.
Venialia grauiter punita, exempla docent 2.137
Veniale contemnere, an sit mortale ibid.
Venialia contemnere quam sit graue 2.139
Veniale peccatum, verum est peccatum.
Venialium effectus 2.140
venialia incurabilia naturæ viribus 2.144

venter impiorum insaturabilis 2.95
ventus inanis gloriæ 3.255
venustas 2.33
ventriloqui, Pythonici 2.421
Verbum Dei ad omnia vtile, organum organorum: ars artium 1.1
Verbum Dei omnium artifex ibid. 2
Verbum Dei est semen. Quale? Quam efficax? quomodo proueniat & fructificet? 3. Est granum Sinapis 14. Fermentum ibid. Thesaurus absconditus, Margarita, Panis vitæ, Cibus animæ, Manna, Rhomphea, Gladius, Malleus, Ignis, Funis, Imber, Nix. Instrumentum artium Christianarum, Tinctura, Fons, Pratum floridum, Paradisus, Incantamenta, Pluuia, Vinea, Arbor, Portus, Gemma, Vinum, Sol, Ostium, Firmamentum, Speculum, Mensa Spiritualis, Thus, Epistola Dei, Turris, Aurum, Arcus, Pascua, Mare, Vsura, Nutrimentum, Via regia, Scintilla, Virga disciplinæ, Esca, Lucerna, Calculus, Arca Noe, Carceres Sapientiæ, Magnes, Magistra fidei, ac morum Pupilla, Granum Coriandri, Clypeus, Gubernaculum, Ager, Aurum obryzum, Virga populea Iacobi, Angelus luctator, Regnum Dei, Filum, Lapis Lydius, Draconites 1.4. & seq. Rhododaphnes 1.17. Cedrus, Iuniperus, Philtrum 1.25. Mel 1.19. Pilula 1.20
Verbi Dei cum medicina comparatio 1. Com. 1. per totam.
Verbum, vt Medicina, curat & sanat 1.9. Eripit de interitu 10
Verbum Dei scriptum, prædicatum, Incarnatum ibid. Medicamentum omnium perturbationum 1.12. Brutorum morbis medetur ibid. Varijs modis sanat. Non statim tamen 1.13
Verbum Dei indignè audire quantum sit peccatum 1.15.17
Verbi Dei auditio, ob necessitatem, excommunicato conceditur 1.18
Verbum Dei præstat omnia in arte medica 1.21
Verbo curationes pleræque omnes à Christo & Sanctis factæ 1.24
Verbum Dei insulsum sine fidei Sinapi 3.13
Verbum Dei carbo, calculus candidus 3.18
Verbum Dei Tigris 3.104
Verbum Dei cibus 3.298
Verbum Dei vitam confert ibid.
verecundia in confessione ableganda 3.187
verecundia damnosa ibid.
veritas simplicissima de Satisfactione pro peccato 2.146
verminatio morbus 3.131
vermium morbus 2.133. vermes in Confessione euomuntur.
Verres Marti sacer 1.252
Vespasiani tactus, an salutaris 1.237
Vespillo Medicus 1.70.1 256
Vespillones orci Hæretici 1.252
vestis nuptialis 3.304
via ad patriam cœlestem 2.113
vibex 3.133
vilia 2.33
vinculum integritatis 2.28
vinculum medicinale. Eius vsus apud Chyrurgos 3.30
vinculorum diuersitas 3.32
vinculum gratiæ 2.34
Vindiciani Medici factum 1.59
vini vtilitas ad sanitatem 2.229
vinum aqua diluendum ibid.
vinum & cicuta negat 2.222
vino minuitur ætas ibid.
vinum mysticum in cœna Eucharistica 3.301
vinum spirituale largè potandum 3.300
virgines Milesiæ 3.82
virium extenuatio 3.136
virtus bona dispositio 2.3
virtus disponit ad actiones debitas ibid.
virtus est medium 2.5
virtus inter extrema ibid.
virtus quælibet sanitas animæ 2.11
virtutis heroicæ exempla 2.7
virtutum habitus perfectissimi 2.81
virtutis manifestatio 2.246
virtus S. Francisci in morbo ibid.
virtus Apostoli nondum perfecta 2.235
Ad virtutem morbi conferunt 2.233
virtus Dei in morbis illustratur ibid.
virtus humana in infirmitate perficitur 2.

Viscum Gallicum 3.164
visitatio officium proprium Medicorum 1.128
visitare qaid significet, ac denotet 1.118. 136
visitationis tempus est vita hominis 1.130
visitantis Medici officiá 1.131.& seq
visitatio infirmi facta à sodale Parthenio B.V.M. 1.216
visus quomodo corrumpatur 2. Com.22. per totam.
visus rerum spurcarum vomitum excitat 3.202
visus homini carissimus 3.236
vita ad Eucharistiæ sumptionem necessaria 3 150
vita hominis dies 1.130
vitis morbi 2.339
vitium 2.40
vitium contra naturam est 2.41. naturam vitiat ibid.
vitia naturalium priuationes ibid.
vitium virtuti oppositum 2.43
vitium actiones humanas vitiat 2.44
vitium naturæ 2.73
vlcera animę curantur in infirmitate 2.235
vlcus Dauidis ob peccatum 2.192
vmbra Petri medicinalis 1.239
vmbra Christi pendentis in cruce latronem sanat 1.239
vmbra, an sit, vel esse possit operatiua? 1.239
vnctio multiplex 1 165
vnctio Regum, quid designet? 1.96
vnionis hypostaticæ in Medico, qui simul sit Iurisconsultus, similitudo 1.161.1.171
voluntas Adami recta, religiosa, pia, iusti amans 2.28
voluptas pestis 2.220
voluptatis imago serpens 2.219
voluptates vepres ibid.
voluptatibus frui non sciunt gulosi, ebrosi 2.225
voluptuosorum ficta indigentia 2.97
voluptates immodicæ non extinguunt libidinem 2.100
vomitus quid sit 3.197.& seq.
vomitum quæ præcedant 3.199
vomitus aquæ, quomodo accidat ibid.
vomere & ructare applicatur Confessioni infideli 3.200
vomitio quibusdam difficilis.
vomitus quorundam facilis ex ebrietate, Confessione difficilis & durus 3.202
vomitoria ibid.
vomitus concitatur videnti vomentem 3.203
vomitum causat humorum commotio 3.203. idem faciunt Tumor, vlcus, pituita, ibid.
vomitum mouet res minima 3.204. idem fecit destillatio à capite 3.205
vomitus difficilis ob defectum gustatiuæ ibid.
Ad vomitum redeuntes 3.206
Post vomitum datur electuarium 3.208
vomitio præcedit purgationem.
vomitum baptismi sanat 3.108
vrbes omnes aliquot habent hospitalia 2.169
vre, seca, extrema remedia Medici 1.91
vuam acerbam comedere 2.173
vulnera animæ, seu morbi varij 2.105
vulnus quid 2.108
vulnera in quatuor potentijs ibid.
Quatuor alia vulnera prioribus annexa ib.
vulnus primum ignorantia 2.109
vulnus quantum sit ignorantia 2 110
vulnera voluntaria malitia 2.116
vulnera sensuum externorum 2.118
vulnus in appetitu concupiscibili ibid.
vulnus concupiscentiæ infinitum 2.1.9
vulneribus, ac morbis homo in omni parte obnoxius ibid.
vulnerum alligatura 3.162
vultur Marti dicatus 1.252
Vxor Ducis Veneti 2.220

X.

XEnodochium 2.168
Xenodochij partes 2.382

Z.

Zvvinglius hæreticus belli funesti fax. 1.253.

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Typographus Lectori.

FEcit, bone Lector, quorundam typothetarum, siue imperitia, siue inaduertentia, vt pluscula errata, quæ sensum vel obscurum faciant, vel genuinum inuertant, irreperent: eorum præcipua, vt prius corrigas, quàm ad legendum accedas, Te precor. Hoc si non obtineo, dum inter legendum hæres, huc, quæso, oculos conuertas.

Tres sunt numeri, prior paginam, alter columnam paginæ, tertius lineam designat.

ERRATA LIBRI PRIMI.

PAg. 9. col. 1. *linea* 20. *lege*, quos, 20.1 12. Theologo. 21.1. lin. 32. *adde* Gulam. 27.1. 9. Consummatoris, ib. lin. 22. ferinæ, lin. 35. ex. 32.2.23. mereat, 47.1 3. periculosos, 43 in marg. Scientiæ, ibid. 39. νοσογνωμικῶν, 47.1.40. tali, ibid. 18. Bzouius, ibid. 21. æstuans, ibid. col. 2.33. diuersissimas, 55.2.34. voluptate. 55.2. in marg. *crux*, 58.2. in marg. *Apol.* 81.1.2. *gaudy*, ibid. lin. vlt. *Can.* 87.1.15. Arcadum, 95.2.10. auferat, 98.2.2. infirmo. 101.1.16. ac. ibid. nemi- ib. 2.17. Aegyptios, 19. Secundum, 106.2.10. eripuerunt, 116.1 33. fontes, 124. 2.38. relinquentes, 125.2.33 crisin, 128.1.30. Medicis, 130.1.28. *dele, Deum in*, ibid. 2 11. tam, ibid. 29. his, ead. lin. *dele* vt, 140.1.10. complexionis, 143.1.4. munda, 157.2 lin. vlt. præuisionem absolutam, 161.1.8. *res aliquæ instituta*, ibid. 21. profanæ, ibid. 2.15. PREFABAR, 163 2. lin. antepen. votum, 154.1.20. idem est, *quod saluare, sanitas, quod salus*, 167. 1.32. *scribas*, ibid. 2.1. Psalmos, ibid. in marg. *Medicina*, 168.2.1. miram, ibid. 25. modicam, 169 1.3. persanando, ibid. 2.15. Salue, & nos salua 171.1.31. secundus, ibid. 2.34. *Lorinus*, 181.2.14. iuueni, 182. 2. 15. in quam, ibid. 20. *inferno*, ibid. 31. experiri, 184.1. in marg. *Passio medicina conseruatiua*, 185.1.32. opprobria, 199.1.27. tumore, ibid. in marg. *vulnera*, 203. 2. in marg. *Pastor medicum*, 203 2.10. turrium, 209.2.30. cura, 210 1.3. *dele* scabin, 212.1. lin. penul. triclinium, ibid. 2.26. Columella, 214.1.2. Ferro, ibid 1.30. ferè, 218.2.5. depulerunt, 221.1.1. reali, ibid. 25. interpretemur, ibid. 2.30. alges, ibid. 34. opprimeris, 222.2.10. At, ibid. 18. adferebat, ibid. 26. ordinatis, 225.2.5. à fine, *adimat*, 226.2.18. olerum, 241.1. lin. antep. *laniatu*, 243. 1.29. charos, 244.2.26. in falsis, 255.2.19. *vinum*.

ERRATA LIBRI SECVNDI.

8.1.22. vili, 10.1. lin. vlt. neutram, 11.1.26. graduum, 12.1.9. *vetus*, 18.1.31. *gratior*, 24.1.32. *satis*, 25. in argum. Comment. 2. lin. 5. *lege* peccans, 28.2.26 moræ, ibid. 32. soluebatur, 29.1.24. dele *aduersus rationem rebellis*, 32.1.8. acumine, 42.2.15. *deterret*, 46.2.15. vlla 48. 2.27. est factũ opus, 56.2.3 à fine, seuero, 58.2.26. *ingreditur*, 61.1.25. *perfusus*, 72.2.35. produci, 76. 1.3. Quod sit, 77.2.1. *dele* est, 96.2.2. *mihi*, ibid. 19. *sedare*, 98.2.5 à fin. sufficiebant, 100.1.28. abductas, 172.1.14. *Semen*, 177.2. in marg. *Aegrorum pro sanitate*, 265.1. in marg. De monogamia,

gamia,269 1.6.à fin.Ita,ibid.2.35.detractione,283.2.10.Sic,285.2.1.5.à fin præter, 287.1. 11.stipitum,339.1.5.omnemque,343.1.27.feriunt,346.2.3.intemperies,ibid.28. dicterijsque,352.2.19.MEVM non est,371.1.23.vt,372.2.25.fore,376.2.4. qui non viderunt, 389.2. 11.orsus,

ERRATA LIBRI TERTII.

7.1.25 *austeritate*,17.1.in marg.*commune*,ibi 2.18.*sanam*,22.2.35.mittet,27.1.34 aliquot, 34.2.15.doctè,ibid.17.debitis,40.2.8.*suspensis*,57 1.5.*Ne nimium*,66.2.21.genuum,3[illegible].2. 30.Occurrat,72.2.22.Sic in genua concidunt,78.2.28.regifica,79.2.4. habeat,99.2.3.à fine. mereretur,112.1.8.delectarum,116.1.30.deficerēt,121.1.34.agere,125.1.5 .Vespillonis, ibid.36.restituturam,144.catechetica,157,2. lin.penult. sæuius, 189.1. 33.Soto, 190.1. 35. portate,280.2.*exaltat*,305.1.27.OLEVM.